CASPARIS CALDERÆ DE HEREDIA,

Civitatis Hispalensis Medici Ordinarii,

TRIBUNAL MAGICVM,

QUO

Omnia quæ ad Magiam spectant, accuratè tranctantur & explanantur.

SEU

TRIBUNALIS MEDICI

PARS SECUNDA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
CIↃ IↃC LVIII.

CORNELL UNIVERSITY.
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

A. 8061.

TRIBUNALIS MEDICI PARS SECUNDA.

SEU

TRIBUNAL MEDICO-MAGICUM:

APOLLINI SACRUM.

In Publico orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI.

Decisiones Magicæ, ex supremo Apollinis Consilio.

Confusas Theatri universi Galeni acclamationes altum silentium excepit, cum Zoroastes tetrico, pallido & squalenti vultu, longa, sed soluta veste, Medicinæ primatum ægre ferens; concavis & scintillantibus oculis sic alloquitur. Numquid non vestræ dominationis & nobilis Medicinæ principium à nobis ortum traxit? forte omnes scientiæ non famulantur Magiæ, aut sunt partes illius? Magia metaphysica est pars illustrior scientiarum omnium & utriusque microcosmi altior Philosophia, ut postea monstrabo. Non nostis, ô clarissimi principes, & Vos, ô Academiæ serenissimæ, Zoroastem? ego sum ex primis Noæ filius tertius dictus, ideo junior, & ante universale diluvium progenitus; cui Chem nomen Janus pater imponit, ex prima Adæ lingua, cognomento Esenuus, quod Magiæ veneficæ studiosus eram: & non quia infamis, impudicus, impius propagator; ut Berosus impie posteritati dixit, aut male vertit Annius; forte quod nomen illud *Chem* apud Scythas Arameos est idem quod infamis, impius; *Enua* vero propagator impurus. *Lib. 3. de Antiquitatibus Iani Patris.*

Nec ideo inficior, quia me Janus Pater inter filios odio sequebatur, & vilius despiceret, seu quia ultimo genitos ardentius amarat; seu quia piæ religioni non adeo incubui, (forte distractus ardore juventutis) me illius virilia amputasse; quoniam nactus occasionem, dum Noa Pater jam madidus jaceret, illius virilia comprehendens, taciteque submurmurans magico, sed non ferali carmine, Patri illudere mihi tunc magis placuit, quam à luce privare: ac exinde imposterum sterilem perinde ac castratum effeci,

ut nec deinceps Noa fœmellam aliquam fœcundare potuerit; & hæc est prima ligatio Magica, quæ in orbe contingit: & hinc incœpit Magia; cujus sacra cupidine plerique exarsere: sed illi magis qui astrorum peritia satiati, naturæ arcana amplius calluerunt: & antipathias & sympathias rerum.

Nonne has sympathias & abstrusa arcana vix unquam satis nota dedimus Medicinæ; à quonam duxit ortum illud celebre Medicinæ principium, *Contraria contrariis medentur*; nisi à nostra magica Philosophia? quis illam unquam calluit differentiam, inter morbos inductos veneficio & morbos naturales? & inter frigidos nativa intemperie, aut ferali carmine; nisi à docta Magia? Hinc nostra Magia ad vestram ducitur Medicinam, ut præceptis & arcanis ornetur.

Ideo inter hujus dogmatis homines me amplius coluerunt Ægyptii, ut Magiæ arcanis amplius satiati: æstimantes Saturnum (quod nomen mihi honoris causa imposuerunt) futurum necessario in astrorum, & naturæ universæ arcanis peritissimum; nec sua ipsos opinio fefellit: nam ego à Patre Noa doctus Magiæ naturalis principia ediscere non destiti: qui omnibus artibus imbutus, filios omnes edocere curavit; & à tam longo ævo, & artes & scientiæ incœperunt; hinc Magi per antonomasiam *sapientes* dicebantur; & tantam nominis nostri celebritatem gloria excepit; ut si non primum, me secundum inter Deos venerentur; est enim primus Deorum Pater *Noa*, *Janus*, & *Pan*, quod idem apud Gentes significat: & ob singulare Magiæ beneficium, variæ gentes varia nomina mihi imposuerunt; Janus Pater me nominavit, Chem ob dictam rationem; Cham me postea vocitarunt Ægyptii, Camessem, Camessenum; nam Esenuum primo nomini addiderunt; est enim Enuus apud Scythas propagator; nescio quo auspicio, me generis humani corruptorem dixerunt; nam qui me vocitarunt Ægyptii Camessem Camessenum, in celebrem nominis nostri memoriam ædificarunt urbem, quam dixerunt *Chem Min*, & eorum cives Chemministas: est enim apud illos *Min* idem quod habitatio: *Chem* vero nomen, impositum à patre; *Zoroat* & *Zoroastes* postea me dixerunt Assyrii: audite ergo Zoroastem, scientiarum principes, & vos, ô Academiæ serenissimæ.

TRIBV-

TRIBVNAL MEDICO-MAGICUM.

Reverendissimus Pater Martinus Delrio, in campo amænissimo Magiæ flores selectissimos collegit, & syllogistico stylo Academiæ disposuit: nos qui supersunt flores, recollegimus: (Nam quo messis abundantior est, eo plus supersunt reliquiarum) & stylo eruditionis delectabili digessimus, ut dulcis ille reddatur, noster delectabilis, uterque fructuosus; & pari securitate, utrumque polliceor, legendum: nam pari religionis amore utrumque prodit opus: pleraque tamen dedimus, noviora, utpote nostræ professionis gentilitia, ut apparet in titulo de Amoris essentia, & genealogia, de frigidis & maleficiatis, *ac* de omni genere impotentiæ nativæ, aut diabolico maleficio comparatæ, ac de vera horum, & venenorum differentia; *tanquam in mea arena, proprioque meæ professionis stadio mihi videbar versaturus; & multa alia, quæ non pigebit legere: nec tempus pretiosum conferent lectores sine fructu; & si quid legeris, quod antiquam Gentilitatem videatur redolere, non ideo dictum putes, ut nos talia vera esse credamus: nos enim tantum ipsorum voces expressimus; in quorum medio, me Romanæ, hoc est Catholicæ orthodoxæque Ecclesiæ, obsequentissimum scias: nihilque quod ab ipsius veritate declinet, profiteri.*

STATIO I. ARTICUL. I.

Quæ naturalis Magia.

Est Magia omnium scientiarum sublimatio, seu quinta omnium scientiarum substantia metaphysica sublimatione extracta. Altissimarum rerum cognitio est naturalis Magia: est enim divina Theologia: immortalitatis, ac rerum humanarum divina Metaphysica: est quinta Medicinæ substantia, inter rerum arcana educata: ac utriusque juris altissima energia: est tandem rerum divinarum & humanarum absoluta cognitio, adulta inter antipathias & sympathias rerum, qua activa passivis applicando mira & incredibilia patrantur; nec in ea deficit, idealis Naturę contemplatio, quæ inter scientias gigantisat. Diis immortalibus accepta, dixit Apulejus Platonicus, colendi eos ac venerandi gnara, divini sciens, & pia: à me & Oromasi tradita: quippe inter regalia docebatur; nec ulli temere inter Persas concessum erat esse Magum, haud magis quam regnare: ideo à Platone mire Xamolxis celebratur, quia naturalis Magiæ A edoceret altissima: hæc fuit ab Altissimo, Adamo cum anima infusa, ab illo longa traditione tradita Patri Noæ; hanc ab illo edocti nos accepimus; hæc tamen magia naturalis definitur: *Est ex qua naturali virtute, mira & insolita efficit, quæ humanam capacitatem superat.*

Magia diabolica.

At vero Magia diabolica, quædam est simia Magiæ naturalis, sciendi avida, & avara B cupiditas, in visceribus insita, inanis, superstitiosa & invisa: quæ sub dæmonis pacto, admiranda intra & extra limites naturæ operatur; est Catholicæ religionis Nubes infidelis, sed genio humano gentilitia: quod vetita, & ingenita levitas, & erudita vanitas: semper æmula scientiæ Altissimi; ob hoc fortasse Lucifer, cupiens fraudulenter Magiam diabolicam in orbem introducere, amara Zelotypia si non funesta rabie primæ Parenti dixit, (erat enim serpens cunctis animalibus callidior) eritis sicut dii, scientes bonum & C malum; nam postea seduxit ac peccato illo originali polluit ex novo orientibus nationibus homines, ut viderentur cæteris admirabiles; si hæc occulta norint: qui inimico dæmoni impia pietate fucato, facile crediderunt, sciendi inexhausta

cap. 2. Gen. August. lib. de Nat. Dæmon. cap. 3. Picus Mirand. de Vanit. gent. cap. 1. & 2.

sta libidine, hausto in poculo aureo veneno; quoniam postea docuit mentitam Theologiam, Orpheum, Hesiodum, Pythagoram, Homerum & Platonem; ac de Deorum cultu leges, Licurgo, Xamolxi, & Soloni inspiravit; Æsculapio & Machaoni, herbarum Medicinam; ac tandem visceribus naturæ abditam Philosophiam Pherecidi Milesio, Socrati, Platoni, Aristoteli, qui has scientias à Diis acceptas, retulerunt; ut Socrates à genio; Ninus Assyriorum princeps à primo gentium Idolorum Patre Belo legem accepisse perhibetur; Ulyssem à centauro semideo; sicuti ab Egeria Numam Pompilium regem à Romulo secundum.

Plato lib. 1. de Leg. Cal. Rhodig. lib. 18 antiquit. Sect. cap. 19. Val. Maximus lib. 2. cap. 2.

ARTICULUS II.

An magia sit dæmonis inventio.

An sint magiæ artes diabolicæ, à Dæmone intrusæ, plerique dubitarunt; an ab aliquo familiari genio; de hoc tamen dubitare non licet, cum infinita pene testimonia extent, in veteri & nova Theologia; & in utroque jure: & oculatissimis Medicinæ arcanis: de hoc tulit memoriam infœlicem Vetustas, per Ægyptios, Chaldæos, & Assyrios; ut constat, ex Mercurio Trismegisto in Asclepio; Platone, Pausania, Philostrato, Apollonio & Porphyrio, Jamblicho Platonico, & Tirio; clare ex Apuleio libro de Deo sacratis; licet hoc genio æstimet tribuendum; idem dixit Plotinus & Zenocrates in libro quam de morte inscripsit; at Democritus Magia naturali & præstigiatoria omnes antecelluit, ut Plinius est auctor. Hoc etiam Philosophica ratione convincitur: nam dæmon valet quidquid à motu locali & alteratione producitur, producere; dummodo non sit in destructionem universi; seu vere & realiter activa passivis applicando, adhuc præter naturæ ordinem; seu apparenti & illusorio præstigio; sed veneficia magica & naturalia, possunt arte naturali configi; aut motu locali aut alterationis; ergo talia possunt à Dæmone produci, & applicari: patet, nam ista ad actum veneficii redduntur, medio virtutis herbarum applicatæ lapidum, metallorum & animalium: ergo possunt à Dæmone configi; ut qui omnis scientiæ humanæ & angelicæ gnarus est; illa minor à natura probatur; quæ herbas, lapides, & metalla ministrat: quibus certe infatuat, incantat, in amorem inclinat, &c. producit etiam animalia veneno necanti insignita, ut aspides: quibus ars activa passivis applicando, seu propria virtute, seu aliena, supra ipsius naturam elevata, sua etiam venena operatur, subito vel ad tempus necantia; mandragora enim & hyoschiamum, virtute naturali infatuat: opium torporem mortiferum producit: Satyrion, titillationem in semina inducit quo libidinem concitat, & concupiscibilem appetitum, semina concitando per vapores: ac istæ species rei amatæ peculiari suscitant sympathia, memoria repositas, ac illas cæteris potentiis objiciunt; quo certe ordine naturali, ad amorem inclinat, maxime in amasiis: licet nulla inde libero arbitrio injungatur necessitas.

Plin. lib. 30. Nat. hist. cap. 2. Senec. 4. Nat. quæst. 7. Exod. 22. 7. & 8. Deuter. 18. Levit. 19. & 20. Psalm. 57. Aug. 10. de Civit. Dei 32. In Conciliis Laodiceno Cant. 36. Carthag. c. 39. & 90. Ancyrano lib. 6. cap. 7. Turonensi cap. 42. Gratianus, 2 de Decret. caus. 26. Isidorus 9. 5. 21. 8 Ethymol. August. 2. de Doctrin. Christ. cap. 19. & 23. de Civit. Dei 19. Chrysost. de Fato, Serm. 7. D. Thom. 4. sent. dist. 34. qu. 3. 3 Contr. gent. 103. Antonin. part. 2. tit. 12. cap. 1. Cod. Iustiniani cap. de Malef. & Math. leg. Nemo. cap. de Malef & leg. multi, in text. C. in Facerem fidei.

Nec est apocryphica incantationis traditio, nec vana fides venefici præstigii. Quoniam Isaias, dum desolationem nuntiat Babyloni; *Sta*, inquit, *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficarum tuarum: stent & salutent te augures cœli, qui contemplantur sydera*, &c.

Plin. lib. 3. Nat. hist. 1.

Sagarum opera.

Quid plura? quod Dæmon per se ipsum non valet, manibus impiorum operatur; admiranda de hoc tulit exempla Apuleius Platonicus: *Ain' tandem inquam* (dicit ille,) *potens illa & Regina* Caupona *quid mulieris est? Saga*, inquit, *& divini potens, cœlum disponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, Deos infirmare, sydera extinguere, tartarum ipsum illuminare. Vis unum, vel alterum, imo plura ejus audire facta? Nam ut se ament afflictim non modo incolæ, verum etiam Indi & Æthiopes, folia sunt artis vel nugæ meræ. Sed quod in conspectu plurimum perpetravit audi; amatorem suum, quod in aliam temerasset, unico verbo mutavit in feram castorem; quod ea bestia captivitati metuens, se ab insequentibus, repræsitione genitalium liberat; ut illi quoque simile, quod venerem habuit in aliam proveniret.*

Cauponem quoque vicinum ob hoc æmulum deformavit in ranam: alium de fero quidem, quod adversus eam locutus esset, in arietem deformavit, & nunc aries ille causas agit. Eadem amatoris sui uxorem, quod in eam probrum dixerat, in sarcinam prægnationis obsito utero & repigrato fœtu, perpetua prægnatione damnavit; ut octo annorum curriculo, misera velut elephantum paritura distendatur. Iis & aliis exasperatus populus, illam multitudine saxorum obruere decrevit, quod consilium virtutibus cantionum antevertit; & ut illa Medea unius diecula à Greonte impetratis induttis, totam ejus domum, filiamque cum ipso sene, flammis coronalibus deusserat; sic illa devotionibus sepulcralibus in scrobem procuratis, cunctos in domibus, tanta numinum violentia clausit, ut toto biduo, nec fores evelli, neque parietes ipsi quiverint perforari; quoad mutua exhortatione clamitarent, quam sanctißime dejerantes, sese, neque ei manus admolituros: & sic illa propitiata, totam civitatem absolvit; at tumultus auctorem intempesta nocte, cum tota domo sua, ab omni fundamento, & sicut erat clausa ad centesimum lapidem in aliam civitatem summo vertice montis exasperati sitam, & ob id ad aquas sterilem translulit. Lucio Apuleio licet mendaci in hac re, ut domestico testi est credendum; apud nos etiam dixit Seneca: *In duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantaßit*: est enim incantatio maleficium quod peragitur verbis, ut dixit Augustinus, & Hieronymus; veneficium autem & opere & verbis, dum dæmon ad utrunque concurrit ex conducto.

August. l. de Nat. dæm. 2. & 3. D. Thom. 2. 2. 995. & 96. Spring. in mal. part. 2. cap. 2. Suar. lib. 2. de Rel. c. 14. 19. & 21. Th. Sanch. 2 Decalog. cap. 3. Apul. lib. 1. Asini aurei.

7 Nat. qu. 7.

Hæc forsan alicui videbuntur in speciem fabulæ adornatæ, nisi illa patrum consensu catholica illustraret sententia; illam tenet Hieronymus in Danielem cap. 2. Augustinus de Trinitate 3. cap. 7. 8. & 9. D. Thomas 3. contra Gentes, cap. 104. Toletus in Joannem cap. 3. & lib. 4. Sam. cap. 16. Delrio 2 Mag. quæst. 9. 5. Dionysius Areopag. de Ecclesiæ Hierarchiis, cap. 4. adhæc profecto Dæmon conducitur ex pacto, quæ sunt in illius potestate, permissione Numinis altissimi; & valet illa omnia, quæ angeli faciunt sub propria virtute. De hoc extant varia humanis & divinis litteris testimonia. Pleraque dedit Job. & Paulus, Apostolus, non pauca: Appiani haud ignobile est illud testimonium: *Magum*

In c. igitur 26. qu. 3. in Daniel. cap. 2 cap. 1. v. 24. August. cit. D. Thom. cont. Gent. cap. 104. Tolet. in Ioann. cap. 3. & 4. sum. cap. 16. Dionysius Areopag. de Eccles. Hierarch. c. 4.

fatale

fatalem necem Cæsari prædixisse, dum intraret senatum; & Alexandro mortem alium sub fatali augurio; cum ex Indis peteret Babylonem vastatis gentibus Universi: & jam proximo Urbi, Chaldæi prædixere ut se ab ingressu contineret, sed nihili faciens augurium, Babylonem aggreditur: ac in fœmore sagitta percussus ex hac luce discessit; Vatum prædictione.

Paul. ad Ephes. 1. 2. D. Thom. 1 part. qu. 63. art. 1. & sent. 2. dist. 7. qu. 2. D. Greg. qu. 32. Moral. cap. 8. Appian. 2 de Bello civil. Roman. ad F.

Dæmonum inventa sunt, dixit Lactantius: *Astrologia & Aruspicina*, & illa quæ dicuntur *oracula & necromantia*, *& ars magica* præstigiosa; & quidquid malorum exercent homines, vel palam, vel occulte: quæ omnia per se ipsa sunt falsa, ut Sibylla Erythrea testatur; sed idem ipsi auctores præsentia sua faciunt, ut vera esse credantur: ita hominum credulitatem mentita divinitate illudunt; quod illis verum aperire non expedit; hi sunt qui imagines, & simulacra fingere docuerunt; ut mentes à cultu veri Dei averterent; eduntque sæpe tales prodigia, oracula abscondita, ut stupidi & exterriti homines, fidem commodent simulacris ipsius divinitatis ac numinis. valent ideo Magi, (dixit alibi) animas ferali carmine ab inferis ciere, & ut humanis oculis se præbeant, patrantur; & loquuntur mirabilia, & futura prædicunt; adhuc vera & divina miracula in Salvatore nostro, dum mortuum ad vitam suscitaret, Judaïca perfidia in virtute dæmonum fecisse exclamavit.

Lact. lib. 2. de Orig. error. cap. 17.

lib. 3. de Divin. præm. cap. 13.

ARTICULUS III.

Vetustas Magiam diabolicam credidit naturalem.

Altissimis officiis præesse Magos, credidit Antiquitas inculta, (est enim Magia ipsa Philosophia antiquior) quod omnibus crediderit numeris absoluta Magia naturalis: hanc enim numerorum harmonia consistere Pythagoras docebat, ut nostro Theseo adnotavimus: ac dæmones mediæ naturæ esse inter Deos & homines æstimavit, non omnino maleficæ, nec incultæ naturæ; sed hominum ingenia adjuvare, illos maxime qui coluerunt aërem; Clitarchus asserit, Magos Chaldæos (in libro 12 Magiæ) circa Astronomię rationes prædictionesque occupari; Diogenes Laërtius illos vacare cultui; & preces illi ac vota & sacrificia, quasi Soli ac Diis audiantur, offerre; (originali legitur ab aliis, sed quoniam est legendum à Diis.) ac de Deûm substantia & generationis principio disserere, illis solis conceditur; quos ignem, terram, & aquam arbitrantur; ac signa statuasque reprehendere; & eorum imprimis qui mares esse, ac fœminas dicunt, errores improbare: de justitia verba facere: iniquumque arbitrari atque impium, igni sepelire; justum matri ac filiæ misceri, ut 23 libro ait Photion; divinationem præterea prædictionemque exercere, sibi Deos apparere asserentes: plenum esse dæmonibus aëra; (alibi legitur, idolis, simulacris seu imaginibus) qui tenuiter, ac veluti ex evaporatione cernentium oculis influunt; exteriorem cultum, & auri usum interdicere; his candida vestis; lectus, humus; esca, olus; caseus panisque cibarius est; arundine pro baculo utuntur; sed Aristoteles hos magicæ divinationis ignaros appellavit.

lib. 1. de Vita Philos. de Origin. Philosophia.

Ægyptiis fuisse antiquiores Magos, auctor est Aristoteles; qui asserit duo tantum juxta illos fuisse principia; bonum nempe & malum Dæmonem; alterum Jovem dici, & alterum Plutonem, ut tradidit Hermippus & Theopompus: *Revicturosque homines juxta magorum sententiam: futurosque exinde immortales*; ac in illorum imprecationibus universum consistere; Clearchus Solensis libro de Disciplina: Gymnosophistas à Magis oriundos auctor est; & plerique Judæos ab illis originem duxisse, tradiderunt.

lib. 1. de Magis. lib. 8. Philippicorum.

Magi à dæmone cuncta inferiora regi arbitrabantur; nomen Dæmoni tribuentes, quod vita Diis illorum manibus deferantur: *Sunt enim quædam mediæ potestates*, dixit Apuleius, *inter summum æthera & infimas terras; in isto universi aëris spatio, per quos desideria nostra & merita ad Deos commeant, hos Græco nomine Dæmonas nuncupant, inter mortales cœlicolasque victores; hinc precum, inde donorum, quæ ultro citroque portant; hinc petitiones, inde suppetias; seu quidam utrinque interpretes & salutigeri*: hæc Gentilitas dixit, nos credimus, à divina providentia omnia gubernari.

lib. de Deo Socrat. fol. 153.

Per hos eosdem, ut Plato in Symposio dixit, cuncta denuntiata, & magorum varia miracula, omnesque præsagiorum species reguntur; eorum quippe de numero præditi, curant singuli provide, ut est cuique tributa provincia, vel somniis confirmandis, vel extis physiculandis, vel perpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis: vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis: cæterisque adeo per quæ futura dignoscimus; quæ cuncta cœlestium voluntate & numine, & auctoritate, sed dæmonum obsequio & opera, & cura dispensantur; ut per illos Anibali, somnia oculi orbitatem commeent: & prædicent Flaminio, in cladis periculo auspicia, & Aceio Navio miraculum adjiciant; & per aquilam Tarquinio Regnum nuntient, ut Servius Tullus à capite flamma colluminetur; postremo præsagia cuncta ariolorum & fulgurum, bidentia carmina Sibyllarum.

Quæ omnia obeunt mediæ quædam potestates inter Deos & homines: neque enim pro Deûm fuerit majestate, ut aliquis eorum somnia Annibali immittat, hostiam Flaminio corrodat, vel Aceio Navio notificet, vel Sibyllæ fatiloquia versificet: Tarquinio & Servio Flammam, vel apicem reddat: hæc enim non sunt Deorum digna: mediorum ista sortitio est, qui in aëris plagis, terræque conterminis, nec minus confinibus cœlo; perinde versantur; ut in quaque parte naturæ propria sint animalia: fuit enim Aristoteles auctor, flagrantibus fornacibus propria etiam animalia pennulis volitare; totumque ævum suum in igne traducere; cum eo exoriri, cum eoque extingui, & mori.

Hos fuisse dæmones materiæ corruptioni obnoxios, Porphyrius est auctor, & ab anima, ut vis imaginatrix futuri, generari; *Illud certe* (dixit Jamblichus) *mihi videtur, maximam præ se ferre impietatem, non solum in tota Theologia, verum in omni actione sacri cultus; illud enim imprimis est absurdum, si genii ipsi corrumpantur; tum illud est sane gravius, si hujusmodi producuntur à posterioribus se, cum sint ipsi priores producentibus; nam genii subsistunt ante animam, & ante potentias quæ sunt circa illa corpora anima-*

Segment. 3. cap. 22.

cap. 31. *animata; nullum enim particularium sensibilium corporum progenerat genios: imo multo magis & potius inferiora hæc à geniis & progignuntur & custodiuntur; non potest enim homo ulla fabrica formas fingere geniorum: potius geniorum multitudo & numerus, natura simplex est; & uniformiter circa composita omnia operatur;* *cap. 32.* *sunt tamen inter illos probi alii, qui Diis & ministrant & serviunt; ab iis omni animi morbo, & omni malitia amputata, ubi primum emicuit divina lux in illis, à qua sacrificantes universam virtutem capiunt, & bonis moribus, nec non & honestissimis imbuuntur; liberantur ab omnibus vitiosis affectibus, motibusque omnibus compositis impiis, & sacrilegis moribus.*

Hæc sunt Iamblici Platonic.

Sunt alii scelesti, inquinati, moribus incultis præditi, neque ritibus servatis, statis cæremoniis: haud debito ordine, audent sane prorumpere & irruere in divina ob nequitiam, si non ob potentiæ indigentiam: unde Deos neque valent attingere; & à familiari consortio arcentur, & à puris & sanctis spiritibus; boni tamen, si improbis jungantur, pessima inspiratione implentur; redduntur que ipsi pessimi, & impii lascivientibus voluptatibus oppleti, & ab omni malitia possessi; qui è diametro Diis adversantur, & in malos dæmones convertuntur: & jure contagionis & convenientiæ, iniquis passionibus implentur; & ad omnem malitiam à malis concitantur spiritibus; ac ita mutua quadam catena coalescunt, & ad invicem crescunt, velut circulus quo fini principium an-

Segment. 5. cap. 13. *nectitur; redditque pares vires; hos Antitheos dixeris Deorum adversarios; vehiculum corporale quod Geniis subservit, non materia, non elementis, non ullo genere corporum constat, nobis noto & consueto; quæ ergo substantia poterit alienam substantiam adimplere? qualis fruitio poterit alienis rebus apponi? ut alienis & extraneis saturetur? nulla prorsus: hæc tamen illa Dii ex patibilibus efficiunt, incorrupta & impatibilia, ad communionem societatemque Deorum, in hoc Diis assimilans; quare substantiam materiæ immersam, in sacris igne purgat & lustrat, à materiæ vinculis absolvens: & ut nobis communicet, naturam nostram materiæ immersam ad res abstractas circumagit, &c.*

Hæc Jamblichus, qui certe videtur divinæ legis arcana consuluisse, sed in omnibus tandem gentilis Platonizat; sic enim de hoc argumento

In convivio seu dialog. de Amore. loquitur in convivio Plato: *Dæmon media quadam natura est, inter mortales & immortales Deos; eorum erat officium divinare: Deus quippe homini non miscetur, sed per id medium commercium omne, atque colloquium inter Deos & homines efficitur, vigilantibus sane & dormientibus. hic est dæmon & amor. unus ex dæmonibus est; amor enim est immortalitatis desiderium: amorem esse dæmonem ex copia & inopia genitum, dixit fatidica Diothima, & in medio sapientiæ & inscitiæ constituitur; officium enim unumquodque dæmon peculiare sortitur:* & procedit in dialogo Phœdon seu

Dialog. 10. de Rep. vel de Iusto. de Anima: *Ferunt enim quemlibet illuc migrantem ab eo Dæmone, quem vivus sortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat, omnes una collectos judicari; ac deinde ad inferos proficisci, eo duce cui mandatum erat; tempusque debitum commoratos, boni per decem millia annorum: & mali per quatuor millia, ab alio duce rursus huc reduci: post multum temporis longosque circuitus. attamen unaquæque animarum pristinos sequitur mores, cum secundo venit; nam rapacis rapacem avem informat; voracis lupum; sola autem Philosophi anima regem & optimum gubernatorem induit.*

Hæc vidit Herus Armenius apud inferos; dixit dialogo de Justo; quoscunque alios injurias intulisse constaret, pœnas sigillatim pro qualibet decies reddidisse, dæmonis ope & ministerio: hoc vero pro quolibet annorum centenarium esse; quasi hæc vitæ humanæ sit meta: qui vero multorum necis causa fuit, pro quolibet facinore pœnas decuplas; atque iterum si qui beneficia fuerint elargiti, justitiamque & pietatem coluerint, eadem pensione præmia reportarent. De pueris autem parum digna memoria recensuit; anima quæ olim Orphei fuerat, se vidisse testatur, Cygni vitam odio muliebris generis eligentem, nolentem scilicet ex mulieribus, à quibus occisus fuerat, renasci; Animamque Ajacis Thelamonii feri leonis corpus elegisse, fieri hominem fugientem, dum armorum judicium olim datum mente revolveret; ultimam tamen sortem Ulyssis animam elegisse testatur, ac præteritorum laborum memoria, privati hominis & incuriosi vitam induisse, eamque vix tandem alicubi jacentem, & neglectam ab aliis, reperisse, dicentem, non aliam se vitam electuram etsi sortem primam nacta esset.

Lachesim vero cuique dæmonem quem cœperat, quæque ipsius vitæ custodem præscribere, electorumque operum executorem; ac illam ad Clothum animam ducere, ut electam fortunam probaret, ac ultimo ad Atropon ut stamen acciperet; illinc postea propere necessitatis thronum adire; per quam cum transirent omnes ad lethæum flumen ducebantur, ex quo qui bibunt, omnium oblivisci palam est.

His & aliis antiquitas delusa Magiam Diabolicam credidit naturalem, quod adjuvantes & naturales æstiment familiares genios, ab anima productos; & revera cultum se Dæmoni tribuere non arbitrabantur: ex definitione tamen Magiæ damnatæ eliciemus, an isti sub Magia Diabolica comprehendantur: *Est enim illa ars seu facultas, quæ vi pacti cum dæmone initi mirabilia operatur, quæ hominum captum superant*; ideo tacita idololatria à Theologis dicitur, quia cultus (qui soli Deo debetur,) dæmoni tribuitur. Ex illa Philosophorum doctrina non constat cultum se dæmoni tribuere, explicite: implicite vero, pactum cum dæmone initum, aperte demonstratur, in illis rebus, quæ illi supra hominis captum operantur, non arte, non virtute naturali: hinc à posteritate, velut traditione, omnis emanavit incantatio: hinc omnis delusa ætas superstitiones sine ullo examine haurit: hinc oritur facilis creditu dæmonum operatio; natura enim semper ad malum prona inexhausta libidine sciendi & abstrusa rimatur, & signata solicitat. vile enim videtur quidquid patet; *nitimur in vetitum*, fatali quadam propensione; Dæmones illi inter has ætates coluerunt, non quod pessimos judicent, sed adjuvantes genios, ut hodie (proh dolor,) pleræque nationes autumant, sub hac hæresi mentis, quos passim genios familiares dicunt; hi ergo dæmones invocantur, in incantationem, seu ad determinata veneficia: nam quod illi in virtute verborum præstiterunt, dicitur incantatio, magica; quod in rerum virtute, veneficium; quod arcanam vim habere hæc verba existimentur; nefanda piaculi consuetudo, qua miseri & anxii mortales, terribilia & incognita remedia arcanam vim habere existimabant; fœdæ sævitiæ auxilium implo-

implorantes, & sævioris numinis, quod jam olim, & à longinquo ævo divinitatem optat, dum dies recolligit antiquos & annos æternos in mente volutat.

STATIO II. ARTICUL. I.

Signa & instrumenta Magiæ diabolicæ.

Constans Catholicæ Theologiæ est opinio, quod potest celebrari incantatio, seu facinus infandum veneficii à solo dæmone, absque ullo humano instrumento, sibi gentilitia, cognata, & coæva scientia, seu virtute motiva, impellendo quoddam ex elementis, seu activa passivis ad productionem effectus applicando, seu morbos, aut alias animi passiones inferendo: si non immediate, saltem substrahendo influxus, aut inferendo causas; notum est illud Job, *Egressus est Satan à facie Domini; percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus*; à dæmone etiam vexabatur Saul: illud ultimo patet, à dæmone vexatis & variis suggestionibus exploratis.

Adhuc in rebus prodigiose malis, præstigia, veneficia, & incantationes per homines, velut per instrumenta, dæmones operantur, dum se votis obligant aut pacto fœnerantur, aut tandem sub rebus aut sacris, aut profanis: pactum enim occulitur sub carmine ferali, sub idolis ex ære aut cera fabrefactis, seu sub humano sanguine, parte vestis, &c. Haud ignobile est illud Germanici in Tacito exemplum; Piso abire Syria statuit, mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, Antiochensium plebem per lictores perturbat. tum Seleuciam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rursum Germanico acciderat; sævam vim morbi augebat persuasio, veneni à Pisone accepti, & reperiebantur solo ac parietibus, erutę humanorum corporum reliquię, carmina & devotiones & nomen Germanici, plumbeis tabulis insculptum; semiusti cineres ac tabe obliti; aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari; simul missi à Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes; ac brevi inita oratione, uxori, & domesticis ejus, non multo post extinguitur; ingenti luctu provinciæ, & circumjacentium populorum: corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturę destinabatur, prætuleritne veneficii signa, parum constitit; nam ut quis misericordia in Germanicum, & præsumpta suspitione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur: illa certe extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit; hoc usus argumento; Germanici Cæsaris cor ob venenum, nunquam potuisse comburi, palamque testatus est; quod certe etiam negat Plinius, posse cremari cor in iis qui cardiaco morbo obierunt; aut veneno etiam interemptis. *Lib. 11. Nat. hist.*

Haud minus certe celebre exstitit Claudii veneficium: *In tanta mole curarum*, dixit Tacitus, *Claudius valetudine adversa corripitur; refovendisquę viribus, mollitie cœli & salubritate aquarum Synuessam pergit: tum Agrippina sceleris olim certa, & oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultavit, ne repentino & præcipiti facinus proderetur, si lentum & tabidum delegisset: ne admotus supremis Claudius & dolo intellecto, ad amorem filii rediret: exquisitum aliquod placebat quod turbaret mentem, & mortem differret; deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata, & diu inter instrumenta Regni habita; ejus mulieris ingenio paratum virus, cujus minister, è spadonibus fuit Halotus; adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo boletorum venenum; ne vi medicaminis statim intellectam, socordia ne Claudii, an violentia, simul soluta alvus, subvenisse videbatur; igitur Agrippina exterrita, & quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis medici conscientiam adhibet; ille tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur: haud ignarus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.* *l. 12. Annal. cap. 13.*

ARTICULUS II.

Veneficæ officinæ descriptio & incantationis exempla.

Apuleii est illa Veneficæ officinæ descriptio mirabilis: *Instruxit venefica*, inquit, *feralem officinam, omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infœlicium manium durantibus clavis: defletorum sepultorum etiam cadaverum, expositis multis admodum membris; hic nares, illic cariosi clavi: pendentium alibi, trucidatorum servatus cruor; & extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* *11 Milesior.*

Sic misera mulier apud Quintilianum lamentatur de mortuo filio, sed apud sepulcrum, incantato: *Non inani persuasione*, inquit, *nec cogitationibus ficta, lugentis umbra veniebat: nec agitabat incertos levis imago somnos: ac ne confusi quidem, tristi cinere vultus, & infernum favilla caput, noctibus suis obibat; sed filius erat qualis aliquando & juvenis & pulcer habitu, non adspici tantum viderique contentus: si quid desiderio creditis misera, quæ sola vidit; amplexus & oscula dabat, & tota nocte vivebat; nunc tenebras inanes, & longas oculis flentibus, noctes, juxta somnum mariti pervigil, & tantum deserta metitur; non desiderio fictus & fucatus habitu; nec ut somniorum vanitate conspicitur: sed experta, non tantum mori hominem, illud quod nec flammis uritur, nec cineribus extinguitur, nec urnis sepulchrisque satis premitur, expectat: nunc ista, carcere obseratam animam & repugnantem, Magico juvenem cogitat ferro, infœlicissima omnium mater, plus aliquid esse quam umbram, filium putat; postquam potuit includi, nec sua tantummodo pœna proprioque supplicio, deserta consumitur rescissa orbitate: vel magis cruciatur, quod non licet filio venire cupienti; nunc barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat, & impositum sibi sepulcrum, quod non posit evolvere quæ solebat ipsos discutere inferos, umbra miratur; miser quem non tantum verba clauserunt; (nam forsan per illa transiisset,) sed vincula ferrea solidique nexus ad mortem reduxerunt; maritus sic filiam inclusit, tanquam se inquietari mater ista quæreretur.* *Declamatione 10. sepulcro incantato.*

Veteres olim Medici, ut remedia vulnerum, carmina magica prænoverunt; ut omnis antiquitatis certissimus auctor Homerus memorię mandavit; qui tradidit Ulyssis de vulnere sanguinem profluentem, sisti magico carmine: *Nihil enim*, dicit Apuleius, *quod salutis ferendæ gratia exercetur, debet ut ærumnosum reputari*; Magico carmine Syrenas Ulyssis socios, prodidit Homerus, incantasse;

Apolog. 1. tasse; *Me etiam Æmilianus*, inquit Apuleius, *de Magico carmine apud judices postulavit*; Trallibus de A eventu Mithridatici belli, Magica percontatione consulentibus, puerum in aqua simulacrum Mercurii contemplantem; quæ futura erant, dixit, sexaginta versibus cecinisse.

Olim Magico carmine floruerunt, Zoroastes, & post illum Hostanes; Carinondas, & Funestus Damigeron; Dardanus & Magia illustris Apollonius Tyanæus; si Philostrato credimus; qui (In ejus vita.) de Gymnosophistis retulit admiranda; ut etiam de Bracmanis Indorum: de Sibylla Cumæa sic B cecinit Virgilius:

Sistere aquam fluviis, & vertere flumina retro,
Nocturnasque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Mira cantat Homerus de Proserpina: de Circe, de Medæa Orpheus, & Pausanias, sic de Circe Ovidius:

Exiliere loco, dictu mirabile, silvæ,
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbor,
Sparsaque sanguineis rubuerunt pabula guttis;
Et lapides visi mugitus edere raucos;
Et latrare canes, & humi serpentibus atris
Squallere.

Verba autem quibus feralia carmina componuntur, & in dæmonis cultum, sunt interdum solo dæmoni nota, & ignota dicenti; sacris aut profanis deprompta: aliquando prolata sub ordine confuso: vel in alium finem ordinata: seu sacris, seu profanis commixtis: seu superstitione fraudulenta fucatis: seu solis consistunt ignotis characteribus, quibus dæmon concurrit, ut in fœderis signum: ex præcedenti implicito, aut explicito pacto, quo tenetur, ad invocationem advenire; ut cecinit Ovidius de Medea. D

Concipit illa preces, & verba precantia dixit,
Ignotosque Deos ignoto carmine adorat,
Quo solet: & niveæ vultum confundere lunæ.

(4 Metamorphorsios. Perera lib. 1. Mag. cap. 12. Binsfelt in leg. C. de Malef. & Mathem. qu. 3. concl. 5 & 6. & 7. & hi affirmant. Albert. de Mineral. lib. 3. tract. 1. c. 9. & de concord. lap. Philosoph. Mirandul. lib. 19. sing. certam sect. 1. Pereira in Genesi 36. & Mag. cit. Delrio. lib. 1. Mag. cap. 5. Sect. 2. & 3. Libavius Syntaxi 2. Sing. lib. 1. Raphaël de Torre, tom. 2. quæst. 69. art. 2. disp. 2.)

Quo autem pacto, qua conjuratione prædicta fieret invocatio, turbulento imperio Tartarum concitando: idem Ovidius Metamorphosi dixit, dum Thesiphonem fingit, ad furorem in Athamante concitandum, à Junone immissam:

Thesiphone canos ut erat turbata capillos E
Movit, & extantes dejecit ab ore colubros;
Nec mora, Thesiphone, madefactam sanguine sumit,
Importuna facem: fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam: retroque incingitur angue,
Egrediturque domo: luctus comitatur euntem,
Et pavor & terror, trepidoque insania, vultu.

Sic ordine confusa imprecationes, & ad voces veneficæ, sub hoc ferali carmine, barathrum concitatur: ubi gliscit confusio & squalida turba commovetur: quod fortasse Claudianus depingit; F

Thesiphone quatiens, infesto lumine primum
Armatos ad castra vocat, Palentia manes.

Sic Phœdiæ nutrix, apud Senecam in Hippolyto, lunam hoc carmine conjurat: (lib. 1. de Raptu Proserpina.)

O, magna silvas inter & lucos Dea,
Clarumque cœli Sydus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna facie,
Hecate triformis, en, adest cœptis favens;
Sic te lucidi vultus ferant;
Et nube rupta, cornibus puris eas;
Sic te regentem frana nocturni ætheris,
Detrahere nunquam Thessali, cantus queant,
Nullasque de te, gloriam pastor ferat.

Vetustati olim sua carminibus singularis dicabatur conjuratio: varia pro rei diversitate: Marti dicata à Saliis sua fuere carmina: ut Tullius adnotavit, & Livius; feriales, sua peculiaria habuere ad Bellum indicendum; ad populum Dei maledicendum peculiaria invexit Balan, pseudopropheta: apud Romanos olim exercitus hostiles peculiari devovebantur carmine; si vera nobis dixit Macrobius, & Ovidius: *Ter novies carmen magico demurmurat ore*; & sub vocum peculiari syndrome, invocabantur dæmones: seu sub barbaro cultu, ficta religione: seu sub solemnitate ceremoniæ, quibus Dæmon præsto adesse tenebatur; ut nostri ævi, & veteres adnotavere Patres; quo protinus effectus persentitur, in illo cui veneficium potissime dirigitur; quod fortasse sonat illud Lucani carmen: (Oratione pro Murena. lib. 1. legum. 3 Saturnal. 5. 14 Metamorphos.)

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

Quod plerisque animalibus, infausto fato, natura videtur addidisse, non ad ferale sane veneficium, sed ad fati augurium; sic cecinit Ovidius de bubone: C

Ignavus bubo, dirum mortalibus omen;

Sic Virgilius:

Solis culminibus ferali carmine bubo.

(Ambros. lib. 4 Hexameron, cap. 18. Plin. lib. 22. Nat. hist. cap. 2. Orig. Homil. 13. n. 22. Apul. lib. 1. Miles. Ælianus lib. 8.)

Licet plerique nobilis vetustatis crediderint, dæmonum admiranda præsagia, iniri adhuc per volatilia; aut per illa certe animalia quæ fuere Diis Rhadamanti sacrata: illud fortasse sonant hæc Statii carmina:

Iupiter omnipotens: nam te pernicibus alis
Addere consilium, volucresque implere futuri,
Omniaque & causas, cœlo deferre latentes.

Et septimo Pharsaliæ, sic cecinit Lucanus:

Quis labor, his superis, cantus herbasque sequendi.

Sub variis ceremoniis ab aliis proferebantur carmina: in conventionis signum; sic legitur 1. Elegia Tibulli: sic Propertii:

Ter cane: ter dictis despue carminibus;
Carmine cum magico, præcinuisset anus.

Hoc carmine ferali cruorem sisti, Quintus Serenus asserit: serpentes inebriari Plinius: (lib. 28. c. 22.)

Hæc simul incantans sisti debere cruorem.

Metamorphosim his carminibus fieri, & in varias formas homines transmutari, in Apuleio legimus; licet nobis illud illusorio præstigio accidisse ratum sit: sic furatur Virgilius de Homeri Carminibus: (lib. 1. de Asino aureo.)

Carminibus, Circe socios mutavit Vlyssis.

Sic, venefico carmine segetes incantari, præcinuit Ovidius: (de Remed. amoris.)

Carmine læsa Ceres, sterilem vanescit in herbam;
Deficiunt, læsa, carmine fontis aqua.

ARTICULUS III.

Dæmon opera naturalia mentitur, & imitatur; ut talia credantur.

Pleraque tamen horum salvo pudore, protulit illa nobilis & sapiens vetustas: quod vere crediderit naturalia, cum mirabilem virtutem contemplaretur in herbis, lapidibus, animantibus,

bus, hominibus, stellis, & planetis, sicut plerisque aliis, quibus veluti instrumentis divina sapientia operatur mirabilia: seu in pulchritudinem, seu in conservationem universi; nisi illa dæmonum nunquam satis nota calliditas indelebili in Deum Zelotypia macularet, ut potentia æmulus videretur: qua flagravit invidia, jam olim à diebus antiquis; & sic dæmones, magorum ope, opus divinum funesta necromantia æmulantur: sunt enim apprime prædìti cognitione & scientia rerum naturalium, cœlorum, & universi temporis, præteriti, præsentis, & quadam etiam ratione, futuri; saltem per gyros cœli, per temporum decursus, & hominis naturam, ulli haud satis notam. Quis non novit humores & corporis symmetriam, animi affectus concitare? sub naturali symmetria naturales; ac præter naturam harmonia deperdita? quis non vidit tempestates, sub arcturi influxu, temere concitari; calores sub cane? magnetem ferrum attrahere, & paleas succinum?

Si ergo spiritus nequissimi misceantur humoribus, seu propria virtute motiva, seu activa passivis applicando, quis dubitat mentes humanas, ad pessima quæque non tantum instigare, sed impellere, si misceantur aëri proruptas tempestates, altissimo Numine permittente? Saulem induit spiritus altissimi, & cum aliis Prophetis vaticinatus est; postea vero nefarius spiritus, (Dei permissione) Saulem agitavit, hujus mentem commovit, ut fera rabie in Davidis concitaretur odium; occulte sese ingerit, ac fere nunquam palam insidiatur. *Lib. 1. Regum 10.*

Interdum morbus incidit ex præscripto naturæ, & in illo contingunt mirabilia, quæ forte reputantur à dæmone immissa, ab illo qui nec artis novit, nec naturæ arcana; in his etiam dæmon sese occulte ingerit; quare illa cauta solertia oportet æqua lance librari.

Temperantia minus perturbationibus agitatur; ideo forte Socrates ea animi tranquillitate, & secura constantia celebratur, ut domi forisque semper esset æqualis tolerantiæ, haud inæqualis oris; sed neque in hoc securitas elucet: Socratem enim familiarem dæmonem habuisse, testantur Apuleius, Laërtius, & Jamblichus Platonicus.

Intemperantia est omnium passionum concitatrix, ut quæ à recte sentiendo adhuc viros, celebritate magnos, facilime seducat; hinc pullulant effrenes animi passiones, odii aut amoris: quas dæmon callide imitatur, aliquando neque naturæ metas transgrediuntur.

Mira sane concitat melancholia; sunt in illa effectus indicibiles, quæ humanam mentem superant: (quæ etiam vinum concitare experimur.) hæc stupidos disertos sane reddit, inscientes loquaces, mentem acuit illius moderata caliditas, & tenuis substantia, ut caliditas vini, *quod* (ut vetus parœmia) *cum pueritia & sine pueritia est veridicum*; ideo fortasse Vino, Germani ad consultandum redduntur aptiores; tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat; ac ideo de maximis rerum consultant in conviviis, ut enarravit Tacitus. *Germania cap. 3.*

Eadem ratione, non tantum melancholia, sed bilis adhuc intemperata, prodigiosa concitat, quæ de dæmone etiam sunt suspecta: pleraque nostris in *Feralis* adnotavimus: plurima in Aretæo legimus, Medico antiquissimo; *Illi præterea*, inquit, *quibus laborat cor, sensus aciem exquisitiorem consequuntur ut plus quam antea & audiant, & videant. fiuntque etiam animo puriori, & mente firmiori; proinde non tantum præsentia declarant, verum etiam futura verissima divinatione prædicunt; hæ potestates stomachi non sunt, sed cordis, ubi & anima, & ejus natura inhabitat; ad quod pertinet etiam & virtutum, quæ ibi inhabitant, calamitas.* *Lib. 2. de Sign. & caus. acut. cap. 3. & 4.*

Et parum infra progreditur: *Ubi vero ex febre ustoria talis syncopa incidit, animus stabilis, ac constans est, sensus omnis purus, & integer; subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primum quidem se ipsos de vita migraturos præsentiunt; deinde præsentibus futura denuntiant: cum alibi non credantur, dictorum eventus homines in eorum admirationem, concitat; alii præterea ex iis, cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse quod ipsi soli, præ sensus acumine & puritate eos adesse cernentes, aut forte ipsorum animo viros cum quibus versaturi sunt, prænoscente, atque enarrante: quippe ante in lutulentis humoribus & caligine demersus erat animus: quos ubi morbus exhausit, quæ in aëre fiunt, prædicant; exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur; sed quorum succi, & ingenium adeo extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cum eorum vitalis potentia, jam jam in aërem cesserit, atque abierit.* Hæc Aretæus; ideo forte accidit, ut pueri qui præcocius sapiunt, & præveniunt ætatem sapientia, maturius lamentabili fletu, in spolia fati, & ultimæ calamitatis cedant. *Cap. 4.*

Hæc & illa, quæ in somnis per quietem adveniunt, ad futuri præsagium, species altioris ordinis inducunt, in sensibus sopitis phantasmatumque nubibus expulsis, animum elevant, aut suapte natura, ut Plato voluit, suique speculatione, aut dæmonum perstigio, aut virtute divinitus immissa, Numinis aut angeli ministerio: ut tunc futura, aut aliis occulta; quasi illa in supernis numinibus præscripta oculata fide intueantur, vaticinentur; sic Socrates à falsis accusatoribus de vita postulatus, futuram, primo, judicibus prædixit pœnitentiam, accusatoribus ruinam; ac tandem civitati, seditionem: ultimo tandem sui internecionis diem à Numine per quietem monstratum præsignavit. Theremanes etiam in carcerem conjectus, jam venenum absorbens, sibi adversario Crisiæ delatori, citissimam mortem vaticinatus est; quæ postea evenit; uti is prædixerat; quidam etiam Rhodius, ultimo vitæ limine, sex de vita egressuros nominavit, suo quemque die & ordine, quod etiam palam fecit eventus. Eudemio ad ultimum infirmitatis acto, juvenis ante lectum comparuit, dixitque ei brevi revaliturum, paucisque diebus fore Thessaliæ Tyrannum Alexandrum aboliturum, ac post quinquennium, ad penates lares se rediturum: & convaluit quidem ille, atque paucis post diebus Tyrannum interemit; & exacto quinquennio hunc ipsum obiisse; adeoque ejus animam in patriam remeasse, Aristoteles memoriæ prodidit. Præterea Calanus, Indus, jam jam spiritum emissurus, ocyssimam Alexandri Imperatoris necem est auguratus: sed Pherecides Cyrus, jam morti proximus, cum Ephesis diem suum obiret, *Ælianus de Varia hist. Cicero, lib. 1 Tusculan. quæst. Petrarcha. Valer. Max. lib. 3. cap. 8. Plutarch. in Vita Alexand. Strabo l. 15. Cicero lib. de Divinatione. Sabellicus, lib. 3. cap. 2.*

obiret contra Magnesios vaticinatus est Victoriam quam evenisse ex historiis constat.

Mille denique id genus vaticiniorum sunt, quæ iis quid-ni miraculo esse possunt, quibus intellectum, (utpote corpori repugnantem) ultro corporalia, sponteque sua despicere abditum est? tunc enim sincere discernit intellectus, claretque maxime ad futurorum agnitionem : quod nec omnino difficile, nec plane impossibile est arbitrandum: sed utcunque divina fata volunt, ita cuncta mortalibus provenire: illam enim corporis repugnantiam, mentis & ut illiderent multi, pleraque supra naturæ vires perpeti ausi sunt; ideo enim se ipsos castraverunt Xenocrates, & acutus Origenes, Cybeles & Saturni Sacerdotes: & inter nos ecquid non perpessi sunt Christiani fidelissimi?

Laërtius, lib. 4. cap. 2. Fulginus, lib. 4. cap. 3.

Nec ideo nostræ intentionis est, talia semper fieri lumine naturali, ut quæ possunt principia varia adornare; ac ideo haud semper à dæmone fluxisse, est æstimandum: mitto, quod carmina semper & incantationes, sortiri virtutem naturalem, voluit Avicenna, & Alchindus; nam credidit uterque, imaginationis efficacia, & desiderii verbis, virtutem naturalem impertiri, dum Deum imprecamur, ut exinde radii deriventur, ut fiat quod optamus; seu quod impressionem verba in corpora suggillent, quo mirabilia producantur, ut mors & corporis salus in hominis arbitrio; & eo Alchinde delirium pervenit, ut sola oratione efficaci, posse fugari dæmonem, ratum habuerit; ac omnia ejus nocumenta propulsari.

Hæc tamen vana deliramenta, mira solertia elidit D. Thomas, Delrio, & Suares: nos autem virtutem verborum, & numeri & soni, (qua *carmina* constituunt) in nostro Theseo ad normam Philosophiæ refutavimus : refutat & Baptista Codronchus, & Vairus de fascinatione : quod si quo carmine, aut incantatione dæmon illiminetur, illud seu tacita conventione, aut simulato pacto, credendum est, accidere: & non in virtute verborum, seu carminum, ut de Ephesi Magis enarravit Plutarchus : licet Seneca hoc virtuti tribuat naturali; sed omnino delusus : homini enim non obsequitur Dæmon, nullo jure constringitur naturali, nec adhuc sub implicito pacto : quantumvis dæmon promissam fidelitatem quam iniit in pacto observet infidelis; hoc enim facit, ut homo sibi fidelius credat; Dæmon tamen dæmoni cedit, altioris hierarchię expellenti obsequitur, jure superioris, in pacti observantiam; uterque enim dæmon in Dei creaturam conspirat, & mutuas tradit operas, ad perniciem; ut nos docent divini Augustinus & Lanctantius.

Ab hoc tamen excipias *divina carmina*, quæ in significationis virtutem, & ut Ecclesiæ Romanæ instrumenta, & arma operantur, ut omnis Theologia contestatur, & omnis Jurisprudentia catholica: quare alta mente repone, *Nulla carmina posse virtute naturali dæmones incantare, aut pellere. Nec posse hominem, dæmones expellere, aut vulnera magna sanare, sanguinem detinere, aut hydrophobiam plane curare ex sola vi verborum : an autem sit possibile, hoc fieri à dono sanitatis dicentis, aut dono gratuito, hoc altius involvit labyrinthum, quod fortasse alibi explicabimus.*

2.2. qu. 83. art. 15. Tom. 2. de Religion. lib. 1. c. 25. n 3. lib. 2. Mag. quæst. 2. Moura de incant. opus. 1. Sect. 2. c. 1. n. 5. & Sect. 2. c. 2. n. 2. Cedron. de Morbi venef. cap. 3. Vair. de Fascinat. lib. 2. cap 11. Majol. 2. Canicul. Colloq. 3. Plut. lib. 4. Nat. quæst. Aug. 2. de Doct. Christ. Lact. lib. 2. cap. 14. & 16. Cyprianus, l. de Idolatr. Arles. de Superstitione in Ocean. Iuris, ex n. 9. text. 10. Simanch. de Cath. Inst. 63. n. 33. Grilland. de Sortileg. quæst. 6. n. 18. Navar. in Manuali, c. 11. n. 34. Graf. lib. 2. Decisionum, c. 3 ex n 3. Zerola in Praxi Episcop. tom. 1. quæst. 20. n. 85. llamas in Meth. cap. 3. Sect. 1. Majol. tom. 1. col. 3. Conclusio.

STATIO III. ARTICUL. I.

De Magiæ arcanis, secundum species diversas.

Inter Magias celebratur *Divina*: hæc fuit Adamo infusa ab Altissimo, aliis revelata, ut Salomoni. Hæc est altissima divinarum, humanarumque rerum cognitio : scientiarum nempe complementum, quæ consequitur elevato humano intellectu, altissimi Numinis beneficio, & omnino à sordibus abstracto; ut purissimas rerum essentias, claro lumine intueatur, & naturæ arcana humano intellectui denegata; ceu antipathias & sympathias rerum; unico verbo, est scientia divinitus infusa.

ARTICULUS II.

Magia naturalis.

Hanc sequitur Magia naturalis; *Quæ est rerum arcanarum cognitio per gyros cœli & per syderum cursus, aut per rerum essentias, seu proprietates essentiales rerum:* ideo circa sympathias & antipathias rerum, præcipue versatur; quarum est absoluta cognitio; rerum naturalium inventio, & ad eliciendas illarum proprietates, applicatio; ac tandem perfecta virtutis naturalis adumbratio : seu per artem activa passivis applicando, seu ipsas rerum proprietates eliciendo.

ARTICULUS III.

Magia Medicinæ ex Arcanis.

Magiam plerique dixere naturæ Medicinam, forte quod hominis sit perfecta cognitio; an quia vaticinatricis æmula; nobis autem quid amplius continere videtur; an quod noverit Medicus, qui ex anima in corpus morbi refluant? quod plane detegit magiarum altissima : *Est autem talis hæc Medicina*; dixit Plato, *ut caput solum curare nequeat, ut sæpe ex peritissimis Medicis audivisti : qui quoties aliquis de dolore oculorum eos consulit, ajunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeatur : neque caput, absque totius corporis medicina, posse curari :* cæterum Xamolxis, Medicus antiquissimus Thraciæ, ait, *ita neque sine anima, corpus : eaque causa est, cur Medicos Græcos morbi corporis multi lateant, quia totum ipsum ignorant*; *quod imprimis curare oporteret : quo male affecto, impossibile est, partem aliquam bene valere*; *omnia namque vel bona, vel mala, ab anima in corpus, & hominem totum, manant*; *animæ vero medelas esse docet, incantationes quasdam, easque præclaris rationibus contineri*; *quibus animæ temperantia tribuatur*; *ille autem cum medelam incantationesque doceret, me constrinxit, ne aliqui contra capitis dolorem remedium adhiberem, nisi prius animam incantationibus ipsis purgandam commiserit.*

Dial. Carmides, seu de temperantia.

Fortasse quod omnes fere antiqui in hoc sint unanimes, corporis nempe complexionem animi sequi virtutem; quæ virtus, si sit æqualiter temperata, actio quoque corporis erit perfecta; aut è contra; illud etiam voluit Galenus esse ratum, ut quando mens humana rem aliquam diligit, ut amabilem, licet naturaliter non juvativam, sibi eam

Gal. lib. de Incantatione.

eam prodesse certificat, ex sola mentis intentione: corpus enim res illa juvat, ut siquis sibi prodesse confidat incantatio, quæcunque illa fuerit, ex hoc loco princeps Avicenna suam mentitur imaginationis efficaciam; nec Galenus se ab hac sententia monstravit alienum: *Si enim complexio corporis*, inquit, *virtutem sequitur anima, necesse est rem taliter se habere; hoc enim indicant animæ passiones: dum ad timorem, lætitiam, odium, aut amorem, corpus, permutat anima, ut omnis actionis principium; licet sola imaginationis efficacia.* Ego enim ista vidi sanitatis diuturnarum passionum causas fuisse: & in sanis fuere infirmitates causa; ideo forte Socrates, *Incantationes*, inquit, *verba sunt decipientia rationales animas, secundum spei conceptionem, aut secundum timoris incisionem:* tantum ideo Indi Medici incantationem adjuvare rati sunt; & Græci tantum incantationi detulerunt, ut hac sola, anima à se ipsa egressa, ad perfectionem suam revocatur: qua revocata, corpus naturalem redire ad statum, cum corporis complexio animi virtutem insequatur. Et hinc patere potest interpretatio ad Galeni locum in libro de Humoribus, quando dixit: *Intellectus, & scientia, in anima, ex complexione augmentatur cholerica: continentia & studiositas ex melancholica: ex complexione sanguinea delectatio;* taliter enim corpus, qualiter anima, permutatur; constat ergo ut si Medicus incantatione, seu, per dulcia verba, seu per melodiam, animæ passionibus medetur; necessario etiam corporis alterationes, quæ ex illis emanant, temperentur; vitali redintegrata physi; quoniam si his conveniens medicina injungitur, corpus animæ incantatione adjuvatur; & sanitas mutuo utriusque consequitur.

Sic sentit Avicenn. & Abenzoar.

Hæc in ordine dixi, ut ille communis error depellatur, dicentium nobilem existimasse antiquitatem, incantationes, illatas veneficio, posse remediis depelli naturalibus: vel non prorsus esse à dæmone immissas: quorum neutrum judicavit vetustas. quantumvis dicat quod incantationi medeatur incantatio; veteres enim animam, errore à se egressam judicabant incantatam, & incantationibus contrariis mederi, illas tamen præclaris rationibus contineri; ideo fortasse dixit Quintilianus, quod Rhetorica sit artis incantandi particula; nec incantationes æstimabant à dæmone immitti, ut qui existimassent genios esse, medium inter mortales & immortales Deos, ut ex Jamblicho patet: quare, quæ naturalis medetur incantatio affectus naturales, præclara continetur solertia, qua temperantia animæ tribuatur.

Pars tamen illa Magiæ, quæ Medicinæ soboles ab antiquis Ægypti sacerdotibus, velut per manus traditur advenisse, Pythagoræ, Empedocli, Democrito, Platonique; quoniam quo quisque auxilio adeptus sanitatem, id conscriptum Memphis, in Hephœstio Vulcani, & Isidis sacrario deponebat: ut etiam Magiæ antistites Græcorum sacerdotes, ea in aditis templorum, Apollinis & Æsculapii in Pergamo etiam recondita servabant; quæ postea illi, velut Æsculapii oraculo, tradita prædicabant; ut sic à Numine accepta referrentur. Unde ortum est, ut Magi non essent olim infimæ sortis homines, sed apud Persas, Æthiopes, Indos & Chaldæos proceres ex Regia stirpe; qui secretioribus Philosophiæ, & Mathematicæ arcanis educati, sagacissimi sympathiæ rerum naturalium & divinarum explanatores fierent; quorum notitia satiati admiranda, & vulgo incredibilia, opera effectui dabant.

Inest enim in rebus lex tacita, & occultus consensus, aut certa desiderii proprietas, qua, citra visibilem contactum, afficiuntur mutuo, alterantur ad invicem; nonne est peculiaris herbarum cum sole & luna sympathia? ut de heliotropio & melchico luce clarius patet; cucumeres, mandragoræque crescunt, crescente & decrescente luna: Orpheus, Theophrastus, & Proclus, de lapidibus mirabilem virtutem tradiderunt; ex spirituum sympathia & consensu astrorum; ut non tantum valetudinibus, sed animis hominum imperare videantur. Jaspis sacrificia Diis accepta reddit: Achates conjugum conciliavit animos: Herculeus lapis amat Septentrionem, ut nunquam ab illo videatur discedere: candidus Selenites in Arabia, pro lunæ incremento, & crescit & decrescit: ut ex his palam fiat, plantas, radices, lapides, & astra, quadam divina lege consortii conspirare, & se mutuo affici.

Proclus lib. de Magia. Diosc. lib. 5. cap. 100.

Quod ideo accidisse dicit Plato, quod cuilibet rerum speciei influit peculiare astrum; velut polus magneti; & cuilibet astro, peculiaris intelligentiæ dæmon: ut proprius cuilibet genius à divina mente sit dicatus. Quicunque ergo sympathiæ desiderium, & antipathiæ consensum recte noverit; hic certe admiranda per herbas, per lapides & plantas, & spiritus rerum Magiæ admiranda producit; quid multum? harum illecebra abstractus (dicit Plato) spiritus in sui colloquium allicere valebit; ac ideo magiam ex sola rerum sympathia constare Proclus dixit; & Psellus; quo imperio sibi coëgit cæteras scientias inservire.

in Thimæo.

Proclus lib. illo de Magia & Sacrificio. Psellus, lib. 6. Cas. Plin. lib. 16. Nat. hist. & 30. cap. 2.

Hoc Plinius præ cæteris extollit: *Magia*, inquit, *fraudulentissima artium plurimum toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit, auctoritatemque ei maximam fuisse nemo miretur.* Quandoquidem sola tres alias imperiosissimas humanæ mentis, complexa, in se unam redegit; quare natam primo è Medicina nemo dubitat, in rerum cognitione altissima scientia; nisi specie salutari irrepsisset, ac blandissimis, desideratissimisque promissis, vires accidisset religionis: ad quas etiam nunc maxime humanum genus caligat; unde miscuit Mathematicas nullo non avido futura præsciendi; eaque à cœlo peti verissime credenti; hominum sensibus ita arcte possessis, sub hoc triplici vinculo, in tantum fastigii adolevit, ut hodie in magna parte gentium prævaleat; ac in Oriente Regum regibus imperet, ut nostri Colones Indiarum etiam tradiderunt, vel oculata fide; nam barbari illi Reges, Magorum jussis, in suis sacrificiis velut Deo obtemperant; parent Dæmonum cultui.

Sed ad Magiam naturalem conversi, mirabilia non raro naturæ viribus accidere videmus; præstigiis similima, & quæ Dæmonum astum æmulentur; adeo ut olim dixerit Plotinus & Synesius etiam, *Natura plerunque videtur esse maga*; nam ludit crebro in humanis divina sapientia rebus; latet enim in toto sensibili, & æthereo mundi cor-

pore spiritus cœlestis, ille syderum calor vivificus, omnes alias elementorum qualitates simplici eminentia virtualiter continens: ac viget in spiritu anima, in anima vero mens & intelligentia; quæ admirandos cum in morbis; tum in animalium fœtura, tum in virtute rerum inaspectabili, parturiunt effectus, etiam sine semine; sic ex ocymo herba, scorpio nascitur; ex mortuo bove apes, & ex saliva sub fimo putrefacta, dum sol & luna secundum Leonis faciem occupant; Persarum Magi, avem merulæ similem ad naturæ imitationem procreabant, cujus adusti cinere lampade insperso, domus serpentibus referta videbatur.

ARTICULUS IV.

Magia artificialis.

Sic narrat Tull. lib. 1. Tuscul. & 2 de Deor. natura.

Artificialis Magia est prorsus incantatoriæ æmulatrix; dum numeros & gyros Mathematicæ, & præstigiatoriæ apparentias imitatur: in hac celebratur Archimedes, ex vitrea sphæra nobilissimus: hæc enim Deorum incessabiles gyros imitatur; & orbium conversiones peragit, motu inaspectabili: annos, menses & dies clarissime designat: sic Claudianus cecinit de hoc vitreo ex arte animato miraculo:

in Thebaida.

Iura poli Regumque Deorum,
Ecce, Syracusius transtulit arte senex;
Percurrit proprium, mensibus & signifer annum.
Et simulata novo, Cynthia mense redit.

Zon. tom. 2. in Obsidione Syracusana.

Naturæ mirabilia ars mentitur, si non architectatur: mira enim Zonaras de Archimede narrat; hostiles nempe naves in obsidione Syracusæ, miro artificio attraxisse ac impetuoso motu submersisse: & alias in pabulum ignis redegisse per specula, igne è diametro contrario accenso, solis reduplicatis radiis: quæ Plinius secundus diabolico præstigio facta existimavit; & Democrito tribuit; forte ut tanti viri auctoritate ornet quæ dicit ultrà fidem: accipitrem nempe rapidissimam avem, in chamæleonte humi repente trahi; si supervolet eum; ut vi in terram cadat, in prædam cæteris futura animantibus, & caput collumque chamæleontis, si roboris ad ignem exuratur, in aërem, imbres, & horrida tonitrua sponte concitare; aut si jecur illius tegula exuratur; & si sinister pes chamæleontis igne candenti lamina torrefiat, cum herba etiam quæ dicitur chamæleon, & utrumque maceretur, additoque unguento, & configatur mollitie in pastillos; eosque ligneo vase conditosque portaverit, redditur aliis invisibilis; licet in medio cum aliis versetur; sed sit penes auctorem fides: lingua chamæleontis femori alligata, pericula tollere puerperii creditur, & si viventi animali exempta sit, & secum deferatur, ad fœlicitatem consilii, & eventus, pollere; pedemque è prioribus dextrum, hyænæ pelle adligatum sinistro brachio, contra latrocinia, terroresque nocturnos juvare, legimus; ac præterea secum jecinore deportato, veneficia dissolvi amatoria; & cauda secum ducta sisti flumina, & impetus aquarum; ac tandem serpentes soporari: hæc ultima severe damnat Gellius, & Plinius condemnat, ut certe de veneficio suspecta, ut nos etiam credimus; primum tamen remur fidem non superare, nec altam naturæ majestatem; sunt enim mirabiles & abstrusæ sympathiæ, & antipathiæ rerum. Quis non novit per funiculum & brachium, torpedinem, corpus totum in torporem adigere? & ad leonis aspectum pavere animalia? & ad galli cantum totis visceribus leonem contremiscere? & odium inter ovem & lupum?

lib. 28. Nat. hist. cap. 8.

lib. 1. Noct. Atticarum. cap. 12.

De Echino quæ navem remoratur, velis & funibus tumentem, non est omnino apocrypha traditio. Nam, ita inter classicos auctores celebratur; & si est certe vera, aut talis fit attractio per species; aut mora, vacui ratione; aut ab utraque causa simul; si non dicimus, quod circa scopulos pisciculus ille versatur, quibus est illa virtus remoratrix; & falso Echino tribuitur, ac si esset scopulus de lapide magnetis, qui ferrum trahat, navigiis affixum; nec implicat, in profundo maris fore montes magnetis, ut sunt montes corali; nam præcipites montes, & inculta silvarum insequi, maris alveos, quadam veluti necessitate consequentiæ, ad terras, cum quibus copulantur, est constans nautarum & celebris opinio; fidem facit, quod arbores & plantæ maris in profundo nascuntur; & extrahuntur retibus.

Quare si ferrum tenacissime navigiis affixum non extrahitur, ad attractionis violentiam, ut navis consistat, est omnino necesse; & hoc medius fidius, cum pisciculus ille, circa scopulos maxime delitescat.

Si vero navis ex propria pisciculi virtute remoratur, par est illud accidere cum arctissime affigatur navigio, ut evelli quacunque violentia non queat: cum ab ipso species in navem demittantur, vel etiam corpuscula more torpedinis, quo consuetam attractionem pariat: quare cum navis non possit in profundum submergi, ob levitatem lignorum; nec ab ipso echino evelli, vacui ratione, fit inde ut firmetur, aut retardetur saltem; veluti quando ferrum inter magnetes validos aëris in medio consistit, ut nec hinc, nec inde ascendere, aut descendere possit; (famosum Mahometis miraculum in Arabiæ delubro, pro conservandis ossibus intra laminas ferri, infami carie jam combustis) dum æquali potentia libratur, attractio & pondus; sic par erit resistentia in navigio inter pondus & aëris impulsum & species, quibus nititur trahere ad contrarium; in quorum pugnæ medio firmari est omnino necesse; hæc si dubia non placent, ut vera, non credantur.

Haud minus certe mirum est illud, quod Plinius Democritum retulit scripsisse, aves quasdam esse certis vocibus notas, & harum avium confuso sanguine serpentem generari, quam si aliquis comederit, linguam & avium colloquia intelligere.

Architas Tarentinus Pythagoricus, haud minus adinvenit mirabile; neque ideo unum videri debet, (dicit Gellius;) nam & plerique nobilium Græcorum, & Phavorinus Philosophus, memoriarum veterum exequentissimus auctor, affirmantissime scripserunt, simulacrum columbæ è ligno, ab Archita ratione quadam, disciplinaque mechanica factum, volasse: ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa, atque occulta consitum.

Multa ars imitatur, multa edit Natura supra fidem,

Sic Glitias in Annalibus. Arlis 1. Polit. & 1 de Hist. Anim. Gellius cit. loco. Cassiod. l. 1. Variar. Epist. penult. Politianus Epist. penultima. Clem. l. 6. Stromat. Majol. tom. 1. Canicul. Colleg. 23. fol. 166.

fidem, quæ damnatam redoluere magiam, cum sint solius naturæ, aut artis admiranda; ante Leonem imperatorem, aureæ saltantes cecinerunt aviculæ; serpentes ex metallo sibilantes Boëtius in horrorem conflavit; pennatis alis Dædalus Mæonia aufugit; ita enim ad pondus simulacrum libratur, ut aura spiritus inclusa in exitu harmoniam, & sibilos facile concitaverit; quod à natura factum, docuit Clemens Alexandrinus in Britanniæ silvis: *Cum aëre moveantur folia*, inquit, *per repentinum & densum spiritus impetu edit sonos, avium cantui persimiles*; & Romæ organa Majolus testatur se vidisse, quæ tubas, tympana, hominumque choros referebant, adeo ut fœmineas voces crederes audire; quod apud nostros etiam frequentissimum est.

ARTICULUS V.

Magia præstigiatoria.

lib. 1. Asini aurei. cap. 1. tom. 1. Canicul. Coll. 4. Isid. 8 Ethymol. 9. Lud. Perior. adversus fallaces artes. l. 1. c. 9. Buleng. lib. 1. Mag. c. 11.

Præstigiatoria Magia, est sensuum illusio, ab arte naturali, vel à dæmone; est quædam decipiens apparentia, quæ in ipso opere veritatem mentitur; ut dixit Apuleius & Majolus; velut in iis qui agilitate patrant mirabilia; aut arcanis naturæ sibi notis: *Præstigium*, dixit Isidorus, *est falsa repræsentatio sensuum acumine deluso, maxime oculorum, & à perstringo dictum; quia aciem oculorum perstringit, ut esse appareat quod non est.* Quot autem modis magico artificio operetur, altior docuit Philosophia, dum ab ignotis sympathiis docuit eutrapelias varias: seu per solam artem *Perspectivæ*; quod tripliciter accidit; vel per mutationem objecti, vel aëris intermedii, vel ipsius organi; ab objecto, ut dum quod ostendit objectum, celeri agitatione, aut varia collocatione occultat, aut separatione, vel penetratione rerum, quæ ostenduntur: quod etiam fieri novimus per artem Perspectivæ, certa dispositione in ordine ad oculum videntis; ut cum lineas confundit, directe vel adverse; sic paleas humi stratas, si lychnio de cera, & coreo serpentis sulfurato, accenso conspicimus; serpentes veluti saltantes apparent.

Ex parte aëris medii, si species rerum, quæ ad oculos deferuntur, hoc aut illo colore fucatæ deferantur; & sic possumus res, quæ ante oculos sunt, occultare; possumus etiam aërem medium modificare, ut res videantur, & aliæ, & aliter ac sunt; ex qua arte homines sine capitibus apparere conspicimus, & cornibus, alii defœdati, ut alii facie angelorum, vel dæmonum, ut postea videbimus; inter eutrapelias.

Fit alia illusio, si aër inspissatus vel aliter disponitur, ut sensus inde decipiatur; vel si moto aëre medio, simul species moveantur, ut contingit in ebriis, & in vertiginosis, quibus omnia circumagi videntur: & illis qui in navi feruntur, quibus montes etiam moveri apparet.

Vel ex varia multiplicatione & conformatione specierum visibilium: quod etiam ex forma instrumenti consequitur; ut cum unico specillo plures unius objecti figuras cernimus, una in medio collocata; quoniam si est arbor, multas arbores cernimus, si aurea catena, multas similes, &c.

Vel etiam interposito inter pupilam & aërem aliquo, quod species objecti dividat, & separet, quo res plures, aut alia dispositione videntur, ac sunt: quod etiam nobis accidit, dum inter cristallinum humorem, & tunicas, aliquis humor, aut vapor interponitur.

Interdum ex varia collocatione, aut situ instrumenti, illud accidit; ut si plura diversis in locis apponantur: vel taliter ad solis radios, ut ex reflexione radiorum, & multiplicatione ignem accendant, multiplicati radii; quo naves tradunt combustas in portu Pyræo à perito artifice.

Per varias applicationes etiam specierum ad phantasiam, & imaginativam, varia & prodigiosa nobis sæpe repræsentantur, ex maxima vi imaginationis, licet vere & realiter non sint.

Organo permutato deceptio sæpe contingit; sursum, deorsum, vel ad latera, dilatato, vel constricto, seu aliter disposito: hinc fit, ut res germinatæ appareant, latæ, longæ, recurvæ, aut perforatæ, aut alia figura, pro organi dispositione; in alto, in occulto, in concavo, aut plano: inde enim mirabiles fiunt eutrapeliæ.

Hæc omnia quæ Magico artificio natura & ars confingit; potest etiam dæmon, intra naturæ limites operari, seu activa passivis applicando, seu per motum localem; nam dæmones illa omnia possunt, (divino Numine permittente) quæ per motum localem seu alterationis, seu præstigio, vel illusione consequuntur; dummodo cum periculo non sit totius universi, nec illius pulcritudo offendatur; & ex istis pleraque sola applicatione peculiaris modi, quo præstantiora etiam operantur, quam ars & natura, in quo dignoscuntur, adhuc in opere naturali, talia à magico in virtute dæmonis fieri: nam sunt quidam effectus in causis naturalibus, qui pendent ex applicatione, quæ si non fieret, secundum communem cursum, non producerentur: & hoc noscitur in modo, in superstitione applicandi, & in aliis quæ excedunt communem naturæ cursum, quantumvis effectus sit solius causæ naturalis. quare in his non est solus considerandus effectus, sed illa applicatio: nec sola applicatio, sed vis naturalis applicata, si superat causæ naturalis facultatem; nam tunc est talis actio damnanda: & hoc observa in motu locali, & alterationis, dum differentiam intendis invenire inter morbos, veneficio, aut natura inductos.

His etiam causis naturalibus solet dæmon varia præstigia inducere; quod tripliciter posse efficere, antea adnotavimus; ut artifices etiam operantur; mutatione, nempe, objecti, aëris intermedii, & organi: & in his causæ naturalis elevatione sæpe vincit naturalem effectum, vel in actione prodigiosa, vel supernaturali, respectu nostri; & sui respectu naturali: ut quando in imaginatione & phantasia videntium, quædam repræsentantur quæ non sunt; ut quando in mensa vasa mero plena moventur, alia locum mutant, vel alia figura videntur, quam sint; quod plerosque legimus factitasse; seu cum homines in bestiarum figuras videntur permutati. Hæc omnia nolui præterire, ut si quiddam in hac eutrapelia prodigiosum videatur, facile à perito discernatur.

Cum hoc tamen pleraque ita prodigiosa quotidie se monstrant, ut de pacto suspecta videantur,

lib. 1. Clio. tur, quantumvis naturalia: *Sunt enim apud Masagetas*, dicit Herodotus, *quædam arbores, talem fructum ferentes qui jactus ad ignem ad calefaciendum, focum coronantes, sic odore suo reddit ebrios, velut vinum Græcos; & eo vehementius, quo plus erit injectum, usque ad tripudium consurgant, & ad cantum perveniant.* Ista tamen Magi dæmonis astu sub pacto imitantur, ut de Simone Mago refert Tertullianus; qui fecit statuas ambulare, & ad nutum quærentis respondere: in conspectu Domitiani Imperatoris, Apollonius Thienæus disparuit: Simon Magus admirando præstigio homines in varias formas transmutavit, & tandem mortuos ad vitam apparenter revocavit: quæ postea quadam eutrapelia vertebantur in aërem, ut Philostrarus dixit.

STATIO IV. ARTICUL. I.

Magia Chrysopœia, hoc est, artifex auri.

Hi promiscue tractant de Chrysopœia. Augustin. in Chrysopœia. Raimund. Lullius in Compendio transmut. metallorum & in praxi Philosoph. Arnal. Speculo Chymicorum. Chrysippus Fabianus, lib. de Arte Chymica. Bernardus Trivisanus lib. de Chymico miraculo. Ortulan. in Praxi Chymica. Panot. lib. de Transmut. metallorum. Cardan. lib. 27. de Subtil. Averr. in Paraphras. ad lib. 1. de Generatione. D. Thom. Sent. 2. distinct. 7. quæst. 3. art. 1. Tostat. in Exodum cap 7. Ægidius Romanor. quodlib. 3. quæst. 8. Palat Sent. 2. dist. 7. Casa-nov. in Catalog.

Magia Chrysopœia perenni sublimatione incipit, vivit, crescit, & sub igne, ut Salamandra moritur; fere in fumum versa; dum homines implicat sciendi desiderio inexhausto, opes immensas fallaci illecebra, exhauritur; qua plerunque capiuntur, & ad pernitiem elabuntur ingenia, & maxime solertia: si non avara maxime; ea potissime quæ discendi cupidiora sunt: attamen sunt illi chymici rationum, & non auri, quorum scientia in fumum vertitur; in *lapidem philosophicum*, quem nunquam assequuntur inhiantes.

Hæc mihi ars videtur potius in ingenii, & solertiæ ostentationem inventa, quam in veram fabricæ rationem; quare in hac Chrysopœia periti, si ea quæ præmittunt operantur tot pericula, tot clades, tot naufragia, per maria, & terras adhuc non satis notas, in vix tolerabilia se præcipitant. Quare pauperes & egeni in summa pace & in tranquillitate, auri grana per sublimationem eliciunt? ô hominum illusio, si hoc possibile experimur, & aurum non elicimus; erit summa dementia: & si est impossibile, est execrandus furor.

Hæc ars, sicut aliæ nobiles, nobilibus innititur præceptis, & principiis, illisque deductis ex naturæ arcanis: in quibus fuere clariores divinus Augustinus, & Lulius Raimundus, & plerique virorum aliis in scientiis nobilissimi: nisi illam fœdasset barbaris & ignotis præstigiis Paracelsus: nam pars illa Physiologiæ, quæ in spem Medicinæ dirigitur, est certe utilissima, sicut *auri potabilis* in ventum, & extractum ex metallis & gemmis, & spiritus vitæ; & pleraque artem mirifice nobilitant.

An autem transmutationibus sublimatis, fusis, & liquatis metallis, vera auri substantia consequatur, sub forma pretiosi metalli, discors est aula nobilium virorum. Divus Thomas, & acutus Averroës, omnino reclamant, formam auri educi de potentia materiæ, virtute ignis, inter hæc accidentia. Contrariam protulerunt sententiam Albertus Magnus, Mirandulanus, & Martinus Delrio, & plerique alii, ingenio exculti: ac illa Ecclesiastes Metaphorica verba, cap. 10. vers. 6. de hac arte prolata retulerunt; Julius Arnaldus & Fabianus; *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & revertatur vita aurea & conteratur hydria supra fontem: & confringatur rota supra cisternam, & revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum, &c.*

gloria mundi, part. 11. considerat. 40. Cajet. 2. 2. quæst. 77.

Hydria enim est compositum illud ex septemplici metallo, quo lapis Philosophicus configitur, ex mira Philosophia: ex quo sane vita Aurea nascitur: sin minus, funiculus Argenteus, & in reelementationem illius redit ad terram suam, & spiritus ad Deum veluti in auctorem scientiæ.

Varia ratione auri materiam sublimari plerique rati sunt: alii dixerunt purgatione consequi metallorum, longe continuata: productione alii, & transmutatione plerique: aut sola coloratione; qui minus artis callent. Productio est quædam veluti naturæ imitatio; hæc enim in visceribus terræ, mixtum illud, variis terræ sortibus, longo tempore solis ad calorem & influxum consingit; & vi illius superioris causæ, quæ ultimam dispositionem introduxit, introducitur forma quæ recens generatur; hoc est educitur de potentia materiæ, ex virtute agentis. hæc forma, quæ producitur, aliquando est sulfuris, ferri, aut æris, aut stagni; secundum obedientiam patibilis; seu prout hoc, aut illud prævalet elementum; quoniam si plus habeat terræ in mixtione; vel producitur, ferrum, æs pallidum aut plumbum; si plus liquidi aëris sit in mixto, producitur stagnum, fortasse hydragyrium; si cum aërea, aquea prævaleat substantia, mixta cum spiritu ignis; sin autem plus igneæ substantiæ subtilis terræ ponderoso misceatur, fit sulfuris subtilitas: quod si terra sordibus defœcata in metallum conscendit, ubi sit major pars spiritus aërei, & ad solis fornacem vehementer excocti, adhuc mixta substantia alterius metalli, tunc resultat argentea substantia ubi ad talia symbolizat terræ situs: si vero sub illa mixtione flavi spiritus magna suppetit quantitas, illaque jam excocta, sub solis dominatu, & vehementer à crassiori sorde defœcata, tunc auri forma, vi caloris solaris, de potentia materiæ educitur. Interdum etiam ex elementari, & confusa materia, natura ad solis aspectum quid rudius effingit, & illo coalescunt metalla, ut Plato docuit in Thimæo.

Arlest. 3 Meteororum ad finem. Albert. Magnus, lib. 3. tract. 1. c. 2.

Ex hac ergo Chimici edocti Philosophia, ad materiæ, naturæ, & solis imitationem, & eliquant metalla, & confundunt, & lento igne concoquunt, & separant mercurio; ut in proxima auri materia, Terreum separetur, aëreum exhalet; ut auri vita, jam sordibus exuta, ab omni fœce purior, jubilet & exultet; in tam brevi spatio, supplente caloris ignei actione, per gradus acquisita; quod solis influentia tam longo curriculo peregit: ut docuerunt Lulius & Gerardus, quod per varias sublimationes comparatur. Alberti Magni nobilis est sententia: *Omnium operationum Alchimistarum*, inquit, *melior est illa, quæ producit ex eisdem ex quibus producit natura.* Sicut ex purgatione sulfuris per decoctionem & sublimationem, & ex purgatione argenti vivi, horumque bona permixtione, cum materia metalli: ex his enim & ex virtutibus horum, omnis metalli species inducitur: metalli autem quantitas sit quadruplo major ad sulfuris & Mercurii quantitatem; si adsit conjunctionis medium, quem Lapidem Philosophicum dicunt; in mare aqueo, hoc est in mercurio, ut dixerunt Raimundus, Lulius, Bernar-

Lulius in Practica Philosophorum. Gerardi Chymica Philosoph. Arnald. in Speculo Chimico. Trivis. lib. de Chimico miraculo. August. in chrysopœia. Robert. de Varietat. artis Chimicæ. Laurent. Ventura de Lapid. Philosophico. Mirandul. lib. 29. singul. certamin. Sect. 7. Abb. in cap. Ex Tuarum, de Sortilegiis. Zuinger. in Theatro Vitæ Hum. volum. 20. lib. 3. Cælius Rhodig. lib. 11. antiq lect. 13. And. Libavius singul. part. 1. Syntax. 11. M. Del. Sect. 4. quæst. 2.

Bernardus, Oenotus, & Dorneus. Ex his verum produci Aurum, constanti sententia tenuerunt, qui vix possunt numerari auctores, positis necessariis, & amotis contrariis: & certo caloris gradu, ad artis necessitatem intenso aut remisso, prout hoc opus petit: nam igne vegetantur metalla, dum ad liquationem separantur, ad quintam essentiam, seu ad auri spiritus anima metallorum, ut Chimici dixerunt: aliis elementis in cinerem conversis, in aquam, in terram aut vapores aëreos; & quod ultimum remanet, aurum perenne dicunt; non illud quod fucato colore ars mentitur; nam post longos labores & sublimationes alii auri consequuntur substantiam, non colorem; & alii colorem certe pallidum, sed non auri substantiam, nullus fere vera productione attingit lapidem Philosophicum, ac ideo nullus aurum producit; si quis forte est impari labore, & dispendio, & sub majori pretio, quam sit aurum productum; quod certe nobilitatem artis in opprobrium vertit; nam de hoc *sussisticato* auro, omnes qui artem damnant, intelligendi sunt.

ARTICULUS IV.

Metallorum specifica productio à natura.

Supponamus primo illud, in quo omnes conveniunt, causam nempe metallorum in genere, fumosam esse materiam, mixtam ex vapore aqueo & exhalatione terrestri; materiam vero specificam, propriam, & propinquam, esse sulphur, & argentum vivum: causam vero efficientem, non unicam constituunt, sed triplicem, calorem nempe cælestem, terreum & aqueum ad invicem commiscentem, & gradatim ea in terræ visceribus concoquentem; cum cælestis calor, ad terræ centrum satis efficax, ad metalla & gemmas producenda, perveniat; & esse præter ista virtutem formativam, metallicam, in ipsa materia metallorum, quæ influxum cœlestem, sub certa patibilium dispositione determinat, ad metalli formam introducendam, hujus aut illius metalli; materiam tamen cœlestis calor disponit, dum homogenea congregat, heterogenea separat, ut ab inutili utile separetur.

Ultima causa, est mutua virtutum cœlestium atque terrestrium proportio, efficax ad subigendam & informandam materiam metallicam; sol enim tam mira operatur, non solo lucis calore, sed influxu & radio invisibili; quia corpus solare in prima orbis creatione factum est, ut graves auctores tradiderunt; ex spiritu tenebrarum, & cœli Empyrii essentiali portione; ut corpus vegetabile, ex spiritu tenebrarum, è medio cœlo deorsum, lucis præsentia & virtute propulsatarum, & ex luce ejusdem secundaria; & corpus minerale factum est, ex spiritu tenebrarum infimi cœli, in prima orbis fabrica, cum scintilla quadam lucis debilissimæ; & licet proprius effectus lucis sit, attenuare; (nam quo major illa est, subtiliora & tenuiora reddit corpora) quia lux in cæteris cœlis fortior est & potentior, quam in infimo cœlo: ideo illa lucis portio, non sufficit, ad densos & rebelles tenebrarum infimarum spiritus, subtiliandos & depurandos; unde fit ut vincat omnino, in hujusmodi mixtione materia, formaque lucis miseræ, & perpetuo incarceretur in hujus materiæ ventre, propter nimiam pororum in ejus corpore constitutionem, seu exiguitatem, ac magnam spiritus viscosi tenacitatem.

Hinc corporis ejus grossities, gravitas, & soliditas; hinc ejusdem animæ viventis, respectu corporis, substantiæ paucitas, & spiritus ipsius inagilitas, generandi & multiplicandi difficultas, seu insensibilitas: & inde est ut putetur sterilis; nam partibus heterogeneis, tenebrosa spurcitie, circumvolutis, contaminata, anima ejus impeditur, in motu suo, propter sui spiritus densitatem, solidamq; congelationem; quia nimis exigua est, lucis inclusæ virtus calefactiva, ad frigoris corporis mineralis injurias propulsandas, more vegetabilium, evidenter vivere, aut crescere non percipitur; nec valet ejus anima spiritu grossiori inclusa caput suum super terræ superficiem exaltare, & versus suum locum naturalem, exemplo plantarum tendere; tum, quia debilior est, ejus quam vegetabilium virtus: tum quia firmioribus vinculis in corporis mineralis centro clauditur, & retinetur.

Et quia cujuslibet rei corporalis appetitus, est ad perfectionem tendere, media illa lucis portione, quam à suo principio sortitur: sic illa lucis scintilla, in corpore minerali, laborare non desinit, quousque paulatim, victrix evadens, totam sui corporis massam in suam naturam activamque qualitatem, & splendorem reducat, ut in auri generatione patet: unaquæque res enim nativo appetitu, ad perfectionis metam tendere conatur; per illum motum quem lucis aliqua portio producit: ideo lux illa corporis mineralis spiritu inclusa, licet exigua, & quasi scintilla, tantum corpus suum perpetuare cupit; & more ignis, terream & aqueam, ejusdem dispositionem superare, spiritu suo mediante, contendit: ac totum illud subjectum rebelle suæ voluntati, & naturæ, subigere. Quare licet in primordio ejus subjectum sit suæ animæ, quasi grossus quidam, & obscurus carcer, in quo fortissimis quasi catenis detinetur, ita ut in suo centro, vix moveri percipiatur; attamen successu temporis, paulatim, influentiarum lucidarum, usque ad terræ centrum penetrantium, virtutes ad suum auxilium allicit; imo etiam ipsum corpus minerale hoc idem, magnetica sua virtute, præstare videtur; unde quolibet anno, & qualibet hora, licet insensibiliter, crescit animæ mineralis vigor; & secundum incrementi ejusdem gradus: redditur quoque illud corpus perfectius, fulgidius, & fixius: ex quibus manifestum est, mineralia occulte vivere, essentialiter vigescere, & ad perfectionis fastigium, quamvis lente, properare, & sublimari.

ARTICULUS III.

Quantum valeat ars in Chrysopœia.

Hoc est opus naturæ in ipsis producendis, & augendis metallis: hinc Chimici Philosophi in arte & fabrica Chrysopœia, duplicem materiam agnoverunt; masculam unam, simplicem & puram;

puram; (tincturam nempe) quam ignem, solem, & agentem vocarunt, & alteram fœminam, argentum vivum, aquam, sputum lunæ, lunam, & patientem: per primum, intellexerunt animam ejus cum elemento ignis; per posteriorem, spiritum vaporosum, quem secundum augmentationem animæ suæ igneæ dixerunt, in operatione hermetica & naturali, lunam crescentem: ex mutua igitur horum conjunctione, fit corpus metallicum cujuslibet speciei; differentiaque specierum metallorum fit ex majori vel minori sulfuris & argenti vivi parte.

Quoniam septem sunt metallorum species, aurum, argentum, plumbum, stagnum, cuprum, ferrum, & argentum vivum; illud tamen attentius considera, quod quanto liberiores à pollutione tenebrarum, & heterogeneitatis irregularitate sunt mineralium cujuslibet speciei sulfur & mercurius; tanto purius, perfectius, & pretiosius minerale utriusque speciei producitur: è contra, si materia passiva est progressa, fuliginosa, & crassa.

Hæc, inter ecstases humani intellectus, occultat altior Philosophia, in prima auri materia, in qua mixtio latet sulfuris, & mercurii, inter aëris fragmenta, & mentiti Chrystalli sublimationes mysteriosas. Alta mysteria hujus pretiosissimæ artis, & naturæ secretiora, tractaverunt naturæ peritissimi, & data opera ista occuluerunt, ne tam rari, tam latentis, tam cœlestis thesauri; (est enim pretiosius arcanorum,) fieret despectabilis cognitio: an quod unusquisque propria ingenii sublimitate gloriatur; an quod socium non patitur thesaurum? est enim regnum solitarium, inaspectabilis pulcritudo pretiosi metalli; an metu severitatis legum; ideo ænigmata, mysteria, & fabulæ altissimæ, fuerunt olim apparatus pretiosæ scientiæ, ut voluit Rombertus.

Illud tamen Delio indiget natatore; si materia prima sulfuris & mercurii; pro ut est auri fabrica, in indivisibili consistit; & qui hoc invenit, totam artem invenit; quoniam si punctum non attingit, tinctura non substantia; & si ultra progreditur, consequitur substantia, non tinctura; nam debet esse mercurius incombustibilis, aëreus, homogeneus, summæ perfectionis, & longævus, prima auri materia; & non ille vulgaris, atrox & venenosus, ex argento vivo & sulfure confectus; anima vero, igneum & purissimum sulfur; postea vero in gradu caloris inducendo, est magna artis pars; sensim enim ad naturæ imitationem à fœce depurantur & sulfur & mercurius: altiori gradu postea commiscentur; intensiori deinde sublimantur, & fixantur; alius enim Mercurius cedit in lapidis Philosophici materiam, translucidus, fugax, volatilis, usque dum cum sulfure suo coalitus in lapidem abierit integrum, apyrosque vocatur; ab aliis carbunculus; sal maris mediterranei, dixit lapidem Philosophicum Chrysippus, Fanianus; forte allusione, ob mirabilem & arcanam virtutem dum fusile vario ignis gradu, remisso, ut operis initio, paulo valentiori in processu, quo elementis in unum coalitis, usque ad calcem utimur; intolerabilis ignis gradu postremo, cujus ope ad perfectam fixationem pervenimus; nempe usque ad calcem; tota enim vis in igne latet; nam hæc rudis, indigestaque moles in quatuor scinditur elementa; ex quibus componitur; ac cogitur in unum; hoc enim ignis gradu & vertimus in calcem, inchoatumque perficimus; quoniam nisi à principio lenis quidam ascendat, & mansuetus ignis, conglutinabit, constringitque potius quam dissolvit; rursusque nisi invaluerit, cum verti in calcem res possit, erit irritus labor; suus enim cuique modus esto.

Verso jam in calcem argento vivo, illud qua perfundimus, cui proxime fusile sal ex stirpe eadem adnascitur, ex illius spiritu, cum jam nihil excrementi habet; & tunc argentum æmulatur, cum nondum sit aurum, nec argentum, sed viribus dumtaxat & potentia, ut notavit Arnoldus: quare ex hac prima materia, & illo ignis gradu, ille pulvis altissimus emergit, suam jam ad terram conversus, qui est auri spiritus, & vita.

Multa latent in arcanis naturæ; quid non in miraculo est, cum primo in notitiam venit? naturæ certe majestas & artis excellentia in omnibus momentis fide caret? redeamus ad fabricam; natura sibi simili gaudet; ac transmutatur facilius in symbola; sic admirabilis illa Philosophorum transmutatio corporis in spiritum, & hujus in corpus, fit ab iis quæ ab auro minus distant: de hac dictum est à sapientibus; *Fac fixum volatile, & volatile fixum, ut habeas magisterium nostrum; fac de pertinaci corpore tractabile: quod animi præstantia, cum anima conveniente, constantissimum fiat corpus, ad omnia sustinendum examina*: quo reprobatur omne quod aurum non est: est enim ultima rerum materia, quæ jubilat in exaltatione sua: *Sicut aurum ab aliis duobus separatum, gloriatur in igne*, ut dixit ille suorum inimicorum dux. Generalia tamen adhuc ista sunt; peculiaria docuerunt Paracelsus, Robertus, Theobaldus; Dorneus, Bernardus Trevisanus, & Penotus.

Ideo jam fortius insurgendum arbitramur, nam utrinque resonant arma: accedat Philosophica clavis (quæ est prima materia metallorum, sulfuris & Mercurii) quæ haud aliter consideratur, quam cœlum in suo invisibili influxu; per hanc enim celebratur excellens calcinatio, dissolutio, evacuatio, & multiplicatio spiritus, argentum vivum, exuberatum sulfur, naturæ tinctura, oleum & incineratio, media sublimatione & igne; donec sulfur dictum ad effectum lapidis deducatur.

Parac. l. de Morb tartari, cap 4. Rob. de Variet. Chim. chrysopœia Theobal. de Alchimio, de ficul. Dorn. in Clave Philos. & Genealog. metallorum. Trevisanus ubi supra Zachar. in Opusculo chymico. Flamel. in Annotationibus.

Solvatur ergo Mercurius Philosophorum, summe purgatus, per virum suum, nempe per purissimum sulfur; mulier virum suum dissolvit: vir quoque mulierem, uxorem suam coagulabit ac fixabit: nam qui videtur mutuus inter conjuges amor, idem est inter sulfur & mercurium Philosophorum; natura siquidem naturam appetit similem sibi, illa enim juxta corpus non differunt, sed proprietatibus, ac viribus: metallicus enim homo fixus est in igne, metallica vero mulier volatilis: si ergo vivus homo cum viva muliere misceatur, fit inde generatio, non autem ex mortuo viro cum viva muliere: quare uniatur viva cum vivo, tum demum fœmina virum suum dissolvit, & iste mulierem tingit, fœcundamque reddit.

Ponantur ergo ambo in vitro, strictissimo sigillo obsignato, ne mulieris aliquid spirans exhalet;

halet; (alioquin vanum erit hoc opus:) in thorum conjugii balneumque maris, in quo cum probe, moderato calore, satis incaluerunt, primo gradu mulier atro colore vestietur; hoc indicium erit conceptionis: & hæc est prima clavis ad arcam reserandam hujus occulti mysterii: continuato calore hoc levissimo, sensim consumetur ista nigredo ab alio succedente colore, tamquam à verme vermis; inde succedent alii colores, tot tamque varii, quot in pavonis cauda conspiciuntur; sicco in humidum hoc ipsum operante; continuetur calor ignis, donec versicolor iste secundus vermis à tertio, vel ab aquila alba, plumas olorinas habente, devoretur, materiaque lunæ prorsus candida nivis instar efficiatur; vitrumque perfectum suum gradum receperit: & inde hæc mirabilis virtus, Venerem, Martem, Jovem & Mercurium in lunam constantissimam transformat: & hæc est excellens metamorphosis Deorũ spumæ maris in Venerem, Jovis in auri grana: at aucto postmodum igne, hæc luna in Regem potentissimum evadit, albedine sensim in flavum colorem, croceumque terminante; ac deinceps in rubicundissimum rubini splendorem; hic est naturæ sulfur, lapisque pretiosissimus Philosophiæ, qui Martem & Mercurium in aurum purissimum convertit, transformat, confirmat, stabilit, & probat, contra omne examen: & non tantum morbos metallorum pellit, sed hominum, qui prorsus existimabantur incurabiles, melancholiæ medetur, & memoriæ; & omni frigidiori morbo jam prorsus desperato.

Hic est totius Philosophiæ thesaurus: solum enim ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis perfecta metalla fiunt, & generantur; nam in aliis rebus est luna; & in aliis metallis sol; cum ergo cœlum, & sphœram saturni, cum vita currere feceris super terrã; impone planetas omnes, vel quos volueris, dummodo lunæ nimium non adsit, sed minus aliis ejus adjiciatur: currere permittas omnia tantisper donec cœlum saturni penitus evanescat: hoc pacto manent omnes planetæ penitus consistentes; & hoc fiat usque dum corpus novum resultet, quod est spiritus cœli; novum hoc sumito corpus, hoc est sol & luna: & tertium his accedat sal, nempe purissimum, quod cætera repurgat, & puriora reddit: his ergo tribus in unum coëuntibus decoquitur aurum in massam, non tamen semper gradu in extremo; siquidem 32 gradus auro natura tribuit, ars vero 24. quoniam in natura purissimo alimento nutritur, in arte vero alieno.

Accidentia, vel potius incidentia astrorum influxu invisibili, ut etiam elementorum, nonnunquam auri generationem impediunt, ut natura fiat rudius intractabiliusve: sed ponderum præsertim inæqualitas primorum trium; nam salis minima portio pallidius efficit aurum; nimio Mercurio plus justo flavescit, copiosiori vero sulfure, nimis redditur rubicundum: æque enim in arte ac natura sunt errores, propter impedientia; quæ certe tolli possunt cimentis, antimonio & quartationibus, sed maxime si opus in *auge fortunato* incipiat; ad hoc tamen opus in sulfure nil aliud quærendum, quam corpus; in sale confirmatio; sed in mercurio virtus omnis, proprietas, essentia, & medicina; quæ non in aliis existit ut in isto: in ultima tamen separatione Mercurius de suo pondere plurimum amittit; sed attende, quod operis fœlicitas magis in artificis prudenti & solerti experientia libratur, quam in sola ideali Philosophia.

Repurgato itaque conceptoque spiritu, apparet leo viridis, primo albus, postea citrinus; aqua vitæ lavatur, ut non cognoscatur amplius, quod ingenii sublimitate consequitur potius quam naturali igne; quantumvis ingredientia seligantur purissima; nam hæc in harmonia potius & ad pondus consistunt; prout debetur operari altissimæ scientiæ; quod certe ignorat, meo judicio, omne humanum ingenium, ut etiam dixit Nicolaus Flamelius in annotationibus.

Hæc sunt mysteria hujus Chymicæ artis, quæ in fumum vertitur sublimata; hæc Chymici Philosophi mysteriose scripserunt: pleraque tamen in ostentationem potius, sive auctoritatis, seu ingenii posteritati scribuntur; de possibilitate non dubito, ut qui sciam esse in nostra Hispania fluvium, juxta amænitatem Aracenæ, qui nostro Idiomate dicitur *Rio tinto*; qui progerminat ex minerali ferreo, cujus aqua omnia quæ abluit & attingit, in ferrum convertit, sive sint frustra ligni, seu lapidis fragmenta, laminis ferreis super illa inductis: ideo non dubito posse fieri aquam Mercurialem; ut tradiderunt aliqui, cujus contactu, metallum in aurum convertatur; ut fertur, Etruriæ Ducem ferri frustulum, ex solo cujusdam aquæ contactu, in aurum conversum possidere.

STATIO V. ARTICUL. I.

De Magia Dæmoniaca.

Hæc magia est quoddam idololatriæ genus, quod fœdere inter dæmones & homines initur, Dei permissione ob occulta & divina judicia, ut Filesacus probat, unde Divus Hieronymus: *Semper idololatria*, inquit, *sequuntur artium magicarum perstigia*; *secunda idololatria est magia*, dixit Tertullianus; nec magicam exerceri absque idololatria, consilii Eliberitani est sententia: quare cum se magi devoveant dęmonibus, est pactum inter illos, ut adorent illi, & hi cæptis assistant, omnibus invocati, velut ex lege fœderis: ac in iis fidelitatem servant, infideles; forte ut hanc mortales edoceant politicam; sciunt enim quod plures exemplo, quam ingenio peccant; ideo se ab hominibus imperari permittunt; cum nulla sit hominum potestas super illos. Et ex hac indicibili fraude se somniant Magi, superiores tartari; qua elati vanitate, paciscuntur superiori dæmoni, ut illi inferiores cedant; hoc est altioris hierarchiæ, ut inferiorem compellat, infami obedientia, stare nutui imperantis, ut notavit Binsfelt.

lib. de Mag. Idololat. §. 6. f. 768. lib. de Mag. cap. 6.

Tract. de Confess. malef. Conclus. 10.

Unde Magus, idololatriæ delubro, sacra devotione & sanguine polluto, posuit devotum, infami servitute cænotaphium, ipso dæmoni sacrum; unde magica labes, quam dæmon dolis festivi apologii velatam protulit; forte sub perstigiorum crepundiis educatam; ideo præmunita pinnulis in fatuorum arces evolavit adoratione affectata, jam à longinquo ævo; est enim dæmoni vetu-

vetustissima, jam olim Numinis & divini honoris æmulatio, ac zelotypia.

Quo veluti contagio infatuati homines, ad credendum vetita & pollicita, nulla vi impelluntur, sed leniter & sponte elabuntur; ut hæc abdita norint, & admiratione honorentur, ab iis qui hæc rara antea nunquam visa contemplantur; universa nempe quatere elementa, concitare tonitrua; homines æque ad tabem, ac subito ad salutem redigere; seu in bestiarum formas commutare; concitare in aëre tempestates, & fulgura; odium & amorem in thalamos immittere, ligare & dissolvere. Hæc & alia quæ pene fidem superant, dæmonis astu, & sub magico fœdere, à Veneficis & Magis concitantur, ut notavit Picus Mirandulanus; si pleraque excipias, quæ magico, sed naturali artificio architectantur. Hæc magia edificitur dæmonis manifesta vel occulta præsentia, ut fœdus etiam sub variis ceremoniis initur.

lib. 3. Prænot. cap. 4.

ARTICULUS II.

Magiæ diabolicæ species.

Hæc in varias scinditur differentias, prout degenerat in varias augurandi species; (unicum dæmonis instrumentum, ut homines alliciat.) prima est, à luctu Goëtia hoc est dæmonum invocatio, à maleficis juxta sepulcra facta; quæ ideo aqua lustrali & ignibus tædarum olim expiabatur, ne dæmones adessent, unde forte apud nostros laudabilis illa consuetudo emanavit, ut vere lustrali & benedicta aqua à dæmone obsessi expientur.

Est Necromantia, secunda Goëtiæ species; hoc est feralis dæmonum invocatio, ad defunctorum manes evocandos per conjurationes, aut deprecationes invocantium, humano sanguine immolato, seu nigri animalis cruore; hinc callidus Ulysses, sagę Circis consilio & ope, pecudum diffuso in scrobum cubitalem cruore, & admixto melicrato Heroum belli Troiani animas, cum Achillis spiritu, aut umbra, ab inferis ad lucem revocavit: de Grammatico Apione dixit Plinius, hac arte Homeri manes, ut ejus natale solum exploraret, ab inferis in colloquium revocasse: *Non satis æstimari potest*, (inquit) *quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi, vero, etiam saluberrimum*; (quod, potiori religione, nostri apud Indos occidentales sustulere,) *ut Nero, his etiam artibus initiatus, hinc inde debacchatur; & utinam inferos potius & quoscunque de suspicionibus suis deos consuluisset, quam lupanaria; nulla profecto sacra, barbari licet, ferique ritus, non mitiora quam cogitationes ejus fuissent.*

Homerus Odyssea.

lib. 1. Satyr. 8. Lucan. lib 10. Philost. Plin. lib. 30. Nat. hist. cap. 2.

Dies eligere certos, in hac arte liberum erat: pecudes vero, quibus non nisi ater color esset: sed in hac arte erant solum veritatis umbræ; pollent enim in ea potius venefica artes, non magica: Hæc Plinius.

Manes ab inferis revocare, dixit Apollonius Tyenæus, *solis sacerdotum Indiæ deprecationibus concessum erat.* Notum est illud, phytonissam anum in Endor, à Pythone dæmone obsessam, umbram traxisse Samuelis prophetæ, Sauli Regis in colloquium, ut est in libro Regum; quem certe dæmonem Paulus Apostolus expulit à Virgine fatidica in Philippis.

1 Reg. 28. in Decretalib. caus. 26. qu. 5. can. nec mirum. Actib. Apostol. 16.

Est tertia Goëtiæ species Incantatio, Græcis Epodos, quæ si Galeno credimus, erat hymnus, quo heroum deorumque præconia, ante altaria in sacrificiis decantabantur; Epodos etiam in Hesychii & Suidæ sententia mulier dicebatur quæ pueris à lamiis, & strigibus fascinatis, nocturnisque lemuribus lacessitis carmine medebatur; ut refert etiam Ausonius & Lucanus, quibus etiam allium auxilio erat; ut dixit Plinius; & cecinit Serenus.

Gal. lib. de Vtilitate partium in f.

Luc. lib. 6. Ovid. 6. Fast. Plin. 11. cap. 38.

Præterea si forte premit Strinx atra puellos,
Viroso emulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Zetini sententia necti.

Erat etiam Epodos incantatio quæ Solis odis id est barbaris carminibus, & verbis, & in dæmonum cultum, celebratur, ad damnum vel necem inferenda; quod bene novit Lucanus, quando dixit:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit.

Hoc genus maleficii olim ortum tulit in Græcia ex impiis hominibus, quos Plato, agyrtas, ariolos, & vates nominavit, qui victum petituri oppidis oberrabant, ac divina virtute carminibus, & occultis mysteriis, & sacrificiis se morbos infligere, ac inflictos curare, jactabant; & si forte quid sceleris esset in divitibus commissum, aut proavis eorum; id se magica sacrificiorum celebritate, suffimentorumque odore expiare: si qui eos hostili manu peterent, sontes aut innocentes, Epodais, id est, carminibus istis oblædedere, sibi fas & possibile esse. Hos divinus Hippocrates, pie & sancte punit, impietatis arguit; solo naturalis philosophiæ lumine; libro de morbo sacro.

lib. 2. de Rep.

l. de Morb. sacro.

Alii magico carmine, & astra incantare, & Lunam de cœlo substrahere; & alia ostenta producere, anili impostura prædicant, & præsumunt; quod prudenti solertia plerique factitarunt mira eutrapelia, verum scientes, persuadentes aliud; quod Plutarchus enarrat de Aganice, Hegetoris Thessali filia; quæ syderum perita, defectus Lunæ, & quo tempore illa objectu terræ subito obscuratur, agnoscens & considerans; cum hæc mulieribus credulis præsagiret, Lunam subtrahere de cœlo, visa est suadere: idem patrum memoria legimus accidisse, occidentalis Indiæ primo Auscultatori, hominum, audacissimo, Coloni, magiæ astronomiæ peritissimo, qui Hispanus Ulysses, per varios errores, Ferdinandi & Elisabetæ felicitate ductus, militibus Hispanis, (licet incredibilis alias tolerantiæ) fere jam desperatis appulit Xamaicam; & in jactura lucratur sæculorum memoriam; ac fortunæ imperio debellato, nomen æternitati consecravit: nam cum jam videretur fortuna de extremo conatu militum triumphasse; pallida fame & extrema miseria, omnibus jam attritis, & bellando inertibus laxatis, debilitate cruribus, ac vitali vigore penitus dissoluto, lingua præ arida siccitate faucibus adhærente, inter barbaras gentes à politia & pietate alienas: quas tantorum malorum non domuit invidia, nec humiles propitiabant preces; in tanta ergo calamitate positus, in ancipiti anceps; (nam Hispaniæ commeatus non dabatur; ad barbaros invadere, impossibile reddidit inopia, languor extremus, extrema imbecillitas,

cillitas, unaque falus morientibus erat, divina miferatio, aut prorfus abfque honore mori, procul à patria, inter barbaras, ignotas nationes, & incultas; cum jam ultima neceffitas extorqueret induftriam; quæ difcrimina, à fuorum cervicibus induftria, extremo difcrimine comparata non avertit? fapiens erat fagax ille Colonus, aftrorum peritiffimus; noverat enim ex aftrorum peritia, quod infequenti nocte erat apparitura triftis Lunæ eclipfis; ac interim per caduceatorem barbaros advertit de futura eclipfi; & quod cœlum, & terra invehatur in ipfos, & quod ruet de fuperis exercitus armatus, oftentis & prodigiis; nifi illos ciborum abundantia cumularent, & fitim oblinirent affluentibus aquis: in quorum confirmationem pollicetur, fe nocte fubfequenti prodigium in cœlo allaturum. Denuntiata barbari avidius accipiunt, attente contemplantur, & expectant, præfagium obfervant; & cum candorem Lunæ viderent ad varios colores transmutari, ad pallidum, ad atrum, & fanguineum; (Numen nempe quod ipfi adorabant) attoniti præ admiratione, & timore perculfi, vera credentes quæ minabantur hofpites; En, illud eft exclamant, illud eft irati Numinis oftentum, & hoc Dei prodigium; quas pœnas tam dira cœli facies ominatur; cave, cave, exterriti contremifcentes exftafi exclamabant comprobato augurio; ac auroram unusquifque prævenit; & viritim pretiofis onuftus, & gemmis, & omni delectabilis alimenti congerie: hæc omnia pie, ad pedes Hifpanorum devoluti, obtulerunt; & habitationes, licet brutas, cum omni fupellectile: quæ omnia læti, noftri avidi, fitientes, accipiunt, & famelici antea, fe immortales fortaffe fomniantes.

O altiffima virtus Sapientiæ, te aufpice, te duce, (nec vana fides) domus, caftra, civitates, & regna, facile debellantur, & propria tuentur; ut ævi brevis meta transgreffa, viderit Hifpania, fuper omnes nationes belligera, fi non forte Catholica, orbem alterum fub pedibus adactum; ac Indorum nationibus debellatis, armorum congeriem ftruxit, fuperbo titulo.

Debellatis inter Oceanum Indicum & Occidentales Regiones, qua tendunt ad Meridiem, nationibus; felicitate Ferdinandi, & Caroli Belligeri exercitu, congeriem Armorum, Hifpania ftruxit, eaque Monumenta, Altiffimo Numini confecravit. De fe nihil addidit metu invidiæ; an rata, confcientiam facti, fatis effe.

ARTICULUS III.

Magia Artis notoriæ.

Inter has fpecies Magiæ artis notoriæ memoratur, quæ abfque præceptore, nec ftudio, lumen univerfæ fapientiæ pollicetur, fpacio & tempore breviffimo: hoc dæmonis inventum, fub piiffimis fuperftitionibus occulitur; de quibus eft celebris memoria in Delrio & in Petro Cirvelo.

de hac D. Thom. 2.2. quæft.66. art. 2. & quæft.68. art. 5. & quæft 90. art. 1. & 3. contra gent. cap. 104. & 5. Petr. Cirvel. Apol. aftrol. & judic. cap. 2. & de Superftitione, cap.1. p 3. Perer. lib.2. de Mag c.10.

Magia amatoria, fub hac fpecie etiam, & copias inftruxit & machinas paravit; ut in Del Rio patet: fed hæc volentes trahit, nolentes non compellit.

Inter has numerantur hepatos copia, Hydromantia, Geomantia, Chiromantia, & Arufpicina, quæ etiam in varias fcinditur differentias: de his copiofe differuit Martinus Del Rio, vir multæ lectionis in hac linea.

M. Delrio lib.1. Mag. cap.4. quæft.3. & lib.3. part.2. quæft.4. fect. 2. Baptift. Segn. lib. de Stud. fanit. cap.8. Suares lib 2. de Relig. cap.15. Mald. de Virt. Theol. tract.10. cap. 7. dubio 10. Paul. Corinth. 12. & 3 Reg. 3. Cirvel. in Apolog. de Superft. cap.21. Delrio cit. Auguft. de Natura dæmon. cap. 2. Raphaël de la Torre, tom. 2. quæft. 90. art. 2. & quæft. 96. art.2.

ARTICULUS IV.

De pacto implicito, & explicito.

Quomodo & quibus ceremoniis celebretur, ad fatias plerique viri docti fcripferunt; & dubito an prudenti confilio: ideo nos ab illo fuperfedimus; & quia altiora nos fpectant, quæ abfque præcedentium notitia, nec intelligi, nec confequi valerent.

Quomodo pactum agnofcatur adeffe, & quam cautam folertiam defideret; unica pene Regula monftrabit: quod femper in opere aliquid altioris naturæ elucet, quam naturæ communis: hoc confirmet unicum Herodoti exemplum: *Pheronis, Sozoftris filius*, inquit, *Perfarum Rex, cum cæcus factus effet, per decennium; undecimo autem anno ex urbe Butti, oraculum adveniffe*, inquit, *exactum effe tempus calamitatis fuæ, vifumque oculis rediturum, fi illos abluiffet lotio mulieris quæ ad folum virum fuum accederet, aliorum virorum impolluto: & ante omnes, uxoris fuæ urinam expertus, non profecit; ficut & aliarum mulierum; cæterarum, deinceps expertus, unius tandem lotione, convaluit: ac omnes mulieres, præter illam, cujus beneficio vifum recuperavit, unam in urbem conjecit, & omnes cum urbe concremavit; & flammis coronalibus deuffit: ac illam duxit uxorem, quam excepit.* Huic auxilio, neque noftra, neque antiqua ætas illam talem virtutem detulit: quoniam illa fuperat omnem naturalem virtutem; qualem dæmonem dediffe, eft credendum; quantumvis prifca ætas, barbara auxilia, characteres, & peregrina verba, magnam fortiri efficaciam crediderit, apud Deos & homines, in certam harmoniam redacta; ut Pythagoras, Plato & Jamblichus afferuit.

de Pacto D.Th. 2.2. quæft.96. art. 2. & lib. 1. contra Gent. cap. 105. & 6. Auguft. 22. de Civit. Dei, cap.6. Orig. Homil. 20. cap. 15. & 4 contra Celfum. Gabriel. Sent. 2. dift. 8. quæft. 2. Iac. Graph. l. 1. Decifionum. cap. 3. n.7. & c. 4. n 4. Guill. de Sortil. quæft. 6. n. 18. Herod. lib. 2. Euterpe.

Laf. 2. de Inftit. & jure 43. Majol. tom. 2. Canicul. 3.

De pacti fufpitione, plura Delrio dixit. Plura leguntur in cap. *non licet.* 26. q. 5. Illud tamen minime prætereundum duxi, nempe, fi quis fciens & prudens, verbis aut rebus, utitur, aliqua fuperftitione infignitis: aut figno, formula, imagine, numero aut charactere, aut annulo, in quo videat aliam à propria rei natura effe virtutem, licet qui illis utitur, abfolute nefciat effe mala, à quocunque acceperit, aut legerit, is abfolute utitur rebus fub pacto involutis. Et in hoc cafu, nulla, quantumvis bona, fides excufat, nec ulla in contrarium proteftatio, neque renuntiatio; quoniam Dæmon tenetur operari, vi primi fœderis, fola miniftri ope: & eo ipfo quod operatur, tacite ejus pacto confentit; neque ulla valet renuntiatio, ubi Dæmon adeffe non eft dubium. Hæc eft electior Catholicæ & fidelis Theologiæ fententia; quoniam ubi nec miraculum, neque naturæ vis, nec artificis folertia invenitur, ibi pactum intercedit.

Cal. Rhod. Antiq. lect. cap. 14. Vall. de Mora 3 Mag. part. 2. qu. 4. fect. 8. §. 7. Sanch. tom. 1. Decalog. lib. 2.37. n.2. Petr. Greg. Syntaxis, part.3. lib. 34. cap. 19. n.5. Reginal. lib. 19. cap. 159. Act. Apoft. 19 verf.14. Majol tom. 2. Canicul. coll.3.

Hæc eft omnium malorum officina, in hac infœlici Plutonis Academia, venenorum variæ fermentationes edifcuntur, tartareo figillo infignitæ,

§. Amuleta Suar. tom. 2. de Rel. l. 2. c.15. n.18.

gnitæ, quibus sola deficit applicatio: hæc fit ope A maleficæ; hinc qualitas resultat, substantia aut vapore delata; quæ applicata in fœderis virtute, subito, vel ad tempus interficit; in pulvere sparsa confectione data, aut aliquo instrumento oblata, aut incantato carmine: in alio infatuat, aut viscera corrodit. Hic feralis edis citur confectio poculi amatorii, quæ ut plurimum in furorem adigit amatum & amantem; seu Dæmone suggerente species, seu virtute herbarum semina proritante, seu tabida siccitate inducta, seu auxilii infidelis efficacia; quo cerebrum à se ipso alienato agitur in furorem. Quod etiam tabifici, & B naturalis amoris efficacia productum, plerique scripsere: quod in hac ætate nunquam vidimus. neque puto absimile esse instrumentum quo odium inducitur, si Dæmonis virtus elevat naturalem virtutem instrumenti; seu ut thalami infamiam inducat nefario adulterio polluti; seu ut maritum fatua patientia reddat inebriatum. Hic tabida edis citur & infœlix oculorum fascinatio per oculos, aut universum corpus expirante veneno: hic feralis carminum incantatio; hoc est C tandem impiæ infidelitatis theatrum, in quo non tantum barbaræ, sed politicæ etiam nationes repræsentant.

ARTICULUS V.

DE PHILTRIS.

An in Philtris sit amandi necessitas.

Philtra solo Dæmonis astu, species amoris D suggerendo, seu herbis semina concitando, valent & amorem producere, & conservare, & urentibus facibus deurere; ut amantem compellant; ad furorem usque, deperire; sed nullo super voluntatem imperio; solo concupiscibili appetitu concitato. Hæc conclusio patet mille experientiis: est recepta in sacra Theologia: hanc ut jacet sequuntur Springerius, Martinus Delrio, & alii plures, & docti viri: demitto instrumenta, quibus dæmon ope veneficæ utitur, & sacra & profana; quoniam hæc late à Delrio E citantur:

An sit aliqua differentia inter amorem Naturalem, & philtris concitatum:

Est naturalis amor, animæ concupiscibilis immoderata passio; quæ à pulcritudine allicitur & fovetur, vera aut apparente; quoniam semper id quod diligitur, sub aliqua ratione pulcritudinis amatur: Concupiscibilis appetitus est in hepate, ut in suo principio; in corde, ut in fonte spiritus vitalis, qui, si per sympathiam, & consensum, effervescunt, & fervet, & intenditur amor, per F invitantiam passionum: in cerebro, ut in principio cognitionis alitur; nam cognita effigie rei amatæ, per oculos illata, mentem, seu cogitativam continuo percellit, & sine fine allicit; & quadam voluptate perfundit: inde concupiscibilem, per communes spiritus in hepate, & ardorem in corde producit inexhaustum, ut hæ potentiæ ad invicem mutuas tradant operas, in amantis pernitiem; reciproco, perenni, & indefesso motu: inde præsidens anima ludum potentiarum intuetur; & vitalitatis actiones (est enim principium & motus, & quietis) impertitur; cognoscit intellectus, allicitur voluntas, sub aliqua specie rei amabilis. tunc posita in ancipiti anceps deliberat; renuit, aut consentit, liberrimo arbitrio; nam ubi anima, mens, & spiritualis voluntas, superior est carnali appetitu, excutit violentiam omnis carnalis appetitus: ubi vero ab acri & importuna punctione, forti suggestione superatur, succumbit, & consentit; & magis aut minus, indigno & servili obsequio, inservit imperioso nutui, prout concupiscentiæ prævalet appetitus.

Illud omne quod valet carnalis appetitus in hac linea sub illa voluntatis libertate, valet etiam Dæmon, seu sola illius suggestione, medio harum potentiarum corporis, seu veneficæ ope, herbarum, aut instrumentorum virtute applicata: hinc accedit amantium illa intellectus inebriatio, & libera voluntatis incantatio, quam sensuum illusio conservat, & prava æstimandi consuetudo, veluti actuum multiplicatione, jam in habitum versa; quæ, ut Plato asseruit, *est extrema inscitia.*

In hoc tamen maximi momenti errandi occasionem considero: quotidie enim videmus homines aliis in negotiis non male consulentes, adeo sola pulcritudinis illecebra seductos, ut prorsus veneficiis perstricti judicentur; alias amantes naturaliter, sed ita incaute, & profuse, ut metas rationis egrediantur: quis unquam vidit amantem in flore juventutis rationalem? imo non esset amans, si ad metas rationis consisteret, *sola enim pulcritudo*, dixit Plato, *hanc habuit sortem, ut perspicua & amabilis sit*; nec ullam hucusque vidimus amandi metam, ultra quam transgredi fas non esset.

Heroës eos amorem, Plotinus dixit à visione herôa; Plato dixit ἔρωτα, quod per oculos influat, & animo & hepati; hepar enim est animæ concupiscibilis sedes: *Videbat enim Deus*, procedit Plato, *partem animæ concupiscilem talem fore, quæ rationem non exaudiret, & si quo sensu pulsaretur, nec rationi obtemperaturam; sed simulacris visis, nocte diuque maxime rapi, idcirco naturam jecoris procreavit, longe à cerebro, rationis domicilio, disjitam, & ejus habitationem in eo disposuit.* Ideo forte Homerus Titii amatoris supplicium, quod Latonam Deam perdite deperierat, effinxit, ejus nempe jecur, à duobus vulturibus vix unquam saturandis, apud inferos diu noctuque discerpi, indeque illius tamen fibras renasci, ut perennet supplicium. *In Thimæo.*

ARTICULUS VI.

Amoris sola pulcritudine produxit signa.

Sic illa Platonis Theologia descripsit: *Tota igitur anima undique saucia, stimulo concitatur & angitur, rursusque memor pulcritudinis, delectatur; ex utrisque passionibus, vehementia scilicet & novitate vexata, & anxia, furit & insanit, sic affecta præ furore, neque nocte dormire potest, neque diu consistere; sed passim discurrit desiderio pulcri perculsa: hac utique suavissima voluptate in præsenti usque adeo delinitur, ut nusquam sponte ab ejus illecebris discedat, nec aliquem pluris faciat quam amatum; sed parentes, fratres, amicos oblivioni tradit: & dissipato per incuriam patrimonio, minime commovetur; patrias quoque consuetudines & dignitates quibus gloriari solebat, penitus aspernatur;* *In Dialog. Phadrus, seu de pulcro.*

natur; *& servire & jacere parata, ubicunque permittitur, modo igniculo suo inhæreat; non omnem colit, solummodo veneratur formosum: sed medicum hunc solum gravißimorum morborum invenit; hunc utique affectum, ingenue adolescens, ad quem, meus est sermo, homines erota vel amorem appellant.* hæc Plato; nescio an dicat alius de hoc assumpto pulcrius.

Hic irrationalis appetitus continuo famescit; & reflexione concitatus, in præcordia citra rationis judicium irruit, impetu quatit mentem: & ossium intimam depascitur medullam, inde corpus, sub extrema macie, contabescit, & non sui compatiens, licet in summa calamitate positus, in ultima desperatione delectatur; exhaustis nempe amore viribus, corpus exangue pallet, oculi intra calvam conduntur; cibum aversatur stomachus, fere resupinatus oblivione sui; longo suspirio, ex imo pectore pulmo ingemiscit alatus; cor in profunda mæstitia exardescit; voluntas sola, amati memoria, delectatur; mens continuo collimando vacillat; ut nec in circulo ubi non datur finis, nec in perennitate collimandi, inveniat quietem; aliquando silentem rapit ecstasis; & ad solum desideratæ aspectum commovetur; pulsus motu tremulo fluctuat & subsultat; formido semper comitatur, & pavor.

Val. Max. l. 5. Memorabil. cap. 1. Appianus Syriacus, Plutarchus, Demetrius. Sit vobis exemplnm Antiochus, Seleuci Regis filius, qui novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis facibus arderet; impium pectoris vulnus pia dissimulatione contegebat: itaque diversi affectus, iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt; jacebat in lectulo moribundo similis: lamentabatur pater: totius domus funebris erat vultus: in hoc statu erat, nisi pater impia uxoris indulgentia filium ab amoris tyrannide piissime redemerat, infoelici in posteros memoria. *lib. de Præcogn. ad postum, cap. 6.* Nec absimilem historiam à Galeno accepimus; Justæ Boëtii viri consularis uxoris, quæ Pyladis amore ad extremum languebat; quod Erasistratus in Antiocho, & Galenus in Justa ex pulsu, dum intraret amasius exploravit: quoniam nova subsultatione uterque exultavit. Echo Nympha, Narcissi amore capta, & fatis & mærore in saxum obticescit; ut Lucretius refert: & Pausanias Phœnices amatores, re amata orbati, auxilium renuentes perire, Galenus auctor est.

5 de Loc. 5. Quare amatam pulcritudinem quandam esse speciem veneficii, veluti ab effectu convincitur: nec illud est longe alienum ab hominum cordatorum judicio: scripsit enim Tullius ad Herennium: *lib. 4. ad Herenn.* *Majores nostri quam impudicam judicarent, eam veneficiis quoque damnatam existimabant; quia nulla potior veneficii causa quam pulcritudo:* Ideo forte dixit Quintilianus, *tota meretricis vita est quoddam veneficium, si non fortaße dicimus, quod vere artem meretricis non callet, qua etiam venefica non est; quod fere semper accidit; veneficio enim ad tuendum veneficium opus est.*

Nec immerito pulcritudinem diximus esse quandam veneficii fortem, si homines inextricabili inlicit labyrintho: *Donum formæ*, Diogenes pulcritudinem dixit: *Modici temporis tyrannidem*, Socrates: Plato, *Naturæ privilegium: tacitam deceptionem*, Theophrastus: *Eburneum detrimentum*, Theocritus: *Regnum solitarium*, Carneades: nos vero, Aureum veneficium; si non forte, *haustum in poculo aureo venenum*: cui nullum prodest auxilium; quod certe bene novit maximus Poëtarum, quando dixit: *l. 4. Æneid.*

Heu Vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,
Quid delubra juvant?
Vritur infælix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens.
Illiacos iterum demens audire labores
Exposcit;
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem;
Huc illuc volvens oculos totumque pererrat
Luminibus tacitis.

Hinc tabifici ex anima in corpus morbi refluunt, hinc tristis alitur melancholia, non ferali veneficio devota, sed amoris igniculis.

Quid ni? nec tam prodigiosa de humana pulcritudine legimus, quam etiam de brutorum incendio; nam taurum perdite adamavit Pasiphaë, & Semiramis equum; Pygmaleon, Æneæ statuæ, amoris cæco igne exarsit. Sic apud Historicum legitur Ælianum: *Adolescens in summo loco natus, bonæ fortunæ statuam deperibat, quam inter amplexus sæpe osculabatur, & raptus in furorem inter cupiditates, senatum enixe exorabat ut sibi emere statuam liceret: & cum supplices ejus preces nihil consequerentur, sertis frequenter coronata imagine ac piis sacrificiis vestitu pretioso exornata; impium pectoris vulnus cum dissimulare non posset, sibi tandem mortem cum lacrimis conscivit.*

ARTICULUS VII.

Amoris signa inducti veneficio.

Incantatione, perstigio, & philtris, posse dæmonem ope veneficæ, quæ valet nativa pulcritudo, jam nobis dubitare non licet; ut quæ patent ad sensum, & Patrum consensu confirmantur; patet etiam in vera Philosophia; quoniam dæmon valet quidquid motu locali & motu alterationis consequitur; dummodo periculum ruinæ universi exinde non sequatur. Ex instrumentis tamen quibus utitur dæmon, pleraque gentilitia operantur virtute: & in signum fœderis non pauca; seu perenni repræsentatione rei amabilis, seu veneris stimulo; ut Codronchus enarrat de Juvene illo ex oppido Hetruriæ, qui veneficam infamem perdite deperibat; & honestam uxorem & filios alta oblivione demittebat; & cum pellice immemor eo usque traduxit, donec uxor maleficii monita, & illius instrumento invento, maritum à tali redemit calamitate: nam invenit sub lectulo bufonem consutis oculis, & in olla conclusum; eum tamen extractum, & oculis solutis, postea igni tradidit; & confestim vir suorum recordatus, ac si à somno profundissimo surgeret, ad uxorem & filios revertitur: hoc instrumentum erat in signum fœderis; nulla enim vis in eo amori concitando elucet.

In hac linea sunt omnia instrumenta ex sacris & profanis deprompta; quæ late & docte refert Martinus Delrio: ut lapis calaminta aqua baptismatis abluta; & etiam sacrosancta Eucharistia; imagines, & carmina magica & feralia: sed sub hac differentia, (ne diabolica solertia palam fiat) ut ad actiones inducendas symbolicis instrumen- *De hoc in Iur. C. de Malef. & Mathemat. leg. si quis, aliquid. §. Abortionis. D. de Pœnis leg. 3. §. ejus-*

tis

dem legis. D. ad leg. Cornel. de Sicariis. Gloss. in cap. Acuss. Sanc. de Hæret. l. 6. leg. 2. tit. 23. part 7. Leg. qui venenum 23. 6. D. de V. S. leg. quod 36 §. 2. de Contrahend empt. empt. L. item si obstetrix. §. 1. D. ad leg. Aquiliam. L. si sciente 7. D. ad L. Cornel. de Parricid. Nicetas in Vita Phocii. Tiraquel. in leg. Connub. ad l. 80. & l. 14. Guilland de Sortileg. lib. 2. quæst 3. ex n. 25 & quæst 5. ex n. 2. Cal. Calcagn. de Mag. amatoria, cap. 2. Delrio lib. 3. Mag. p. 1. quæst. 3. Petr. Greg. in Syntagm. Iuris, l. 34. cap. 12. Raf. de la Torre, de Vitiis opposit. Religioni, quæst 9. art. 1. disp. 2. Farin. in Praxi, qu. 98. ex n. 81. Majol. tom. 2. Canicul. colleg. 3. Ioannes Azor, tom. 1. Inst. moral. lib. 9. cap. 25. Tiraq. in leg. connub. glossa 14. Cymer. in Directorio, part. 2. quæst. 43. n 8. Binsfelt in leg. eorum, C. de Math. quæst. 2. conc. 1. Farin. in

tis utantur; nam capita serpentum & spolia, ad odium producendum imponunt.; verbenam & schinchos ad amorem; dicunt enim, hæc & illa hos effectus producere; ut contigisse legimus in oppido Sepino Ditionis Neapolis, cujusdam Jacobi uxori, quæ à primis nuptiis in maritum tale contraxit odium; ut horribile monstrum sibi in eo apparere, exclamaret: donec mulier veneficiis versata, illius compatiens, veneficii instrumenta capitibus serpentum constructa, à cardine domicilii extraxit.

Philtra neque minus inducunt, idola, & carmina feralia, pars vestis & capilli, ut notat Tiraquellus, & Lucanus cecinit in Pharsalia, quando dixit:

——— quos non concordia mixti,
Alligat ulla tori, blandaque potentia formæ
Traxerunt torti magica vertigine fili.

Pellicula frontis equi recens nascentis pulli, est celebre amandi instrumentum, adhuc ab ipsa vetustate deductum: sic de illo Lucanus,

Non satis advectus amor flammisque severi,
Illicitis arsere senes: nec noxia tantum,
Pocula proficiunt; aut cum turgentia succo
Frontis amatutæ subducunt pignora fœtæ.

Sic Juvenalis:

Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem cæsonia pulli
Infundit.

Cujus certe veneficii Phœnissa Dido non ignara, illud magica arte & solerti diligentia, curat configi inter artis arcana, ad profugum Æneam repetendum, ut cecinit Virgilius:

Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni,
Quæritur: & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matris præreptus amor.

Quod fortasse Plinio ansam dedit ut hoc sub causa naturali accidere æstimaret; quod equa nempe, præter cæteras fœtum diligat; & hinc velut furatur, à recens nato pullo: quod primus fortasse invexit Hippomanes; ideo tale veneficium dicitur Hippomanes: quod Philtris amatoriis inservire etiam Aristoteles dixit, ut cecinit Virgilius, & postea Tibullus:

Hippomanes quod sæpe malæ legere novercæ,
Hippomanes cupidæ, distillant sanguine equæ.

* Hic est suspectus amor; qui officulo rubetæ concitatur, ut dixit Aristoteles: & etiam lapide asterite, ut Plinius notavit: de Remora Propertius plura scripsit, Cœlius Calcagninus de magia amatoria; non pauca Codronchus: famosiora sunt ossa de corde cervi, verbena filicis grana collecta, in natali Baptistæ; & viperarum lingua; & cauda ad necem inferendam, coturnicis caput, cerebrum pulli, asini, pueri recens nati involucra; & fabæ affricanæ, vestes, capilli, & buccella panis illius quem intendunt inlicere: hæc & alia prodesse contendunt, quia Plutoni sacra; & utinam sacrosancta etiam non miscerent; Utuntur etiam infando piaculo hostia sacratissima Eucharistiæ, ut dixit Springerius; & etiam non consecrata hostia, sanguineis literis circunscripta; oleo sancto, & thure benedicto, permixta: ut adnotarunt etiam sacri canones, & Ecclesiæ patres; ut animos inliciant simplicissimos dæmonis hostili Zelotypia; cum decepta mortalitatis infamia.

✠ Ex istis alia in cordis figura parabantur, & idolorum alia, & acubus transfixa, quibus miscebantur erutæ corporum humanorum reliquiæ, & ungues, & capilli laqueo suspensorum sub certis ceremoniis, ut notavit Guillandus; qua certe magica arte, cum portione interioris tunicæ, Herculem in amorem pellexit Dejanira; de his memor Virgilius hæc scripsit.

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quæ nunc ego limine in ipso,
Terra tibi mando.

Ad amorem etiam concitandum, cerea simulacra plumbea & argilla, ad ignem liquabantur; ut sic amasius ad pellicis amorem liquaretur, ut enarrat Guillandus; cujus veneficii est celebris memoria in Theocrito:

Sicut cera istac per meque, Deumque liquescit,
Myndius & Delphis subito liquefiat amore.

Laurum olim ad amorem comburi, nobilis extat memoria vetustatis, sic Theocritus:

Daphnis me cruciat, ego vero in Daphne,
Hunc laurum uro.

Sic Horatius:

Quam non amore, sic meo flagret uti
Bitumen atris ignibus.

Sic ultimo Virgilius:

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros,
Daphnis me malus urit, ego hunc in daphnide laurum.

† Quid multum? non solis instrumentis magico sub fœdere confictis; sed adhuc solo incantato carmine, sagæ mirabilia patravere; ut de saga Marsyla. Hæc Virgilius dixit:

Hæc se carminibus promisit solvere mentes,
Quas velit; est alias diras immittere curas.

Et Juvenalis:

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra; quibus mentem valeat vexare mariti.

*Praxi, qu. 122. & tit. de Hæret. quæst. 181. §. 3. n 82. Barbos de Potest. Episcop. à leg. 51. cas. 8. n. 226. part. 3. & leg. Hispania lib. 2. tit. 23. part. 7. Lucan. 6. Pharsalia. Sueton. in Caligula. Plutar. in Lucullo. Plin. lib. 26. Nat. hist. cap. 4. Aug. lib. de Natur. Dæmonum. c. 6. Plutarc. in Præceptis convivalib. Lagun. 3. in Dioscorid. fol. 355. * Arist. 2 de Hist. animal. 14. Plin. lib. 37. Hist. cap. 10. Lucian. Dialog. Bacchidis. Marsil. Ficinus in Theol. Platon. lib. 13. Pomponat. de Incantant. cap. 8. Calcagn. de Mag. amatoria. Tiraquel. de leg. Connub. lib 13. Codronch. lib. 3. de Morb. venef. c. 6. Filesach. de Mag. idol. § 3. ✠ Sic Gloss. in cap Accusatus, §. de Hæret. lib. 6. Grilland. de Sortil. quæst. 3. n. 18. Delrio lib. 3. Mag. part. 1. quæst 3. Tolet. in Summa lib. 4 cap 16. Bosius de Sig. Ecclesia, lib. 14. cap 7 n 9. Pign. Indirect. part. 2. quæst. 43. Spring. in Malleo, part. 2. quæst. 1. cap. 5. Sairus in Clavi Coll. Reg. lib. 4. cap. 6. n. 25. Majol. cit. Binsfelt in L. eorum C. de Mal quæst. 2. conclus. 5. & p. D. d. in cap. Episcop. & in cap. Aliquantu in 26. quæst. 5. Grilland. quæst. 5. n finali. Arles de Superst. n. 23. Malder. de Virtut. Theol. tract. 10. cap. 8. dub 6. Mora de Incant. opusc. 1. sect. 2. cap. 6. ex n. 1. & cap. 15. ex n. 21. Grilland. quæst. 3. n. 23 & quæst. 5. n. 11. Pomponat. cap. 8. 4 Æneid. Virgil. Salisberiens. de Nugis curialib cap. 11. † lib 9. Antiq. lect. 1. cap. 23. lib. 4. Æneid, Bachel. lib. suo de Philtris. Calcag. ubi supra. Delrio 3 Mag. part. 1. quæst. 3. sect. 2. Codronch. 3. de Morb. venef. 6. Majol. tom. 2. colleg. 3. Buleng. lib. 2. Magia, cap. 16. Tiraquel. in leg. Connub. lib. 14.*

ARTICULUS VIII.

Amoris utriusque differentia.

Spring. in Mall. part. 1. quæst. 7.

Springerius Catholico conatu, amoris utriusque differentiam constituit, hæc sunt illius verba: *Quod si pulcram & honestam uxorem odivit, & meretricem ad infamiam usque deperivit, hoc occultum efficit maleficium; secundo, si nullo humano artificio nec solertia, ab amore abducetur; nec carcere, nec plagis, nec exilio; nec tandem ulla confusione, aut infamia; nec suorum strage & vituperio; tertio, si absque deliberatione irruit in amantem, nec ullo advertitur præjudicio; sed intrepide ruit, pericula illudens, rerum asperitatem æque diu ac noctu; ut ad libitum meretricis feratur,*

tur, velut absque retinaculo navis, ad libitum ventorum; quarto, si decidit ab antiqua prudentia & judicio: & quadam fatuitate à se ipso alienatus, incedit; sexto, si gravius ad tempora urgetur; & quadam veluti necessitate compellitur; & quibusdam veluti funiculis attrahitur. Hæc est hujus singularis veneficii differentia; infra fortasse alia signa dabimus, quibus major innotescat differentia.

De Amoris remedio.

Avic. Fen. 1. can. 3. Paul. lib. 3. cap. 17.

Amoris auxilia non pauca plerique scripserunt, dedit Ovidius poëtica, medici inutilia, philosophi moralia, & theologi sacra; dixit Thales Milesius, *Amori medetur fames, sin aliter, tempus, si nec his vincatur, laqueus*; Rasis Amoris remedia condemnat, ut naturæ infesta; Julius Capitolinus, Plinius, & Celsus de humano sanguine, barbarum & impium tradiderunt auxilium, quod merito damnat Tertullianus, ut dæmonum perstigium: suspectus in fide Pomponatius, ad magica confugit, ut est herba Promethea, hirci recens urina; & polluta rubeta; virga lupi, & alia: lustrationes magicas plerique tradiderunt; in veneficii tandem suspitione Catholica Ecclesia Romana, exorcismos & benedictiones deputavit. Hæc sunt securiora, quia imperiosa veneficii.

Capitol. in vita Antonini. Plin. lib. 28. Nat. hist. 1. & 28 cap. 32 & 39. Cels. lib. 3. cap. 23. & 14. Tertul. in Apologetico. Pompon. de Incant.

Pleraque tamen ex arcanis naturæ, variis experientiis confirmata, Medici auctores tradiderunt. Ut singulare & rarum, commendavit Schenkius quod sequitur: ♃. unionum Hyperici an. ℥j. fiat pulvis, & cum stillatione melissæ probe ad invicem commixta, tribuantur: & per aliquot dies magnetem collo suspendere, pro amuleto plerique consulunt, ut nudam cutim attingat: anatis maris cruorem infra alam sinistram excerptum, si ad scyphum dimidium potetur, prodesse ad amentiam amoris, testantur: Mathiolus hoc, ut mirabile, extollit; seminis herbæ paradisi ʒj. & sumatur quotidie, in scordii aut melissæ aqua. & ad 20. dies. *Est enim*, inquit, *veneficio amatorio mirabile*; Et sanatos jam pene deploratos ex illo contestatur.

STATIO VI. ARTICUL. I.

CATENA AUREA.

De Amore Platonico.

Plura in legentium gratiam scripsimus; liceat nobis etiam paululum in Amoris amænissimo campo divagari: antiquissimum se ipso, perfectum, consultissimumque amorem, Hesiodus in Theogonia dixit: & in libro de natura, Parmenides; Acesilaus Poëta cum Orpheo & Mercurio consentit, & Plato in Thimæo, in Chao amorem posuit: Chaos Platonici informem mundum dixere. Triplex apud Platonicos est Chaos; primum est Deus: secundum anima corporis universi: tertium, amor, quo copulantur omnia: Peripatetica cum Stoica secta, ut in multis dissentit, sic & in hoc conveniunt; ut sit amoris finis delectatio, in amante ex ipsa re amata; inde Plato, *Monas*, dixit, *genuit Monadem, sola sui cognitione, & per amoris reflexionem processit spiritus coæqualis, ita ut*

Dialog. Alcibiades, seu de Nat. hominis.

A *Vnicus in Trinitate, & Trinitas in Vnitate veneranda sit.* Hanc causam causarum Aristoteles dixit; quoniam mundus se ipsum non produxit, sed creatus est ad exemplar illius primæ causæ; ideo forte productum ab æterno, æstimavit; nam cum in se ipso summum intueretur bonum, summam pulcritudinem dilexit in seipso; ex quo, ad imaginem sui, produxit universum, & hominem. Illud est argumentum hæc esse ab amore producta; quia dixit, *& erant valde bona*; hoc est sua pulcritudine adornata; nam bonum est universi mensura, & delectabile objectū voluntatis. Hæc
B sunt Platonis verba in Dialogo Alcibiades, seu de natura hominis: *Qui animam intuetur, seipsum noscit, si in eum præcipue locum animæ, in quo inest virtus animæ, sapientia, intuetur; est insuper hoc aliud divinius, Deus scilicet, & sapientia: quæ si cognoscit, seipsum prorsus cognoscit: & delectatione suammet pulcritudinem; dilexit: quoniam amoris finis est partus ipsius pulcritudinis, & sic dilexit suammet pulcritudinem, in ipso universo, ex quo omnia in circulum produxit, à seipso qui est rerum principium & finis. Cum er*-
C *go mundus*, dixit postea in Thimæo, *genitorum omnium pulcherrimus sit, & ejus auctor causarum omnium optimus, dubium non est quin sempiternum sit secutus exemplar; sic igitur generatus, ad id est effectus, quod ratione & sapientia sola comprehendi potest, & immutabile permanet, ex quo efficitur, ut necesse sit, hunc mundum alicujus esse simulacrum: rationem vero originis naturaliter explicare difficilimum est*; hæc Plato. Nobilius spectaculum fortasse in hoc orbis theatro, nostra Philosophia non vidit; & certe videtur divinam consuluisse Pag. Vet. Testam.

D Duo ambit media hic circulus, est alterum à principii puncto, ad punctum qui longissime distat, opposita distantia, ad medium nempe talis circuli: æque distat secundum, cum incipiat medium à puncto illo distantissimo, usque dum revertatur ad principii punctum circulariter: cum ergo summus artifex sit circuli principium, & finis, illius erit medium, descensus usque ad summum infimi, à summa perfectione distantissimum.

E Incipiat ergo circulus ab illa prima causa, & ente perfectissimo; ex illa primo oritur angelica substantia, per gradus ordinatim à majori ad minus: hinc natura cælestis per gradus successivos, ab Empyreo ad undecimum lunæ: & ab illis ad nostrum inferius universum, usque ad chaos ultimum; seu materiam primam; omnium substantiarum imperfectior, & quæ à summa perfectione, & pulcritudine, è diametro distat: est enim summa perfectio, purus actus, & illa pura potentia; & hic terminatur primum circuli medium; illorum entium qui à summo opifice
F per gradus oriuntur, ad materiam primam, ab omni actu essendi destitutam.

Hinc pars secunda incepit hujus perfecti circuli, à minori ad majus; nempe à materia prima, usque ad elementa, & ab illis ad mixta, & à mixtis ad plantas; & hinc ad animalia, & ultimo ad humanam naturam: ac in homine ipso, ab anima vegetativa ad sensitivam, & ab illa ad intellectualem: & in ipsis intelligendi actibus, à minori intelligibili ad majus, ad summum usque intelligendi, actum divini & supremi intelligibilis; ultimum unitivum, non tantum cum natura angelica, sed medio

dio illius cum illa suprema pulcritudine: unde circuli hæc secunda medietas, per entium gradus ascendendo, in ipso divino principio terminatur, ut in ultimo fine, circulum gradualem omnium redintegrando entium, summa perfectione.

ARTICULUS II.

Amoris circulus & catena, ad illius similitudinem expenditur.

Parem perfectionem inter amores circulus æmulatur: per productionem in prima parte circuli; & per reductionem secunda: cum incipiat ab ente perfectissimo, & summæ pulcritudinis exemplar, veluti à majori ad minus, & ad infimum chaos, scilicet ad materiam primam, quæ terminat primam circuli partem, quo in puncto est ortus: & pars secunda circuli, à minori ad majus, sed per reductionem ad punctum à quo prius incœpit.

Quoniam amor oritur ut à suo principio, à primo auctore universi, ac ab illo descendit successive, à majori ad minus, à summa perfectione ad imperfectam, & à majori pulcritudine ad minorem: pulcritudo enim in illo summo ente, communicandi se veluti desiderio parturit, & communicat suam perfectionem per gradus entium successive, tam in mundo angelico, quam in cœlesti mundo, communicando paternam pulcritudinem, ad captum & mensuram capacitatis entis; postea in homine, à gradu superiori animæ, ad infimum materialis actus: deinde sub hoc ordine, in bruto, in planta, tandem in elemento, quo ordine descendit illud circuli medium usque ad summum chaos, & imperfectionem infimi gradus entis.

Ab hoc incipit ascendere inaspectabilis ille amoris circulus, à secunda ipsius medietate ab inferiori ad superius, & ab imperfecto ad perfectius, ut attingat ultimum suæ perfectionis possibilis, & suæ pulcritudinis supremum; quoniam materia prima naturaliter appetit formas elementares, ut se perfectiores, & in illis amat majorem pulcritudinem: formæ elementares appetunt mixtas: & illæ vegetabiles, hæ sensibiles; ac istæ amore sensuali, formam intelligibilem; & intellectualis spirituali amore actum intelligentiæ: ac ideo corpus informat mirabiliter nexu inaspectabili; nam ab hoc intelligibili minoris pulcritudinis ascendit ad pulcriorem intelligendi actum; usque ad ultimum, & summum, summi intelligibilis, ex ultimo amore & purissimo, illius supremæ pulcritudinis, ut cum suo principio uniatur; quod naturaliter appetit rationalis animus, profugus & implicatus in hac confusione universi, quo perficitur circulus amatorius velut catena aurea; in summo bono, & pulcro & dilecto, hoc est in primo & ultimo creatore.

Quare prima ducitur hujus circuli pars à suprema creatoris pulcritudine, sed per medium exitus productivi; pulcherrimum enim producit minus pulcrum, desiderio communicandi se, ut suammet intueatur pulcritudinem, veluti in speculo, cujus reflexu multiplicatur amor; nam idem amor postea producit, & producitur, à majori

A ad minus, quodam veluti perenni desiderio, ut sit medium, & causa suæ productionis.

Ast sicut in alia media parte circuli, à materia prima fit ascensus usque ad summum pulcrum, sed per reductionem ad principium; per modum ascensus perfectivi; ab inferiori ad supremum, ut ultimam consequatur pulcritudinem, per gradus entium successive; sic pariter in amore fit ascensus, in hoc circuli medio, ab inferiori ad supremum, ut summam etiam consequatur pulcritudinem, ac perfectam illius unionem; ut in suo altissimo perficiatur fine: nam est finis amoris delectatio, sic gradatim ascendit successive, donec
B consequatur unionem per medium intellectualis & creatæ naturæ cum summa pulcritudine, in qua inest summi boni fruitio per medium altissimi amoris, qui nexum & unionem producit universi cum suo creatore; quo rerum conspiratio concatenatur in aurea catena.

Ac ideo nulla est tam barbara nationum, hoc insito & ingenito amore destituta: in hoc enim sita est omnis perfectio universi, & ex hoc pendet illius conservatio; nam sic omnia entia universi, & amore ascendunt & descendunt; & mutua & amica conspirant sympathia: quoniam id
C omne quod exivit ab illa purissima & divina unitate productum, illud etiam per reductionem universi, ad unionem unitatis revertitur; qua totum ut in centro perficitur: ideo communis & particularis amoris delectatio, in ipsa unione consistit; nam delectatio est idem realiter quod unio; seu fruitio amantis cum amato.

D

ARTICULUS III.

An amor terminetur in amante, an in amato.

At sub quadam peculiari differentia mortalis amor terminat delectationem; quoniam dum fruitur, lucratur aliquid de bono alieno, sub quodam affectu delectabili, qui antea non erat: ideo talis amor in amante terminatur, non amato. De hoc enim amore est illa Platonis sententia in Convivio, ut qui sit per antonomasiam ve-
E rus amor: quoniam alter quem terminat amatus, potius dicitur amicitia, si non benevolentia.

Amor ille à Platone *pulcritudinis desiderium* definitur; qua definitione patet, divinum, non comprehendere amorem: quoniam qui optat pulcritudinem, pulcritudine caret; & omnes perfectiones in Deo sunt, in summo: forte quis Bonum sub hac definitione comprehendet, discrimen, non advertens inter Bonum & Pulcrum: potest enim bonum, & sibi & alteri optari: pulcrum
F socium, sicut regnum, non patitur, nam sibi soli coërcet desiderium: ideo forte Carneades, *regnum solitarium*, Pulcritudinem dixit: pulcrum enim peculiari energia mentem allicit: est ideo pulcrum illi, & non alteri; nam alius alio modo & suopte ingenio quisque terminat: Bonum autem est omnibus commune, omnibus, dico, qui sani sunt judicii, & serii, & frugalis etiam voluntatis; nam ab ægris, *dulcia*, *amara* reputantur.

Aliter amorem definit Aristoteles; *Est boni desiderium*, inquit, *sibi*, *aut alteri*: Qui non tantum terminat amantem, sed amatum, ut etiam divinum

num amorem comprehendat: quo à Plat. differt. Hæc ideo est nobilior definitio: nam primus finis & ultimus agentis, est quocunque in opere delectatio; fruitio boni: si non ultima & propria, fœlicitas; quoniam illud bonum quod amico desiderat, aut amato, non est tantum ut amicum oblectet, sed ut in illius fruitione complaceat: est enim amicus *Alter-ego*; ac ideo bona utriusque sunt communia; nam quod optat amico, sibi optat; quoniam *amici anima magis est ubi amat, quam ubi animat*; si est amor reciprocus.

Pulcrum vero est quoddam bonum; sed est etiam pulcritudinis soboles; *bonum* enim absque illa non est *pulcrum*; & *pulcritudo* est quædam gratiosa animi delectatio, cujus illustrata cognitio provocat ad amandum, ac ideo illud bonum quod amare non provocat, non est pulcrum.

Non est æternus amor creati entis; cum fiat à principio productivo, quoniam amans amorem antecedit, veluti agens actum: nam amando producitur: sed amatus est prima causa generans, & amorem producens in animum amantis: amans vero est causa materialis, & recipiens amorem ab amato: quare pater amoris, est amatus, quod illum in amante producat: mater vero est amans; quod fœcunde concipiat ab amato, ut patri simillimum parturiat; quoniam amatus primam amoris terminat actionem, ut generans principium, ut formalis amoris, & ut finalis causa.

Ac ideo amans, quatenus amans est, est amato inferior, ac amatus non tantum amanti est superior, sed adhuc sibi ipsi, dum amans.

in Platonis convivio. Illud tamen huic altissimæ obstat philosophiæ, quod Plato in symposio dixit, quod amans amato est divinior; eo quod amans divino furore concitatur dum amat; operatur enim Deo plenus, extra se positus, & à mente alienus: sed dii amatis propitiantur amplius, ac illis altiora præmia largiuntur; cum ob amantes ardua patiantur; aliter ac amantibus, quantumvis egregia, & pulcra tolerent pro amatis.

Alcestes Pelii filia pro marito amans moritur: *Quod facinus*, inquit Plato, *non ab hominibus tantum, sed à Diis præclarum æstimatione fuit: in quo Cytharædum Orpheum superavit: & quod maximum est, solis amatoriis perjuriis Dii dant veniam; itaque tam Dii quam homines, omnem amanti licentiam præstiterunt, ut lex nostra testatur: Achilles etiam moritur pro amante; sed licet Dii Alcestem suscitaverint ab alto lethi somno, & dignam divinis honoribus æstimaverint,* insulas *tamen* beatas *colere non dederunt; quod sane permiserunt Achilli; qui pro amante moritur.*

Illa Platonis verba in persona Phœdronis referuntur, juvenis & amantis: hic enim amorem coluit, ut Deorum pulcherrimum, & invictæ potentiæ, ac ideo adamare pulcherrima; & cum amor in amante subesset, veluti in subjecto gentilitio, atque in cordis centro, ideo dixit Phœdrus, quod amans à divino amore, quo ipse possidetur, est amato divinior; qui amore non uritur, nisi tantum in amante causaliter; ex quo filius magnæ Deæ furorem influit in amantem, non vero in amatum: & hæc est certe ratio, quare cumulent Dii honoribus Alcestem.

Hæc tamen Phœdronis Philosophia, neque Socrati placuit, neque nobis arrisit: Socrates enim cum contra Agathonem arte oratoria celebrem disputaret; (qui etiam amorem, ut Deorum pulcherrimum colebat:) *Amor*, inquit, *non est in numero Deorum, nec ulla est in eo pulcritudo, quæ Diis est coæva, vel ab æternitate; amor enim est sola pulcritudinis cupiditas, & in hoc desiderio defectus adnotatur: & excludit cupiditatem possessio.* Ideo dicit Socrates, *hic amor non est Deus: sed magnus certe Dæmon inter Deos & homines, non ut Dii, formosus, nec ut homo, deformis, sed medius inter duo extrema: quoniam qui desiderat, licet non sit in actu, hæc res desiderata est saltem in potentia, & ita pulcritudinis amor est certe formosus in potentia, non in actu, ut sunt formosi Dii.* Quare amoris divinitas in amato consistit, non amante; quoniam amatus est in actu formosus, & amans in potentia; qui licet ob amoris affectum, divinum promereatur nomen, non ideo in numero Deorum, ut amatus, qui in amantis mente veneratur, alta contemplatione intuetur ac ut Deus recolitur, ac illius pulcritudo ab amante, divina reputatur, ut nulla alia jucundius satiet voluntatem.

Quare amatus, excellentia & causalitate principii, & alta dignitate, præexcellit amantem: & hinc Alcestes, quæ pro amato moritur; Achilles præmio inæquali donatur, qui pro amante periit; quoniam amans necessario & ex amoris sorte, amato ut Deo famulatur; huic servit illectus, mori & pro illo tenetur, ipso amoris jure; si est amor altius radicatus, & residet in corde, quoniam animam jam informat amati, in quo prorsus tota ejus fœlicitas consistit, & jam, non in seipso; amatus autem est semper ab hoc vinculo liber, neque mori tenetur; & si forte appetit, & pro amante mori, ut Achilles, hic actus est puræ, & absolutæ libertatis, qui divinius præmium promeretur apud Deos & homines: & hinc Achilles ad *Campos* remeavit *Elysios*; si non dicimus quod reflexione repetita, mutuus in amato reduplicatur amor, adhuc post amantis discessum, quo tam egregia facinora patratur: & hinc fortasse crudelis consuetudo gentium emanavit, ut uxor, eodem defuncti rogo mariti cremaretur, quod viguisse apud patrum memoriam inter nostros Orientales Indos historiæ testantur.

ARTICULUS IV.

An amor defectum præsupponat, & an cognitionem.

Amor defectum arguit in omni creatura, licet spiritualem non excipias: hic est homini passio, animali propensio, nativa inclinatio elementis, & omni prorsus mixto insensibilis, solo in Deo passionem excludit, & defectum: est enim ille perfectissimus actus, cum summa libertate; amor enim divinus, est libera & benefica voluntas. Præsupponit cognitionem amor, unde quo altior cognitio, eo excellentior amor; ideo est in mundo angelico perfectior; prima tamen amoris incitatio, (verius causalitatem dixeris) est defectus pulcritudinis in amante; cognitio pulcritudinis secunda; sub umbra delectabilis; ut amoris causalitas sub utraque conditione constituatur; & fomes desiderii: amor enim in pulcritudine non consistit, sed ab illa procedit, tanquam ab objecto, ut à causalitate: nam ibi est

amor, ubi est pulcritudo, sed ordine cognitionem defectus antecedit, sicut res desiderata sui præsupponit notitiam, quoniam prius deficit, quam ejus defectus agnoscatur: at licet defectus sit prior prioritate temporis & originis, est tamen in excellentia posterior; nam defectus absque cognitione amorem non inducit: nec adhuc boni & pulcri desiderium: ideo hebetiores & stolidi ad conspectum electæ pulcritudinis, non tantum non exardescunt, sed ne modicum quidem calefiunt; stimuli amorifici incapaces.

Si vero defectui pulcritudinis accedat vera pulcri cognitio, hæc, ut præcipua, amorem cæco igne accendit, quo irruit in pulcrum impetu, aut moderatione, prout ratio, aut appetitus vincit; exuperat defectus aut cognitio; cum ergo angelicis sphæris sit cognitio superior defectu, ibi amorem genitum nobilem, & purissimum esse, fas non est dubitare; potius quam in hoc universo, ubi defectus cognitionem superat.

Ergo saltem in angelis, dicit aliquis, sola pulcritudinis cognitio sat erit ad amandum; & si etiam effectus illius prærequiritur, erit amor remissior in angelis, in hominibus autem intensior; ubi major adnotatur defectus, cum omnem excellat angelus creaturam.

Æquivoco laborat hæc instantia, quoniam alia cognitio habitum præsupponit; alia est cognitio in potentia rei illius cujus defectus adnotatur: sed illa est excellentior pulcritudo, quæ se ipsam agnoscit, & ille altior cognitionis actus, qui circa propriam versatur pulcritudinem: hæc enim nullum præsupponit defectum, sed habitum ipsius pulcritudinis, quod est objectum talis cognitionis: & hoc amoris desiderium, non inducit nisi reflexione relativa in se ipsam.

Sed est alter cognitionis actus, cujus non est objectum pulcritudo, illius nempe qui agnovit defectum in se ipso, sed illius deficientiæ cognitio; nam hæc appetit perfici, & amorem producit in hoc inferiori universo: illa tamen habitualis & perfecta cognitio, licet minimum defectum præsupponat, est altior, & intensioris amoris productiva; quoniam est cognitio in actu clarior, & omnium perfectionum gnara; nec à corporis nube impedita: est ideo in homine, amor longe remissior; propensio in brutis multo minor; & ad proportionem, elementis, & mixtis; quanto minus nobilia.

Illa enim cognitio, propensio sive nativa inclinatio, tantum conducit, ut tendant ad perfectionem naturalem, nulla cognitione præsupposita; nam hæc actio est potius naturæ, quam agentis: & sic plantæ, cum sint procul ab omni pulcritudine, & à cognitione, naturalem perfectionem appetunt: animalia autem, quibus major adnotatur defectus, quam hominibus, quia minor cognitio, minimum obtinent desiderii & amoris, quia in illis nulla licet desideratæ pulcritudinis cognitio: & sic tantum ad nativam proritationem cupiditas intenditur; hoc est ad sensitiva; non intellectualia: in hominibus autem, ad intellectus gradus partitur pulcritudinis & perfectionis desiderium, & amor: obtusis & hebetibus minus; & his quo major est defectus, cum omnino cognitione careant, est remissior amor; qui vero sunt altissimi ingenii, quo acriores, eo amplius flagrant, & ardentius amant, ad pulcritudinis reflexionem; ideo forte Pythagoras, Philosophos *amantes sapientiæ* vocitavit, eo magis quo penetrant profundius: qui quanto majorem distantiam agnoscunt, tanto magis inhiant ut ascendant: sapientia enim longe nostrum in latitudine & profunditate superat intellectum; ac ideo illius delectatio nullo ingenio satiatur; nec labore quiescit.

Et hinc accidit, ut licet in hoc universo non sit clara cognitio Divinæ & Supremæ pulcritudinis, illa nihilominus diligitur, ob repræsentationem specierum, quas valet intellectus comprehendere, & voluntas amare: quoniam Divina pulcritudo non intuetur, nisi ab intellectu actuato, & ab omni materia abstracto, quod est capax speculum divinæ pulcritudinis. Sed talis intellectus non est inter mortales. Homini enim tantum inest intellectus in potentia, ut qui, sensuum beneficio, essentias corporeas transcendat; & adhuc infusa sapientia illustratus, per corporeas ad illas ascendit incorporeas, & per illas transcendit ad primam motus causam: sed est illud, res incorporeas intueri veluti in speculo; & res abditissimas per effectus cognoscere: directe enim nemo potest mortalium divinam essentiam intueri.

Sed quanto excellentius est objectum, tanto crescit cognitio, & illa copulativa unio finitæ mentis, ad illam infinitam pulcritudinem, ex amore & pulcri desiderio: ob illum qui agnoscitur defectum, tam magnæ pulcritudinis, usque dum perveniat ad contemplationem unitivam.

Quare amor, seu illa naturalis voluptas, non est ad manifestum impossibile; & si eo intellectus & voluntas inclinat, possibilitatis sub ratione, tendit; nemo enim desiderat in cœlum advolare, nec manibus stellam comprehendere, licet defectus, & clara pulcritudo agnoscatur: sunt enim cognata, spes & desiderium; nam *animus amantis in spe delectatur*: & defectus cognitio concitat desiderium, & amorem accendit ad ultimam fruitionis metam.

Hoc clarius constabit, si attendas quod amorem intellectualem quatuor conditiones in suo esse perfectivo constituunt: nempe ut sit pulcritudo in amato: secunda, pulcritudinis in amante cognitio: tertia, defectus illius pulcritudinis in amante in actu vel potentia: quarta, possibilitas in consequutione, quæ in spe consistit. Divina pulcritudo, Averrois sententia, per gradus impartitur in hæc inferiora; à prima primi orbis intelligentia usque ad humanum intellectum, qui est ultima: & in hoc universo per omnia gradatim ad materiam primam, quæ formas ita amat perenniter, non tantum existentes, sed possibiles; sicut orbes cœlestes, qui indefesso motu appetunt, & adorant pulcritudinem, & ad fruitionem in circulum perenniter moventur. Cujus amoris fomite hæc materia prima, sub varia receptione, & continua generatione inhiat incessabili, usque ad orbis finem, quo in aurea amoris catena finis annectitur principio: ut hinc pateat amorem universi, ab angelico orbe originem traxisse.

ARTICULUS V.

Platonis fabulæ altissimæ diorismus.

Et hinc patet, divini Platonis divinæ fabulæ diorismus: *Quando illa fatidica Dyothima* (inquit) *amorem, dixit ex Copia & Inopia genitum, altæ alludit fabulæ, qua Dii convenerunt, ut Regium celebrarent convivium, natali magnæ Veneris, cui accessit Penia, Necessitatis dea, quæ ad fores pulsabat, tristis, egena, & inops, ut quid de nectare divino manducaret; cum egreditur Porus, juvenis electæ sane indolis, (qui filius Consilii intelligitur) de illo tecto Regio, & convivio: sed jam inebriatus, ideo & à somno superatus, proximo viridario obdormiscit; cui accessit Penia, & Amorem concepit, quem dedit feliciter in lucem.*

Illud quod dicebamus antea, nos hæc fabula docet; ut Dii (hoc est Deus, alias leguntur cœli,) nempe ab Empyreo cœlo inaspectabilem producant pulcritudinem, in nostro corporeo universo, at semper sui similem; liberaliter influunt, veluti in convivio pulcritudinis; cui forte aut consulto accessit potentialis materiæ necessitas; (quod est idem quod Penia necessitatis Dea) insatiabili appetitu formarum; & altissimæ & divinæ perfectionis: cum Porus, seu filius *Consilii*, qui est influens intellectus, inebriatus, hoc est Idearum fœcundus, & capax divinarum formarum, has mundo inferiori corporeo communicare nititur, & amorem producit, & communicat.

Quare autem perennis generatio tam intimo & profundo intendatur affectu, ab utroque parente, est in duplici fine: aut enim est productiva cupiditas similis pulcritudinis, aut immortalitatis desiderium; quoniam, cum natura, ut dixit Aristoteles, in peculiari individuo nequeat conservari; necessario intendit generationem sui similis, ut in continua successione perennet immortalitas. Hanc rerum perennem generationem, *Catenam auream* Homerus vocitavit, præter solem, ut in Platone legimus: ac ideo generati Parentes appetunt subsistentiam genitorum, & suæ anteponunt, ut in illa perennis & æterna memoria, nullo sæculorum cursu obliteretur. qui certe appetitus indelebili charactere in anima immortali inseritur; quæ prægnans etiam virtutis pulcritudine, & intellectualis sapientiæ, partus appetit, similis pulcritudinis, per hos virtutis actus, & per habitus nobilis sapientiæ; quoniam in horum vera successione, immortalitas comparatur altissima, superior nobilitate, & substantia, illa, quæ à corpore animata, in simili & perenni animalium generatione consequitur: nam sub hac generatione, perenni pulcritudine fruitur. quæ solam intellectualem sedem habitat; & exornat, quam vulgus non agnovit; nam sicut cæci non judicant de vividis coloribus, sic intellectu cæci, de spirituali pulcritudine non discernunt; nec illa ideo delectantur: non enim delectat pulcritudo, nisi perfecte nota.

Dial. Theætetus, vel de scientia.

Et si sola corporea pulcritudine, quæ est cœlestis umbra, animus usque adeo delinitur, ac illa potentias inebriatas velut rapit in exstasim, & quadam voluntaria violentia ad se ipsam convertit, ut fere ablata libertate totum hominem rapiat, ut amans in amatum convertatur, ut in se ipso non vivat, sed in illo: quid non alliciet divina pulcritudo, & intellectualis? ardentissimos certe concitaret amores, si quid tale ipsius simulacrum, manifestum oculis, proveniret; aut si quis forte dignus haberetur spiritus spiritualem intueri pulcritudinem.

ARTICULUS VI.

De Amoris origine & genealogia.

In Amoris Genealogia, Cadmice nobilis vetustas decertavit. Tam Græci, quam Latini Poëtæ divinis honoribus coluerunt Amorem, & inter Deos dicaverunt altaria. Ex variis parentibus genitum tradiderunt, sub Amoris aut Cupidinis nomine. Cupidinem puerum alii effinxerunt, corpore nudum; & oculis ligatum: arcus à cujus pendet humero, & sub femore Pharetra, trisulcis inauratis sagittis adornata; à Venere & à Marte progenitum: à Venere, absque ullo parente, dixerunt alii, ut effrenem designarent libidinem, absque fræno intellectualis rationis quæ parentis vicem gerit: per Venerem & Martem, denotant Amorem delectabilem; quoniam dum sub hominis ortu, hi duo Planetæ mutuas tradunt operas, in ardentium libidinem inclinant: Venus enim fœmineus Planeta, abundantem & digestam præstat humiditatem; Mars vero, sub calido influxu, prurientem calorem, quo Venerea consistit incitatio; qua illecebra concitatur voluptas.

Alii Cupidinem Dianæ & Mercurii filium effinxerunt, sed alis exornatum, ut cupidinem divitiarum adnotarent; quoniam utilitatis amor, homines solertissimos reddit, & veloces: *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames.* Et hi sunt excellentes in hac cupiditate, quibus simul influxit ascendenti, & Luna & Mercurius; Mercurius enim subtilitatem influxit, ut etiam rerum intelligentiam; Diana vero, divitiarum fœlicitatem influit.

Tres amoris species Vetustas observavit, *delectabilis, utilis, & honesti.* Poëtarum tamen nobiliores, *delectabilis* & *utilis* tantum genealogiam detulerunt; Cupidinem enim extra metas rationis flagrantem, inhonestum dixerunt, qui omne moderatum excludit; quod æque invenitur in illo *delectabili* ac *utili*; non tamen in amore *honesto*, frugali, moderato, ad metas rationis coërcito: in hoc enim nullus observatur excessus.

Alii Amorem, Noctis & Erebi filium, dixere; at isti de amore in communi loquuntur; cum sit animæ passionum primogenita passio: Erebum enim, Deum animarum, & omnium passionum confingunt, & omnium potentiarum naturalium: est enim Erebus idem quod inhærentia, & animæ & corporis potentia; quæ æque ad bonum, vel ad malum inclinat; & quod sit prima & validissima animæ passionum: ideo Erebi primogenitum designarunt, Amorem: ac illi postea in filias dederunt cæteras animæ passiones, quæ amorem sequuntur.

Matrem Amoris ideo dixere Noctem, quod Amor à privatione oriatur; à pulcritudinis nempe defectu, cum inhærentia ad ipsam pulcritudinem; est enim nox lucis & diei privatio.

Amorem ultimo coluerunt hominum vetustissimi; ut magnæ Veneris & summi Jovis filium,

lium, quem geminum dixerunt, & illum Plato singulari energia, expressit sub *Androgyni* fabula, A quam longum nimis esset in præsens recensere; per illum amorem honestum voluerunt intelligi, ut qui ad metas rationis consistat, in omni re corporea utili, aut delectabili, quod cernitur in divitiis comparandis, seu quavis alia animi passione; quarum moderatione honestus consistit amor, seu circa rem corpoream, seu intellectualem.

Sed illud est hujus passionis mirabile, ut honestum illius in amore flagrantissimo luceat; nam ejus in honestum est nimis tarda remissio. B In patrem ideo illi dederunt Jovem, quoniam honestus amor est divinus, cum sit finis illius pulcritudinis, altissimi Jovis contemplatio. Est mater magna Venus, non qua libidinosa, sed voluptatis parens, & qua intelligentia honesti desiderii, pulcri, & intellectualis, velut uxor quæ amat mariti pulcritudinem, ut pulcri amoris & honesti causalitas; & in vera Astronomia, Jupiter & Venus in aspectu benevolo, aut suo ascendenti, est fortuna major super ortum, & influunt commixti, benignitatem, fortunam, & amorem honesti; C & uterque ad virtutem inclinat; nam in rebus corporeis Venus influit desiderium, & Jupiter honestum, ut amoris parentes.

Geminum ideo effinxerunt Amorem, dixit Plato, quod ut refert Pausanias, ut sunt duæ Veneres, ita duo Amores; est una Venus, magna, cœlestis, & divina, cujus est filius ille *Honestus* Amor; alia Venus est libidinis parens, & omnis solutæ voluptatis, in virtute inferior, sed non in passione: cujus filius est inhonestus, libidine effrenis: D & hæc est gemini Amoris διάνοια ex peculiari intellectus synæresi.

Alii geminum de solo Amore honesto protulerunt, filio magnæ Veneris, & altissimi Jovis: nam hic honestus amor, non tantum paciscitur potentiis corporeis, sed spiritualibus, ac ideo est geminus: in illis ob moderationem, in istis, quod in immensum crescat: ac in utroque honesti rationem sortitur: quoniam, ut dixit Aristoteles, *omnis sapiens est bonus, & omnis bonus est sapiens*; ut ita sit geminus simul, corporeus, & spiritualis: E quod ideo convenit honestæ amicitiæ, dixit Tullius, quia semper reciproca: nam in duplici anima, solus unus est amans & amatus; quoniam anima, animæ amantis est veluti in centro in amato.

Ideo in prima orbis creatione, cum Altissimus procreavit Adamum, dixit sacer Historicus, masculum & fœminam procreasse, antequam Deus educeret Evam de latere Adami: quoniam honestus amor, est geminus in diversis potentiis, unitus in principio: ideo forte serpens ille antiquus, ut deciperet Evam, expectat ut à latere F Adami separetur; quoniam, amoris unitas in hac duplicitate non ita facile superatur, sicut divisus amor, inhonestus, impurus: peccatum ideo divisio induxit.

Per hæc Plato, omnium propensionum & amorum originem induxit inter mortales; ac partem intellectualem patrem dixit, corporis inferiorem matrem; inter amores, angelicus certe gigantisat; deinde qui crescit inter virum & fœminam in hoc inferiori universo; ac postea ab iisdem parentibus rerum omnium amores inseruntur; prout conducit huic mortalitati.

Sed hic honestus amor tripartitus elucet; est enim aut intellectualis honestus absolute; aut in primis parentibus in statu felici Paradisi, inter virum & fœminam; aut omnino corporeus, sed prorsus necessarius sub delectatione; quem etiam honestum reddidit moderatio: qui inter res corporeas invenitur, dum rationi appetitus obsequitur; ut observatum olim inter primos parentes, vita in communem utilitatem deputata.

Aut est effrenis amor, ut brutorum habenis concupiscentiæ laxatis, qui habitum contraxit in peccato, & in mutua fluctuat repugnantia inter partem superiorem & corpoream.

Socratis Magistra, Fatidica Dyothima, altissimam rerum cognitionem, amoris primum parentem dixit, defectum, seu pulcritudinis privationem, matrem: re vera tamen, amoris in communi pater, est omne pulcrum, mater vero, ipsius pulcritudinis cognitio: ex his enim duobus amor oritur, ut à primis parentibus: nam in intellectu cognita pulcritudine, ubi novit defectum, amor in continenti oritur; quare pulcrum est pater, & productor amoris: mater autem, mens amantis, illius pulcritudinis fœcunda; prægnansque semine pulcritudinis, quod est mentis exemplar, quo ad pulcri unionem conflagrat, ad generationem sui similis; quoniam licet in mente intueatur pulcritudinem, appetit pulcri unionem, quæ deficit in mente; unde oritur pulcri intensus amor: nam forma in mente jam impressa, ad imaginem sui concitat desiderium, sicut fœtus prægnantem, ut edatur in lucem, non tantum in intellectu, sed in sensu.

ARTICULUS VII.

A quo principio dimanat corporis pulcritudo.

Pulcritudo quæ cernitur in rebus corporeis universi, est quædam lux divina, quæ dimanat à forma, quæ informat materiam informem: sed non omnia inferiora corpora informat uniformiter; nam aliis partem deformitatis adimit, & cæteris dimidium, sed per gradus in omnibus; quoniam quanto forma aptius comprehendit materiam, pari naturæ magisterio, ac materiæ patibilis obsequio, materialem deformitatem adimit; & tanto magis illustrat pulcritudine corpus: & ad proportionem (quanto minus) distabit ab illa pulcritudine; ad agentis dominium seu renixum materiæ; non tantum inter corporum species diversas, inferioris orbis, sed inter illa quæ unicam constituunt speciem; sic unus hominum, hominem, suæ speciei excellit pulcritudine; & cæteras species animantium.

Quoniam essentialis forma hominis, & actu & potentia super materiam altius dominatur, & sic maculas deformitatis adimit; & ex illo principio forma, quæ melius informat partes, per potentias quas imperio regit, veluti peniculo ad exemplar delineat, ut aptiores fiant, & pulcriores, & inter se & majori proportione in ordine ad totum; & intellectualiter ordinatæ, & propriis operationibus, & finibus dispositæ; totum & partes apte vivificando seu similes, seu inter se diver-

diversas, ejusdem seu generis diversi, intra metam naturæ gentilitiam, ut sit totum perfecte informatum & unum; ex quo illi resultat pulcritudo.

Si vero materia nobili informanti non obsequitur, non potest forma, quantumvis nobilis, sibi partes intellectualiter unire, & ad totum disponere, nec ad aptam pulcritudinem agere; sed loco pulcritudinis generatur deformitas; manet enim materia, sub coæva sibi deformitate, ob inobedientiam delineanti formæ, quæ semper quod pulcrius intendit: quare forma necesse est ut sit pulcrior, re ipsa informata; siquidem de se pulcritudinem parit; & contrarium non potest essentialiter producere contrarium; imo producit simile.

ARTICULUS VIII.

Et à quo principio accidentia habeant pulcritudinem.

Res attamen quæ carent substantia, non carent pulcritudine, fortasse quod sint ipsæ formales pulcritudines; adest enim in luce pulcritudo, & in rerum coloribus: sed pulcri sunt colores quia formæ: si enim, ob ipsos, corpora redduntur pulcriora, tanto magis colores; *Nam propter quod unum quodque tale, & illud magis*: est Philosophiæ axioma, & principium: ideo forte lux est omnium sublunarium pulcherrima, eo quod & colores, & corpora omnia sublunaria, & cœlestia, mira pulcritudine illustrat; cum illa sit forma corporibus abstractis, licet corpora illa non informat; si ergo lux est totius universi pulcritudo, quare & illa pulcherrima non erit? sol enim, & luna, & stellæ, in pulcritudine sunt altioris ordinis; & his omnibus est lux *accidentalis forma:* licet olim Themistius hæc pulcra luminaria formas dixerit universi; illud enim quoad generationem intelligitur, non quoad lucis formam: concurrunt enim in genere causæ producentis & formalis, dum formas de potentia materiæ educunt, quas eminenter continent; ultimam dispositionem, invisibili influxu producendo; quare sic erunt formæ potentiales universi.

At cum Sol sit parens & productor nobilissimæ lucis, quatenus luminare, ut sit etiam principium, par est, universæ corporeæ pulcritudinis, cœlestis orbis, elementorum, & corporis producti: nam à sole lucem accepit ignis, subtilis, omnium tenuissimus, miræ activitatis, ut qui magis participat de illa solis luce; in corporis substantia transpirabili; qua in formalitate cætera elementa antecellit; ut qui à nullo elementorum alteretur, sed tantum à luce patitur penetrari; si non est portio illius Solis orbis, ut ratus est Armigerus.

Quare lux est forma totius universi, quæ deformem obscuritatem adimit ab informi materia; ac ideo corpora, quæ magis participant de luce, pulcriora redduntur.

ARTICULUS IX.

Harmonia pulcritudo.

Est etiam miræ pulcritudinis Harmonia, quod forma spiritualis, unitiva, multarum & diversarum vocum, in unam & perfectam consonantiam sub ordine & intellectuali ratione; quoniam voces, suavi delinitæ modulamine, sunt veluti materia, & partes hujus totius, ex quibus resultat pulcritudo; nam concentus per aëream substantiam in motu positam, movet corpus, per purificatum aërem concitat spiritum aëreum, animi corporisque nodum; per affectum afficit sensum, simul & animum, per significationem agit in mentem; denique per ipsum subtilis aëris motum penetrat vehementer; per contemperationem lambit suaviter; per conformem qualitatem mira quadam voluptate perfundit; per naturam, tam materialem, quam spiritualem, totum simul rapit, & sibi vindicat hominem; est enim musica consonantia, ex gravibus & acutis vocibus talis comtemperatio, ut una quædam forma ex pluribus resultet, quæ dicitur Harmonia: quæ ultra vocalem virtutem, consequatur insuper vel ipsam cœlestem, ut æstimavit Jamblichus Platonicus.

Ideo sane Democritus, Pythagoras, & Theophrastus judicarunt, quod certis concentibus & melodia, tam corporis quam animi morbi medeentur: & hinc fortasse ortum est, veteres aliquos Sapientes, in idem scilicet Apollineum numerum, tam Medicinæ quam Musicæ originem, retulisse: utraque enim medicina est; sed altera quidem ex corpore animam, altera vero ex anima curat corpus; si verum est quod Galenus asseruit, *quod animi mores corporis temperaturam sequuntur.*

ARTICULUS X.

Orationis pulcritudo.

Orationis autem pulcritudo etiam in melodia consistit; quæ ex tribus constare dixit Quintilianus, oratione, harmonia & rythmo. Est Harmonia spiritualis pulcritudo, sub perfecto ordine unitiva, multarum & diversarum vocum materialium, in articulatione dialectica, in perfecta & intellectuali unione; ita ut cætera corporea excellat pulcritudine; quod in bene articulata oratione patet. At in rhythmo præcellunt orationem carmina; quod Deorum inspirato furore consequi Plato dixit; quoniam illa ratiocinantis rationis & intellectualis pulcritudo, sub ordine, numero & rythmo longe omnem corpoream excellit pulcritudinem; nam hæc est forma spiritualis, quæ in ordinem & unionem redigit tam multos animæ & diversos conceptus; tam rationales, quam sensibiles; de cujus pulcritudine participat intellectus pulcritudini aptus.

Et hæc est perfecta idealis in mente pulcritudo, quæ corporibus datur, quæ etiam arte perficitur; sed illa ortum traxit ab spirituali universo, per formas nobilissimas: & est ab illis in corpora transfusa; forma enim, seu illa formalis pulcritudo, semper est abstracta à materia informi, quæ ex peculiari sorte impedit pulcritudinem; ut nubes ante solem; ac ideo altissimæ virtutes, nobilis sapientia, pulcritudine excellunt, super omnia; quia arguunt spiritualem lucem aptius recipi; qua informata corpora pulcriora redduntur; contrario deformia, pro materiæ obsequio, aut renixu, formali pulcritudini.

A R-

ARTICULUS XI.

Artificis pulcritudo.

Haud minus attrahit voluntatem artificialis pulcritudo ut forma perfectissima, & pars communis pulcritudinis; (*Est enim Pulcritudo in communi, gratia formalis, quæ delectat animam, & ad amandum provocat perfecte nota*;) Illa etiam quæ artificialis, adorat quoque artificialem formam, ut principium; sicut essentialem naturalis: illam tamen tribuit humanus intellectus, ut formam naturalem divinus; & sic pulcrior existit in ipso, quam in re ipsa artifice confecta; in hac enim est divisa in partes; in intellectu, unita & perfecta; ac ideo anima pulcritudinem judicat, & illa delectatur; non auditus, non oculi: nam si sensus externi illam perfecte nossent, omnes æque noverint pulcritudinem; & non est æqualis (hac perspecta) hominum delectatio.

in Dialog. Phædrus, seu de Pulcro.

Visus enim nobis peracutissimus est sensuum; dixit Plato, *qui per corpus fiunt quo sapientia non cernitur:* Ardentes enim concitaret amores, si quod tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret; at vero pulcritudo sola hanc habuit sortem, ut maxime omnium perspicua & amabilis sit, ut, quadam veluti necessaria violentia, voluntatem & intellectum rapiat, per species à sensibus externis delatas: visus enim, & auditus, solum defert species pulcritudinis quas intellectus judicat, & diligit voluntas.

Nam omnes corporeæ pulcritudines sunt gratiæ formales: & formæ abstractæ spiritualiter, ordine unitivo, in anima mundi continentur; cujus imago est nostra rationalis anima, cujus essentia latenter continet figuratas formas spirituales, quas in illam impressit illa anima mundi, ut summet exemplar.

Hæc latens figuratio est, quam dixit Aristoteles potentiam, & universalem præparationem intellectus possibilis, ad recipiendas & intelligendas omnes formas, & essentias rerum: quoniam, si in hac figuratione, res omnes non essent in potentia, & eminenter, nec illas perciperet sensim, nec in actu intelligeret, nec in propria cujusque existentia.

in Dialog. Menon, de Virtute.

Ideo forte Plato dixit, quod *totum nostrum scire, est reminiscentia rerum præexistentium in anima; quæ erant veluti consopita & obliterata, tempore anteacto:* Quod est certe idem in essentia, ac illa latens potentia Aristotelis; ex quo elicimus, quod non omnes formæ, nec species, in animam refluunt à sensibus externis: refluere enim formas à corpore in spiritum, est impossibile; reservatas tamen suscitant species à sensibus impressæ: quæ faciunt illucescere formas, & essentias rerum, ante præexistentes; in potentia, in illa intellectuali substantia, quæ omnes formas continet imminenter: & erant corporis nebula obscuratæ.

Hanc luciditatem, *actum intelligentiæ* vocavit Aristoteles: Plato, *reminiscentiam*; ut utriusque sit eadem sententia, tantum diversa in diverso modo exponendi: est enim anima nostra semper formalium pulcritudinum fœcundissima; quin imo illæ propriam animæ constituunt essentiam; & si sub illa latet ille occultus modus continendi, non est ex parte intellectualis animę, sed culpa unionis inter corpus & animam: nam totum esse animæ, est acceptum ab auctoris idea, sicut artificiosa pulcritudo ab idea artificis: ergo continet in se, saltem aptitudine proxima, perfectiones & formas pulcritudinis auctoris Idearum.

Nam licet anima & corpus non sint confuse mixta, sufficit sola unio & corporis connexio: ut essentia quæ est ordo formalium pulcritudinum, sit veluti umbrosa & obscura; quo fit, ut sit absolute necessaria repræsentatio illarum pulcritudinum, quæ sunt per corpora diffusæ, impressæ per species, ut eluceant formæ, quæ erant in anima latentes.

At cum illa tenebrosa latentia, sit diversa in anima cujusque individui, pro ut est subtilius corporis instrumentum, aut rudius; seu pro majori obedientia aut repugnantia animæ informantis: hinc alius citius & perfectius agnovit pulcritudinem, alius difficulter; ut sit penitus aliis impossibilis quod deformitas animam obscurissima caligine perfundat: & hinc alius artes, & alia pulcherrima invenit à nemine antea explorata: hinc ab homine dediscitur sine doctore virtus: alius de scientia, quam non didicit, disputat; & alieno loquitur idiomate: hinc fiunt diserti & eloquentes, homines imperiti: si præ subtili & clara melancholia aptius redditur instrumentum; quorum rara exempla in nostris *Feraliis* adnotavimus. Hinc tandem alius penetrat altissima in contemplatione, quando alter in contemplatione obscuratur: *Certa & obscura ignorantia*, quæ ut dixit Plato, *dementia quædam animæ est*; quæ dum ad veri cognitionem nititur, intelligentia ipsa prævaricatur: & idem intellectus hanc novit pulcritudinem, non illam, quod ejus materiale instrumentum certa quadam proportione intellectum determinet, & voluntatem huic, & non illi pulcritudini; non est enim illa latens pulcritudinis umbra ad omnia æqualis, in hoc aut illo animo.

Dialog. Sophist. seu de ente.

Illa tamen Philosophi sententia, quod anima est ut tabula rasa, est plane in hoc sensu verissima, ut nempe anima careat omni actuali notitia, quæ datur per species corporeas, ex quo pendet actualis cognitio; non tamen de cognitione potentiali, & imminenti, seu de illa notitia pulcritudinis altius in anima impressa, quæ ad actum reducitur, à quadam veluti invitantia potentiarum, & illustratione specierum, sensuum externorum; quo in sensu verum est etiam, quod *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* quod certe de scientiis & artibus intelligimus, quæ præceptis ediscuntur & ordine doctrinæ, quorum actualis notitia, ex actuali specierum repræsentatione dependet.

Quare illæ omnes pulcritudines animæ naturales, illustratæ à sensibus externis per species, sunt illæ formales pulcritudines, quas mundi anima, (ut forma nobilissima) accepit ab Altissimo Numinis intellectu, & postea distribuit per ista individua, quæ in anima latent, & imminenter continentur, & spiritualiter.

AR-

ARTICULUS XII.

Duplex animi facies.

Hinc oritur, ut haud æque mortales oculis agnoſcant pulcritudinem, nec illa delectentur; quod non ita in amantibus accidit, qui ad amoris gradum delectantur, & amant; nam anima inter corpus & intellectum mediat; duplex enim in illa facies obſervatur: altera reſpicit intellectum; & altera corpus. Facies quæ intellectum reſpicit, eſt ſuperior intellectiva ratio, qua circa univerſalia diſcurrit, & intellectualia, & formas abſtrahendo, & eſſentias intellectuales, extra omne corporeum: & qua reſpicit corpus, eſt cognitio illa actu particularis ſenſitiva, ſeu per ſenſus externos, quæ circa res corporeas converſatur: & ad utramque cognitionem it per motus contrarios: vere tamen utraque cognitione corporeæ agnoſcuntur pulcritudines; ſenſualiter nempe & intellectualiter: & ad proportionem cognitionis harum, amor illarum in anima producitur, ex ſenſibili ſcilicet cognitione ſenſualis, & rationali intelligentia amor ſpiritualis & abſtractus.

Sed ſub hac differentia, ut alii agnoſcant ſenſibili cognitione clarius, & alii obſcurius ſub intellectuali, aut è contra: hoc accidit cum corpus animæ informanti haud perfecte obſequitur, illique profundius adhæreſcat, & aliud è contra: nam tota illorum cognitio ſubmerſa eſt in illa pulcritudine corporea ſenſibili, ſine attentione ad ſpiritualem, qua neque delectantur, nec judicant amore dignum; & hi fere non differunt à brutis animantibus: illa enim in hoc tantum excellunt homines in laſcivia, nempe libidine effreni, libera voluptate, rerum cupiditate & avaritia, ut illa effrenis libido ſatietur; & in opere ſupplicii capace; quod certe reddit hominem, ſi fas eſt dicere, adhuc infeliciorem animantibus; per varias paſſiones jactatum, & conturbationes inquietum; & ab intellectuali pulcritudine ſeductum.

Sunt alii in hac mortalitate, qui vivunt ad normam moralium virtutum, quorum animæ facies magis reſpicit ad partem intellectus, & lumine æquali illuſtratur, ac facies qua corpus intuetur.

Sunt denique plerique quorum facies intellectualis clariori lumine illuſtratur: & hi omnem ſenſibilem notitiam rationali dirigunt, & ad proprium finem; & tantum ſenſibiles pulcritudines æſtimant, qua ſunt media ad ſpirituales, ex amore ſenſibili, quin imo, fere ſemper à corporea pulcritudine tranſcendunt, quanto magis vera & ſpirituali delectantur; è contra ac homines illi infelices, quorum opaca corporis nubes animæ pulcritudini obſtat; nam inferior facies ſenſualis animæ ſuperiori faci lucem furatur, in qua ejus conſiſtit Beatitudo.

Anima profert quod imminenter continet illuſtrata.

Quod anima perfectiones & rerum pulcritudines in ſe ipſa eminenter contineat, & ex ſe ipſa proferat illuſtrata, patet ad idearum lucem hujus creati orbis, qui oſtentat pulcritudinis & A intellectuales formas Creatoris altiſſimi: eſt enim idea, abſoluta & perfecta cognitio creati orbis ſecundum omnes partes præexiſtentes in ſummi opificis intellectu: ſi enim orbis non eſt caſu productus, neceſſe eſt, ut ſit à mente, & ab aliquo intellectu, qui in ſe contineat perfectiones creatæ pulcritudinis, non ſolum in toto, ſed etiam in partibus, in pondere, & menſura, perfectione, & mirabili rerum artificio.

Ergo ſi intellectus increatus hanc orbis pulcritudinem creavit; ſola cognitione neceſſe eſt B ut excellat omnem mortalem ſapientiam, & factam pulcritudinem; & ut illam eminenter contineat; infinita enim eſt prorſus neceſſaria in artificis mente, quæ formas tribuat ſapientiæ & rerum pulcritudines, & ſit velut exemplar, à quo artifex, & totum, & partes ad exemplaris formam poſſit delineare; velut in mente alterius artificis, eſt quædam fabrica Idealis, quæ ſit hujus pulcritudinis, aut illius imaginis exemplar: aliter enim res ipſæ eſſent caſu productæ.

Ideæ enim ſunt præcognitiones rerum productarum, præexiſtentes aut in mente divina, aut C artificis, quas Ariſtoteles fatetur in eſſentia, quantumvis vocabulo negare videatur: ille enim Nemos univerſi, in mente divina conſtituit, ſicut Plato: hoc eſt ſapiens illius ordinata diſpoſitio, quo ſub ordine perfectio, pulcritudo, & pondus, & menſura univerſi, in toto & in partibus conſiſtit; ſicut in mente Ducis præexiſtit exercitus perfecta diſpoſitio, & pulcra ordinatio ſub illius idea: & hoc ſolo differt vocabulo, à præcognitione & notitia præexiſtente totius univerſi.

D Illud tamen eſt differentiæ inter illos, quod æſtimavit Plato, quod omnes pulcritudines & ſubſtantiæ corporeæ, tantum ſint quædam umbræ, quæ nos in cognitionem Altiſſimi perducunt; Ariſtoteles autem dixit eſſe veras ſubſtantias, & eſſentias.

Quid ſit finis amoris.

Illa ergo cognita pulcritudine, voluntas delectatur: eſt enim amoris finis delectatio in E amato; hoc eſt cum re amata amantis unio; ſicut odii finis, eſt fugere triſtitiam rei odibilis. Et ſicut finis, ſic etiam media ſunt contraria; media enim amoris ſunt, ſpes, & delectationis proſequutio: odii autem, timor, & fuga doloris: odium enim dolorem fugit, ut malum & deforme: amor, delectabile proſequitur, uti pulcrum, & bonum.

At ſunt aliæ delectationes non propter pulcritudinem, ut guſtus, tactus, & odoratus; ſub quibus comprehenditur Veneris delectatio, quæ an- F tecellit cæteras; omnes comprehenduntur ſub generico nomine deſiderii; omnis enim amor eſt deſiderium, ſed non omne deſiderium eſt amor; nam in omni delectatione eſt deſiderium, & in omni deſiderio eſt delectatio; ſed non in omni delectatione eſt amor; licet ſit in amore delectatio, ſicut in fine proprio.

Quare amor eſt una ex ſpeciebus deſiderii, & alia carnalis appetitus: & licet uterque ſit ſub eodem fine, nempe ſub delectatione; ſunt tamen diverſi inter ſe: nam amor delectationem intendit ſub ratione pulcri; appetitus autem ſub ſola *Sic Plato in Convivio, & in Phædro, ſeu de Pulcro.*

ratione delectabilis, non pulcri; sed sub aliqua ratione boni; sic saltem comprehensi, quantumvis non sit tale.

Sed voluptates & delectationes ad hominum affectiones metiuntur; quoniam moderatis hominibus sunt delectationes moderatæ: sicut morum corruptione intemperantibus propria metiuntur lascivia & libidine: quæ licet sint semper & absolute mala, repræsentantur judicio corrupto, & pravo, sub aliqua ratione bonitatis; quoniam corruptionis & vitæ intemperies, primo errorem producit in judicio; postea in voluptate, & delectatione ut judicentur bona, quæ absolute mala; nam sub eodem subjecto, & bonum & malum potest simul adesse: sed ortum à diverso principio, seu sub diversa ratione & respectu, ad facies contrarias: potest enim hac ad bonum respicere, illac ad malum: sic voluptas qua tendit in delectationem, repræsentatur sub ratione boni; sed qua intemperata, & contra naturæ & rationis leges, est absolute mala.

Nam illud formale bonum eo quod materiæ malitiæ & deformitati adhærescat, illaque submergatur; est absolute malum, & apparenter bonum secundum illam faciem qua delectat; quam sane distinctionem consulto prætermisit hujus temporis hæresis, quæ delectationem omnem, ut prorsus naturalem & licitam constituit: Vobis dico, ô Viri Nobilissimi, & Angli, & Scoti, à vera religione, ideo à candida veritate apostatæ; qui religionem, sensibus corporeis immolatis; non tantum sub honesto, sed utili, & omni delectabili: nam hæc adhuc delectatio, nec est semper, nec absolute, nec apparenter bona, sed intemperantibus & lascivientibus, & omni deditis voluptati, & in illa submersis, sub illarum fallaci desiderio, absque ulla attentione intellectus, ad id malum, quod in occulto latet; sub sola ratione delectabilis contra naturæ, veritatis, & rationis leges; si non ipsa voluptatis illecebra obscurat intellectum, ut nec videat, nec audiat pulsantem continuo veritatem ad fores illius intellectualis pulcritudinis.

in Philebo, seu de summo bono.

Non ne, dixit Plato, *febribus & hujusmodi morbis affecti, & sitiunt vehementer & algent; & quodcunque pati corpore consueverunt, magis admodum quam cæteri patiuntur; quo fit ut magis indigeant, indigentiamque replentes, vehementius delectentur; patet ergo in quadam depravatione, tum animæ, tum corporis potius quam in virtute, vehementes voluptates, vehementesque cruciatus consistere, ut in petulantibus & lascivientibus hominibus*: Hæc Plato.

At temperatis non est petra scandali illud apparens bonum, illud gnari, ut malum, vel à primo intuitu: quod ideo non æstimant ut delectationem sed ut latens malum omnino fugiendum: quoniam illa fraudulenta delectatio, quanto magis plaudit effreni appetitui; tanto majorem pœnitentiam in intellectu demetit, non in Venere tantum, sed in variis hominum passionibus.

Nec ideo damnamus moderatas delectationes & honestas, quæ magisterio reguntur intellectus, & moderatione voluntatis; & qui illas exercent, sunt honesti & non vituperabiles.

At inter mortales pleraque judicantur pulcherrima, quæ licet quid de formali pulcritudine participent, quæ illa reddidit amabilia; hæc tamen pulcritudo est adeò magna materiæ deformitate mersa, ut illa reddat realiter deformia; & juste fugienda: talis est certe, argenti, gemmarum, & superflui ornatus pulcritudo, & rerum omnium materialium, quibus vita non eget, sed vana ostentatio. Cum Diogenes Athenarum Platea superfluam rerum contemplaretur abundantiam, exclamavit, ô quam multis non egeo; his enim potius delectatur avaritia, ambitio, vanitas, & cupiditas, quam ratio intellectualis & divina: hæc sane deformia, non pulcra judicat intellectus: ut præexcelsa gloria, & violentus honor, & injusta possessio imperii, quæ apparenter bona; nam hic est sola pulcritudinis & bonitatis umbra; quam appetitus amat, sed rationalis non diligit voluntas.

Videtur mihi, dixit Plato, *hominis anima libri cujusdam similis, & memoria in idem cum sensibus incidens; verba quædam in anima quodammodo scribere; videntur passiones quæ circa ista versantur: cumque vera conscribunt, passionem hujusmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis veræ ab hoc ipso proficiscuntur: at cum scriba falsa signat, contraria veris eveniunt: falsis igitur voluptatibus, pravi ut plurimum gestiunt: boni homines veris aluntur.*

Tres amores, (ut antea diximus omnia resumentes,) dixit Aristoteles esse in humana natura; delectabilem, utilem, & honestum, & omnium simul, & cujusque delectationem ultimum finem esse: nam qui utile amat, in illius possessione delectatur: qui honestum, in ipsa fruitione delectabilis: qui tandem delectabilem, in ipsa unione amantis cum amato: Tres etiam Plato amores in natura agnovit; animalem nempe, humanum, & divinum: animalem amorem, *inhonestum* vocavit, quem dixit amorem *bestiarum*, quod sit extra aleam rationis, & abortus carnalis appetitus; quia lascivus amans proprio in corpore moritur, vivit in alieno.

Humanum amorem dixit, qui circa *virtutes morales* exercetur, & actus sensuales moderatur, ac sensuum effrenes appetitus, & delectationem concupiscibilis: & est certe humanus, quod constet materia corporea, & forma intellectuali, & honesta, ut humana natura.

Sapientiæ amor, denique est ille, quem *divinum* amorem dixit, qui circa altissima & spiritualia versatur; quod sit *intellectualis & honestus*, absque ullo materiæ consortio: ideo divinus, quod in hoc tantum sint homines divinæ pulcritudini similes, spiritu congeneres: qui tanto est humano amore excellentior, quantum humanus animali: ideo tantum est intensior in illo delectatio, quantum in humano superior: quoniam in brutali tantum est delectationis apparentia, respectu aliorum; nam illa sensualis delectatio est passio animæ sensitivæ, ut sensualis amor, quæ vehemens ideo repræsentatur, quod ab objecto sensibili immutatur, quod vehementer pulsat, sed sola pars corporea patitur hanc alterationem.

At intellectualis delectatio non est passio in ipso amantis intellectu, quoniam spiritus non patitur; (ideo forte ita vehementer non sentitur:) & nihilominus est in ipso intellectu delectatio, absque ulla passione sensibili, cum sit finis amoris in communi: sed est sane abstracta & perfectior,

ctior ipso amoris actu: est enim actus intellectualis abstractus ab omni passione, cum quadam veluti complacentia à prima cognitione pulcri intelligibilis ad ultimam usque unionem, & perfectam: quare nihil aliud est intellectualis delectatio quam ipsa cognitio unitiva cum perfectione pulcri intelligibilis: quod si illa in corpus refundatur, est absque ulla comparatione intensior, quia simul concurrunt ad illam complacentiam, anima sensitiva, & intellectualis.

Illud habet insita perfectione pulcritudo, ut intensius amorem producat, quam amoris carentia odium; nam res amata in amantis mente divina reputatur: & amoris carentia nil producit in mente: & anima, ut divinæ pulcritudinis imago, naturaliter appetit divinam pulcritudinem, hujus desiderii fœcunda prægnansque, & quadam necessaria consequentia, reliquas pulcritudines: ideo ex amore creatæ pulcritudinis ad divinam ascendit: hæc enim ad illam latenter mentem ducit, quanto magis in illa illucet divinæ sapientiæ imago; amor enim mutuo elevatur, & ascendit in pyramidis formam, usque ad certum divinitatis gradum, & felicissimam delectationem unitivam, per medium amoris mutuo unientis.

Quare si corporeus superat appetitus, nil mirum si furiosus amor; & ut divinus, si intellectualis. Illud tamen valet veneficium fovere, & producere astu dæmonis, & veneficæ ope, quod motu alterationis, & locali consequitur; dummodo non sit cum ruinæ universi periculo; semper tamen cum divini Numinis permissione.

STATIO VII. ARTICUL. I.

De Frigidis & Maleficiatis.

Contraria juxta se posita, magis elucescunt: tritum est axioma Philosophorum. Ut ergo quid intersit differentiæ inter frigidos *nativa intemperie*, & *veneficio ligatos*, consequamur, nos compellit necessitas initio principia docere nativæ impotentiæ, & sterilitatis, aut artis diabolicæ, ex qua tales redduntur. Incipiamus ergo à frigidis nativa intemperie, ex qua redduntur homines ad Venerem ligati, & inertes.

Quid sit impotentia.

Est impotentia partium genitalium ignavia ad venereum actum, in genere actionis naturalis diminutæ, depravatæ, aut abolitæ.

A quibus principiis oriatur impotentia.

Tria ad Veneris actum concurrunt; semen, vasa seminalia, & facultas excernens: cætera sunt coadjuvantia; quare vitia quæ ex istis oriuntur, erunt nativæ impotentiæ principia.

Ad venerem potentes illi maxime sunt, qui tardius, & erectione pertinaci, & longa frictione mittunt semen: qui contraria istis patiuntur, impotentes.

ARTICULUS II.

Seminis vitia quæ est impotentiæ principium.

Ut perfecte noscatur, quomodo ex seminis principio, viri reddantur impotentes, prius A oportet nosse quod semen potentiæ conducat: semen enim prolificum est non tantum fœcunditati, sed potentiæ aptum, & dispositum.

Est prolificum semen ex alba & crassa substantia spumosa, mediocre splendidum, tenax, quod flores palmæ redoleat & ad tempus excretum, ex reliquiis alimenti, abundans spiritu vitali, vi testium progenitum, cum spiritu genitivo potentia vitali, & facultate formatrice à patre derelicta, ex animæ virtute in generis propagationem; sic semen describit Aristoteles; sunt enim spiritus instrumenta, quibus potentiæ ad B actum reducuntur; ideo forte Aristoteles dixit: *Inest in semine omnium quod facit ut fœcunda sint semina; calore nempe & non virtute ignis, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur: & ipsius naturæ, quæ illo in spiritu, proportione elemento respondet, stellarum, scilicet ex anima virtute:* ut idem Aristoteles dixit: quod ideo fœcundum, quod multo spiritu repletum, & parva mole potens; & hoc non à materia, sed ab efficiente virtute & potentia formæ, quæ actum tribuit & virtutem, ut est C Aristotelis sententia. Hæc est seminis materia prolifica ex testium virtute comparata, quæ æque potentiæ conducit, atque fœcunditati.

ex Avicenna.

3 de Histor. Animal. 7. & 7 de Generat. animal.

Hæc seminis materia comparatur ex reliquiis alimenti ventriculi, conversis in hepate in sanguinis purissimi substantiam, ex spiritu vitali in corde celebrato; animali, in cerebro progenito, ac tandem ex spiritu testium genitivo. Hæc omnia in testium substantia, ex illius virtute, in semen album, spumosum, potentia animatum, convertuntur. Qui ergo illo abundat semine, & est potens ad Venerem, ut etiam fœcunditati D aptum; nam spiritus illi genitivi, instrumenta sunt animæ & illius potentiæ, ut dixit Aristoteles libro de communi motu animalium. Nil ergo mirum, si animæ actionem contineant, ut per virtutem formatricem à patre derelictam simile in utero producant.

Et hinc oritur unum impotentiæ principium, nempe à materia seminis (& illius virtute) ultimi alimenti, vi testium attracta, aut transmissa ex instinctu naturæ: sed quia partes attrahunt, jure vicinitatis & similitudine substantiæ; hæc E attrahit ab illa, & ab alia ista, usque ad cerebrum, sede in ultima & magis eminenti locatum, quod cum propria substantia defraudetur, & aliud non habeat à quo ipsum recipiat, mirum non est si post coitum cæteris membris languidius evadat: ut 2 & 3 problematum Aristoteles dixit; ut motu & delectatione exhaustis spiritibus, & corpus universum insigni impotentia languescat; partes enim non tantum seroso humore, sed rorida humiditate & vitali spiritu privantur; siquidem, F hi quoque ex arteriis una cum genitali humiditate excernuntur; & hinc Venere immoderati, redduntur debilissimi, cum totum corpus spiritibus & alibili substantia defraudetur; cum voluptas his etiam excedat quæ ad vires dissolvendas potens est; ut constet aliquos nimia voluptate affectos periisse. De hoc etiam *Galeni* est celebris memoria suo *libro de Semine*; quam oro ut tu legas curiose Lector, per otium; quia nobis non suppetit.

Horum signa patent ex eorum relatione; semper enim tristes, cogitabundi, invalidi, de imbecilli-

becillitate ventriculi queruntur, & animo linquuntur ex quoquo levi motu, membro virili semper flaccido, quod nullo ingenio arrigitur; & si forte contingat, aliqua violentia intendi, quocunque levi motu flaccescit; & animi deliquio totum corpus languescit.

Alia seminis vitia facile palam fiunt; nam si tenue & frigidum, absque delectatione excernitur, & fere insensibiliter elabitur; & hi ut plurimum legitimam gonorrhœam patiuntur; quod etiam carnis mollities indicat: & nos in hanc incidere passionem vidimus juvenem, ex immoderata & brutali Venere; non tantum ex immodica vasorum imbecillitate, ex frigida altius radicata intemperie; sed corpore exhausto, spiritu, & sanguine.

Si tenue & calidum semen in coitus principio elabitur, & partes urenti calore deurit; quid multum, à quaque levi frictione expellitur. Nos vidimus alium ab injecto clistere, emittere facilime semen, & tenue & calidum, & quaque cogitatione vehementi mulieris elabi fatebatur: isti ut plurimum sunt graciles, hirsuti, biliosi, & excarnes.

Crassum nimis semen impotentiæ conducere, plerique tradiderunt; & fortasse magis sterilitati conducit, quam impotentiæ: nullas enim in illo impotentiæ rationes invenio.

Prava qualitate infectum, putridum, seu corruptum semen impotentiæ conducere, par est; quia spirituosa substantia & salacitate mixta, penitus corruptione evanescit. Hujus impotentiæ signa erunt, seminis fœtor, & ultima gallicæ luis defœdatio, invalida & impotens natura, labe jam in habitu contracta. In hac impotentiæ specie vidi quod magis habet admirationis, quam fidei. Don Ferdinandum de Olivares pati hystericas accessiones ex semine corrupto, ut solent pati mulieres; sed nec tantæ durationis, neque vehementis suffocationis; patiebatur enim cordis subsultationes, tremores, & levia accidentia epileptica, cum frigiditate extremorum; & hoc per frequentes accessiones: erat etiam & pallidi coloris, animi dejecti, & tristi melancholia dejectus.

Aliud seminis vitium observavimus, quod forte prætermiserunt alii; totam nempe seminis substantiam in flatuosos crepitus converti: sed quia hoc non tam impotentiæ quam sterilitati conducit, ideo non moror in hujus vitii expositione: solent isti ad coitum esse valde potentes: sed quo tempore erat semen cum delectatione emittendum, emittunt crepitus, & flatus, & quidem non absque delectatione; hoc se pati à quadam muliere audivi: & virum novi qui hoc idem patiebatur.

ARTICULUS III.

De facultatis excernentis impotentia.

Facultas excernens erat secunda causa, quæ concurrit ad coitum, quæ si omnino deficit, aut minuitur, ignava impotentia contrahitur; hæc est facultas naturalis de sorte vegetantium, ad seminis expulsionem in testibus insita; hujus collapsa virtus, est in genere actionis naturalis abolitæ, aut deminutæ; aut membro in ipso, aut in

A testibus, vel à principio generationis, seu tempore contracta.

Hujus facultatis defectus aut imbecillitas contrahitur ex altius radicata humida intemperie, si non frigida mixta, & ex carnis effœminata mollitie, aut coæva aut tempore contracta; quoniam hujus naturalis excernentis actualis virtus validiore siccitate roboratur & perficitur, ut Galenus fatetur *libro de Inæquali intemperie: & libro de Facultatib. naturalibus:* unde intemperies contraria altius radicata, dejicit actum virtutis; ut aliis

B omnibus accidit; quarum operatio in justa & debita temperamenti proportione consistit.

Erunt igitur hujus impotentiæ signa, horum membrorum ignavia; testium nempe & virilis membri, quæ præ humiditate flaccida semper persistunt; & ut plurimum frigida: & his corpus est compactum mollissima compagine; effœminata caro; & nervosa substantia, quadam veluti laxitate madet, & mollitie diffluit; & totum corpus simili pollet intemperie: in his ut plurimum seminis tenuitas, & paucitas observatur.

C Quibus semen liquidum absque ulla delectatione diffluit, & fere sine sensu, hoc observatur plerisque in toto vitæ tempore, ut aliis ab aliqua occasione in tempore contrahitur, ut à frequenti dulcis aquæ balneo, ut ab argenti vivi uncione, etiam suspicari par est: etiamque à multis aliis, quæ evenire possunt.

ARTICULUS IV.

Impotentia à virtute prolifica.

D In hujus impotentiæ examine sese quotidie offerunt aliqua adeo difficilia ut omnem artificis diligentiam solicitent, & animum acrioribus stimulis explorent; ideo mihi acrius cogitanti, aliquando venit in mentem, an hac prolifica facultate impedita, debili aut abolita, aliquid contrahatur impotentiæ? nec immerito sane: nam hujus facultatis ope, non tantum fœcunditatis ministeria exercentur, sed pleraque alia quæ ipsi potentiæ ad coitum conducunt. Hæc enim continet quid divinum, abditum, & occultum, cujus

E ediscere providentiam Hippocrates ratum duxit.

Est enim seminis utriusque vis prolifica, facultas formatrix animæ vegetantis, & embryonis plastes, & conservatrix, mater similitudinis utriusque parentis, veluti ex quadam idea impressa virtualiter, in ipso semine seminanti.

Hæc regit omnes facultates ministrantes, ne à justo excedant, aut deficiant; ac si esset gnara conservationis individui; ac ideo illam Plato *sensum convenientis aut disconvenientis* appellavit, quem merito Galenus imitatur: & hujus magisterio,

F non tantum sensuum organa; sed membra omnia naturalia sibi trahunt utilia, & repellunt lædentia: similia, dum sana; dum morbosa, contraria: *Gal. 1 Aph.*
ad hoc enim est illis nativa & coæva propensio; *22.*
ab hoc pulsifica discit usum facultas; propria di- *4 Aph. 22.*
scunt musculi ministeria; hæc est quam *discreti-* *lib. de Diff.*
vam & separativam auctores appellarunt; hæc *sympt. vito.*
etiam nativa sapientia, in conceptu cogit semen, *Avicenna*
utriusque parentis, dum ad actum reducitur ab *14. 3 tract.*
uteri calore; & ut trahat formationi sanguinem, *1. cap. 29. &*
imperat attractici; dum ab insito & nativo mu- *tract. 4. cap.*
lieris seminis genitalis calor vivificatur; ut in *li-* *16. & Fen.*
15. 3. tract.
1. cap. 3.

bro

libro de semine est Galeni sententia; ut fiat spiritus utrinque concurrentis prolifica commixtio.

Deinde ex seminis calore flatuosus spiritus emergit, quo flatu commixtæ genituræ turgent, & intumescunt, unde assurgunt bullæ, spiritu repletæ; quibus junctis una demum fit cavitas, quæ novam spiritus quantitatem comprehendit: unde calidus spiritus interclusus quærens refrigerium, scindit semina, ipsius facultatis ministerio, ut illius temperatus penetraret spiritus, ex vitali principio & naturali: qui à facultate formatrice ad loca necessaria compartitur.

Coactis ergo seminibus in unum, & sanguine attracto puriori, ac per seminis substantiam dispersо, in roris formam, dulce illi alimentum subministrat; semen augmentum suscipit, partibus efformandis necessarium; & ne ultra par crescat, illud conceptum semen cooperit, & tunicis involvit, quæ cornibus uteri adhærescunt; corion, alantoides & amnios; ac ex bullis deinde, cor, cerebrum, & hepar efformantur; quæ simul embryonem constituunt; & à conceptu sexto septimove die procreantur; ut Hippocrates dixit; quod Aristoteles, Plato, & Pythagoras in dignitatem numeri septenarii retulerunt, & nos latius diximus in *Invicto Theseo*.

Gal. lib. 2. de Sem. c. 7. & lib. 2. c. 1. & 4.

lib. de natura pueri. Avicenna Fen. 21. 3. tract. 1. c. 2. Macrob. lib. de Somn. Scipionis cap. 6. Plin. lib. 1. Natural. hist. 5.

Sub his ergo diebus veluti rudem umbram principiorum, concepta substantia sortitur, non casu, ut sors tulerit, ut Democritus dixit, sed inaspectabili naturæ artificio; quoniam, cum primo fœtus anima plantæ vivat; scilicet vegetanti, & illa radicetur in jecore, necesse erat ut primo jecur fieret, ac deinde par erat, ut vita viveret animalis, sensitiva vitalitate, nempe animata, & hoc cordi debetur: necesse prorsus erat, ut cor eodem fere tempore fabricam artificii acciperet; erat tandem necesse, ut fœtus ab injuriis tueretur, quod consequitur sensuum ministerio; ideo fere simul cerebrum, ut sensuum principium curavit arte naturæ fieri, & formatricis ope.

Hic est altissima Embryonis formationis ordo, ut primo vivat vita vegetativa, medio formativæ virtutis, quæ cum virtute cœli animam vegetabilem de materiæ potentia educit, ex vi sibi à generante insita, qua perficit nutritionis opus: postea vero membris jam efformatis, & in membra semine commutato, tunc eadem virtute, animam sensitivam de potentia materiæ educit, à virtute ipsius generantis elevata; ut perficiat incœptum vegetativæ opus, quoad nutritionem & augmentationem; seu in membris præcipuis formativa virtute remanente, in formali potentia, ut dixit divus Thomas, seu in actu, ut Joubertus asserit; pro continuata partium nutritione, & augmento: licet alii dicant, quod ad corruptionem seu conversionem seminis omnino evanescit & corrumpitur formatrix illa virtus; ut pote non amplius necessaria: alii item, quod in formativam transmutatur, animæ vegetantis, quæ de novo generatur; in fœtum jam commutato semine.

pag. 1. quæst. 118. art. 1. ad 4. & Cajet. ibi.

Si ergo hæc facultas formatrix, facultatibus imperat ministrantibus, & expellenti maxime, & semini tam miram virtutem impartitur; si hæc deficit, minuitur, fortasse aboletur, quod plerisque contingere par est; & probat etiam experientia; à posteriori etiam colligi potest; ad illius deficientiam, potentiam ad coitum etiam deficere; & non parum impotentiæ conducere: si maxime seminis instrumentum est ineptum, ut illius actionem recipiat; aut ex virtute agentis debilissimi prorsus non communicetur.

Quare à sufficienti partium enumeratione judicare consultissimum erit; si corpus universum, nec ullum ex præcipuis membris insignem patitur læsionem; nec in semine labes manifesta elucet, nec excessus in qualitate, aut tenuitate & crassitie; & nihilominus observatur impotentia, & non vitio membri & genitalium, quod hoc accidit facultatis formatricis defectu; seu quod illa apparenti non influat, aut sit ab aliquo impedita principio; quo impotentia nobis fortasse ignota comparatur; ut solet sterilitas; demitto hoc etiam posse ab influxu cœlesti evenire, quoniam adhuc hoc dato, nulla probabili ratione potest convinci.

ARTICULUS V.

De vasorum affectione, quatenus impotentiæ conducunt.

Vasa, quæ ad actus venereos concurrunt, sunt quæ singulari læsione affecta, inducunt impotentiam; ista sunt, & vasa seminis deferentia, & præparantia, & parastatarum vasa, testium, & virilis membri universa compago, nervus fistulosus, nempe, & venæ, & arteriæ: renes etiam in hac affectione pati possunt; ab illis enim decidit serositas nitrosa, quæ erectioni & delectabili illecebræ conducit.

Hæc omnia, Veneris instrumenta, in duplici differentia pati possunt, ut inepta Veneris ministerio reddantur, per se, aut per consensum: & qua sunt instrumenta, & partis organicæ vicem subeunt: aut qua partes omnino similares. Qua sola instrumenta, morbos in depravata compositione patiuntur; velut obstructiones quibus seminis emissio impeditur, & transitus sanguinis, & flatuosi spiritus denegatur; ut cum nec flatus, nec spirituum copia distentioni suppetit; nam cum corpora hæc cava & fungosa, arteriarum & venarum myriadibus, retis instar implicita, adimplentur, fit in membro distentio: si vero hæc deficiant, deficit cum distentione potentia.

Vitia in figura hæc ipsa patiuntur, ut cum virile membrum est in figura tortuosa dispositum; nimis breve, aut plus justo oblongum, aut supra modum crassum, in præputio, in radice angustum & compressum: hæc omnia non sunt absolute impotentiæ vitia, sed ut plurimum in illis sterilitas, aut impotentia observatur; ubi deficit rectus naturæ ordo; aut ordinatus finis ab aliquo errore impeditur. Patet hoc ipsum propositis exemplis: nam tortuosa via est in causa, ne semen in uteri cavitatem impellatur, quod maxime ad conceptionem conducit; si membrum nimis breve ejaculari in fundum non permittit: & si nimis oblongum, infrigidatur semen, & virilitas deficit: si in radice compressum, & angustum, flaccescit in conatus principio, & pertinax erectio flacciditati cedit, quo actus irritatur; licet in aliis ad opus usque duret; quia omnes isti arctam vulvam penetrare non valent; hoc etiam

vitium extenditur, si vasa in totum auferantur, ut in testium castratione accidit, aut naturali aut arte comparata.

Qua partes similares & organicæ, morbos insoluta unitate pati possunt, ut ulcera, callos, tophos, caruncula, inflammationes, & cancrosos affectus, in partibus potentiæ dicatis; hoc etiam in celebri Holerii historia observatum accepimus; *Nobilis Hispanus*, (inquit) *inter celebres Parisienses Medicos, nos quasi desperatus consultavit: cum jam impotens esset multis annis ad venerem; at visum imprimis est, malum ab ulcere esse; & læsis nervis atque arteriis, quæ impletæ flatu, penem erigunt, partes ita lædi, ut spirituosum sanguinem non exciperent, curandum fecit ulcus, instituenda omnia quæ calidos flatus gignunt: & partes genitales roborarent; purgato prius corpore, & levi phlebotomia ante acta: & decocto Guaiaci, & condito aromatum semen adjiciente, & membra roborante: tandem pristinam sanitatem adeptus, abiit à nobis restitutus.*

Qua partes tantum similares morbos in intemperie patiuntur; quibus inepta virilitatis instrumenta redduntur; potentiæ inermia, erectioni flaccida, alia enim seminis generationi serviunt, expulsioni alia, pertinaci erectioni alia: & hæc & illa affectus patiuntur, per se, aut per consensum. Per se patiuntur, in hac affectus sorte, altam & radicatam intemperiem, quæ dejicit actum propriæ virtutis vasorum expellentis, aut erigentis, simplicem aut compositam: sed quæ magis conducit impotentiæ, est humida & laxa: quoniam inde membri fistulosa substantia, arteriæ, nervi & venæ, adeo laxa & flaccida redduntur, ut erectionem, tensionem, & expulsionem perficere non valeant; præterquam quod etiam spiritus genitivi in ipsa extinguuntur: quod si illi frigiditas accedat, validior impotentia contrahitur, quia tunc patitur facultas semen, & ipsa vasa; ut postea videbimus.

An calida & sicca intemperies, aut utraque per se, altius his membris radicata, actum virtutis dejiciat, qua impotentiæ conducit, potest verti in dubium. mihi tamen videtur, nullatenus juvare impotentiam, quoniam illæ effectus pariunt omnino impotentiæ contrarios; pro siccitate nempe nimiam tensionem, & præ calore, nimiam titillationem, & irritationem in semine: quæ duo validiora sunt, quam facultatis excernentis imbecillitas, si forte contrahatur; quoniam hujus defectus potest suppleri valida animalis facultatis actione: nam seminis expulsio, ex motu composito, perficitur, facultatis nempe naturalis, & animalis: quarum illa in testibus & vasis spermaticis residet; ista vero in musculis: qui ad expulsionem, ex facultatis animalis imperio comprimuntur.

Frigida & humida vasorum intemperies, aut est simplex, aut humore conjuncta; illa prava, hæc deterior: aut à primordiis generationis coæva, aut tempore contracta; seu dum partes illæ humore irrigantur & madescunt, ut erectioni non sufficiant nimia laxitate: seu dum paralysi afficiuntur vera; frigidis succis, in cavitate & nervorum substantia imbibitis: qui est certe affectus per consensum; seu accidat in principio spinalis medullæ, seu in nervis qui ab osse sacro derivantur; seu ipsius pudendi: sed resolutio illa & paralysis, quæ est solius colli propria, affectus per essentiam à *Paulo*, & *Avicenna* ducitur.

ARTICULUS VI.

Signa impotentiæ quæ à vasis contrahitur.

Impotentia à vasorum vitiis contracta, non facile dignoscitur: plerisque enim est adeo abdita, & obscura, ut ne peritis pateat; nam cavitatis vitia, ubi seminis, spiritus, & sanguinis transitus præpeditur, dignoscuntur ex signis ulceris, carunculæ, tophi, aut ulceris cancrosi; aut crudi turberculi fortasse, qui casu in his vasis adnascitur; & hæc est proprie actio impedita: ad quæ placet lectores relegare, dummodo à probatissimis viris ediscantur: longa observatione & doctrina, vitia in figura fere oculis patent, peritis innotescunt.

Vitia autem quæ hæc vasa sequuntur, ut partes similares, sunt intemperiei; ex qua actio impedita elucet, deminuta aut omnino ablata; sed illud est initium inveniendi sedes affectas, facultatis naturalis, inquit *Galenus* 1 *de Locis* 2. nullam actionem unquam lædi, nisi pars, quæ ipsam facit, affecta sit: quare si frigidior intemperies, aut humida vexat, hæc vasa seminalia, aut penis, forte testiculorum: frigidum semen emittitur & liquidum, interdum absque delectatione diffluit, & fere sine sensu; frigoris sensus has partes comitatur continua ignavia, nec ullo veneris appetitu: flaccescunt semper genitalia; hi fere semper, vera gonorrhœa languescunt, semine absque sensu dilabente.

Et si in solo nervo fistuloso pudendi alta radicatur intemperies, fortasse resolutio nulla penis arte erigitur, nec intenditur: sive hoc accidat ex sola mollificatione nervorũ aut fistulosi nervi, à frigido humore irrigati humiditate copulato, seu ex sola paralysi nervorum, peni subservientium. Illud tamen dixit Avicenna, paralysim in membro adesse indicabit; si aqua frigida subito affundatur super illud, & inde nulla fiat contractio in membro: hoc enim indicat, & sensus, & motus esse privationem, quod paralysi accidit: quod certe non contingit, ubi laxitas illa ab humoris irrigatione comparatur: quoniam si in illa perit motus, non sensus; licet in utroque sit actio abolita: quo etiam differt à maleficio, ubi erectionis actio non est prorsus imminuta, nec abolita, sed tantum impedita; nam cæteris non erigitur præter unam; hoc enim indicat ligationis nomen.

In his etiam est laxa & mollis corporis universa compago, effœminata caro, & fere mores effæminati, si animi mores corporis temperaturam sequuntur, ut placuit Galeno: & nervosa substantia quadam veluti laxitate madet. Talis est corporis universi temperies; seminis tenuitas, & paucitas: sed in hac laxitate impotentia paulatim incidit, (si non est à principio generationis contracta:) in paralysi vero subito ingruit. Hæc sunt affectus per essentiam signa.

ARTICULUS VII.

De affectibus quorum Sympathia accidit impotentia.

Diximus antea potentiæ servire vasa; facultatem & semen diximus etiam horum affectus per essentiam, quibus frustratur virilitatis actio: dicamus nunc de illis, quorum consensu & sympathia, potentiæ actio aboletur, aut graviter minuitur: hic etiam consensus observatur in semine, in vasis, & ipsa facultate, secundum varias rationes; quibus aut impeditur actio facultatis, aut illius influxus, aut seminis vis & efficacia minuitur; aut tandem seminis, spirituum, aut flatus transitus ad vasa denegatur, ut inde sequatur impotentia.

Illud est ante omnia supponendum, seminis expulsionem esse opus mixtum, ex facultate excernente naturali, & facultate animali impellente motiva: sed sub hac differentia, ut facultates naturales, quæ ex vi temperamenti partium operantur, in Galeni doctrina semper per se læduntur, & nunquam per consensum; illæ vero quæ per irradiationem, aut medio alterius instrumenti, spirituum nempe, per essentiam, & per consensum pati possunt.

Quare in hoc casu, quotiescunque facultas tantopere necessaria membris genitalibus descendere intercipitur, aut semini denegatur aliquid partium componentium, sive sit substantiæ, seu virtutis prolificæ; aut nervo fistuloso tandem deficit, flatuosa substantia, qua pertinax erectio conservatur; aut deficit animalis facultas musculorum, qua juvatur expulsio. Talis affectus est certe per consensum, ex sola sympathia; veluti dum semini non concurrit purus & laudabilis sanguis; aut spiritus intercipitur, resolvitur, extinguitur; obstructione compressioneve intercipitur in vasis deferentibus; aut calore partium immodico resolvitur, aut universi corporis; aut frigore extinguitur; seu cum ob obstructionem semen ipsum non penetrat, ut Hollerii historia comprobavit: hoc etiam testium castratione accidit, nativa, aut arte comparata; seu canalibus, seu vasis seminalibus obstructis, ut spiritus, aut flatuosa substantia, fistuloso nervo non sufficiat erectioni, expulsionique.

Sed ubi maxime talis observatur consensus, est in paralysi, seu incipiat, à nervorum principio spinalis medulla, seu ab illis qui ab osse sacro derivantur, seu ab ultima vertebrarum, seu tandem ab ossibus *Ischion*, & pubis, ut advertit Laurentius; aut ab ipsis forte nervis peni subservientibus: quoniam his omnibus accidit impotentia per consensum.

Mitto quod aliquibus accidit, sed rarissime; sed nos semel inter curandum vidimus, nempe ob sensationis defectum in his locis, ut nec ulla sentiatur aut seminis excretio, aut ulla delectatio in concubitu: hoc nobilissimam mulierem pati novimus, ex Angliæ provincia, quæ in Hispania nupta, quinquennio ab usu matrimonii exacto nullam delectationem; neque seminis expulsionem sensisse expresse fatebatur; & non viri defectu, juvenis & robusti. Paralysis signa antea ex Avicenna diximus.

In hac tamen & illa impotentia, est immensa varietas. Nam frigidis quibusdam non arrigitur penis, & aliis erigitur; sed dum tractatur paululum elanguescit: aliis ad opus usque durat, sed arctam vulvam penetrare non valet: quod illis fere accidit, quibus membrum est in radice tenue, & angustum, crassius in præputio. Semen alius non emittit, & alius in operis principio, ocius quam par sit; quod biliosissimis maxime contingit, & debilibus. Aliis, loco seminis, flatus & peditus expelluntur: aliis absque sensu, neque delectatione diffluit: quod si accidat ex vera gonorrhæa, omnem maleficii suspicionem excludit.

ARTICULUS VIII.

Quæ sint coadjuvantia impotentiam.

Nos illa coadjuvantia intelligimus, quæ causis potissimis concurrunt, aut per se, aut per accidens, ad virilitatis actionem minuendam, aut ex toto potentiam auferendam: tales sunt animi passiones vehementes, quibus ut validis negotiis distrahitur animalis spiritus, timore & pudore intercipitur: animum altius attritum curis, aliæ curæ vexant, ut facile eat actus in irritum; aut semini deficiat vitalis efficacia, seminandi potentia, vegetandi aptitudo, & tandem erectionis actio. Huic etiam defectui studet imbecillitas corporis universi; ut habitus obesus & imbellis, fæminea mollitie defœdatus, seu ab ipsa natura informationis principio, seu contractus inter hujus sæculi luxus. Causæ procatarcticæ non sunt minus suspectæ, si cum ignavo otio & vita sedentaria copulentur; Baccho & Venere ad invicem certantibus. Hæc ita per se patent, ut signis non indigeant.

Semen componitur à variis substantiis ad unam formam vi testium redactis: à jecore sanguis vi testium contrahitur: à corde, spirituosa & vitalis substantia: chyli purissima à ventriculo: & tandem à cerebro, pars spirituosa, humida & digesta substantia à renibus nitrosa: & à corpore toto necessitatis tempore, deglutione & rore substantifico liquatur. Quare sic quod ab unoquoque decidere par erat, minuitur aut deficit, aut vitio indelebili, aut semini producendo, inepto coafficitur; fortasse intercipitur: aut flatuosa substantia, ad vasa virilis membri non mittitur: coadjuvare impotentiam, facilime convincitur.

Si jecoris vitium cum aliis conspirat, ex illis agnoscetur, quæ sanguificandi munus, minuere, depravari, aut aboleri ostendunt: quales sunt icteritiæ, hydropes, & altius radicatæ cachexiæ; ut etiam ex illis quæ sanguinem prohibent in corpus universum distribui, veluti in atrophia: illud corporis habitus ostendit, sub aurigine maxime defœdatus, hydropicus, cacecticus; ex inveterata vasorum & substantiæ abstractione, atrophiam arguere, par erit.

Si cordis culpa adjuvatur Veneris impotentia, luit pœnas deminutus Veneris appetitus: pallida timiditas, & languor corporis universi, cum invicta tristitia; & asphigia quadam intercalari, vitali vigore, penitus exoluto: palpitatione, & cordis tremore ad invicem certantibus; pulsus parvus, & debilis interdum interceptus, & fere semper rarus: cor ex levi occasione subsultat.

sultat. Plura *Galenus* refert *artis Med. à cap.* 28. *ad* 36.

Si à flatus inopia fovetur impotentia, nec penis durat, nec permanet erectio; imo quocunque flatu excreto, mox collabitur.

De hoc plura exempla *Aristoteles* refert; 1. *de generatione animal.* 18. sic loquitur: *hominum nonnulli, ubi per habitum corporis bonum, carnulenti, aut pingues evaserunt, minus semen emittunt, minusque rem veneream expetunt.* Et reddit rationem, *quoniam excrementum concoctum transit in pingue.* Hoc etiam confirmat, *lib.* 2. *sequenti cap.* 19. *pinguia*, inquit, *minus seminis habent*; præterquam quod penis hac brevior efficitur; quod non parum conducit impotentiæ.

Aliam coadjuvantem causam, 4 *Sect. Problem.* 21. idem nobis proponit; *cur, qui varices habent, non possint generare? tum homines, tum quæ eas habuerint, animalia?* & respondet, an quod varix fit transmutato spiritu; quod licet melancholiæ conferat, non coitus excursui: quoniam si concitetur motus, ipsis non impellitur semen, sed infrigidatur; infringit itaque fortitudinem testiculi.

Gal. in exegesi vocum Hipp. Paul. lib. 4. *cap.* 25. *Hipp.* 6 *Aph.* 21. *Paul. lib.* 6. *cap.* 64. *Plut. in Vita Marii. Gal. lib. de Appabili, cap.* 4. & 7.

In hoc conveniunt Celsus, Galenus, Pollux, & Paulus; Plutarchus ultimo hujus reddidit rationem problematis; *Flatus*, inquit, *datus est à natura humori fœculento, ut moveatur*, Galeni sententia. Quare si ad varices divertit, ad semen non convertitur; ut illius adjuvet impulsum: quo nec motus juvatur; nec semen incalescit; quo elanguescit coëundi potentia.

Ab immoderata & profusa spiritualis substantiæ vacuatione fit insignis nectaris vivifici defraudatio: quo certe non est dubium inertem juvari impotentiam; inopia caloris influentis, marcescit innatus, infrigidatur semen, salacitas, & turgentia deficit, & facultatum vigor. De hoc luculentissimum testimonium nobis Hippocrates reliquit: *Scytharum gentes*, inquit, *venas post aures urunt Schiadem medentes, medicantur autem sibi ipsis hoc modo: at mihi sane videntur, hac medicatione se ipsos perdere: venæ enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem infert, & impotentiam, iis in quibus secantur; nam sanguine multo promanante, somnus eos corripit, præ imbecillitate; unde Scythæ omnium hominum, minus sunt ad coitum valentes; quod humoris detractiones, ex præustione cauteriorum semper habent: & plurimum temporis, in equis degunt, &c.* Illud clarius *libro de Genitura* confirmat: *Quibuscunque*, inquit, *venæ post aures sectæ sunt, hi coëunt quidem & genituram emittunt; verum modicam, debilem, & infæcundam.* Et reddit postea rationem; *nam plurimum genituræ, à capite juxta aures in spinalem medullam procedit; ipse autem situs, cicatrice, sectione inducta, consolidatus est.*

lib. de Aëre aquis & locis.

Ideo forte mos erat olim, latronibus auriculas amputare in facinoris pœnam: quare autem hoc fieret, inquit Usylus, in cætu gravissimorum hominum perquirens, respondit quidam in jure peritissimus: *Ne talium hominum in posterum daretur generatio*: nam *cæsis cartilaginibus auris, redduntur impotentes*, ut princeps dixerat Medicorum, &c.

In ejus titulo de Actionibus, ff. ex malef. n. 22. & 23.

Est certe Usyli speciosa ratio, sed ad necessa-

Cit. loco.

A riam impotentiam non convincit; nec irrefragibili fulcitur veritate: nam bene potest consequi impotentia, venis retro aures incisis, si inde profusa insequatur hæmorrhagia semine defraudato, magna spirituum copia, ac digesta humiditate cerebri: non tamen cartilaginibus undequaque incisis, erit necessaria impotentia. Illud enim rationi, experientiæ, & veritati gliscit: nisi forte venæ interiores, aut arteriæ, quæ retro aures feruntur, secarentur: quoniam solis cartilaginibus incisis, nec corporis temperies immutatur;
B nec semen defraudatur spiritu & sanguine; quia nulla ex illis sequitur hæmorrhagia, quod valde exangues sint: nam vasa quæ supersunt interna, à cerebro ad spinalem medullam, longe magis capacia & ampliora, (venæ, nempe, arteriæ, & nervi,) præreptant per partem colli interiorem retro aures; & per hæc spiritus excurrit, & digesta substantia, in vasa seminalia, & testes, ubi semen prolificum conficitur; quod etiam à *Galeno* probatur, *libro de Locis in homine ad med.* Et si experientiæ non denegatur fides, videmus ob acres cerebri fluxiones, auriculas incindere, ac
C per varias partes perforare; nec ideo potentiam deficere; imo postea filios genuisse; ut, qui portant fonticulos in brachiis: nisi tandem profusa perennitate fluendi, cerebrum reddatur ita debile, ut partes seminales gravi afficiantur sympathia: quod etiam est expressa *Hippocratis* sententia *libro de Locis in homine*, ut postea videbimus.

ARTICULUS IX.

An senes sola senectutis ratione reddantur impotentes.

D Senectutis occasione temperiem ad frigidam mutari, semen prolifica virtute defraudari, vasa & facultatem potentia, est communis sententia: cujus occasione vidi, in examine cujusdam impotentiæ, gravissimam inferre injuriam honestissimo, & illustri viro; sola senectutis ratione: Medicinæ judices æstimantes ex illo tantum principio posse impotentiam judicari, quia talis ætas à calida & sicca ad frigidam & siccam transmutatur; ut accidit in magno climacterico 63.
E fatali lege occidua, ut in nostro *Theseo* adnotavimus.

Illud matrimonio non obstare aperte tenet Th. Sanch. de Imped. matrimon. lib. 7. *disp.* 92. *n.* 12. & *dicit Enriques sic usum Ecclesiæ se habere, leg.* 12. *de Matrim. cap.* 7. *n.* 3. *Silv. Matrim.* 8. *qu.* 16. *dicto* 4. *inf. Anton. lib.* 5. *Inst. majorum, tit.* 12. *n.* 262. *Barbos. leg.* 1. *part.* 1. *n.* 97. *ff. solut. matrim.*

Sed dato, quod talis accidat transmutatio, non inde sequitur impotentia; quia illius est magna latitudo: primo quia senes non semper contrahunt intemperiem, senectutis ratione, in membris genitalibus; licet temperies universi permutetur: patet, quia talis mutatio solet intra limites sanitatis accidere, ut nos attenta ratione probavimus: & 2 patet experientia, quæ quotidie monstrat, senes non tantum validissima po-
F tentia constare, sed generare filios: &, quod magis mirari est, fœcundissimos esse, si aptam consortis seminis sortiantur temperiem. 3. ex historiis patet, Masinissam & Catonem, octoginta annorum, genuisse; ut inter mirabilia Solini adnotatur.

De Mirabil. mundi, cap 3.

AR-

ARTICULUS X.

Coadjuvantium impotentiam argumentum prosequitur.

Gal. 2. de Temperam. cap. 3.

Potentiam coadjuvare creditur caliditas immoderata renum, qua trahunt salsuginosam quandam humiditatem, quam ad parastatas & vasa seminalia sibi consocialia transmittunt: hæc veneri potentem reddit hominem; ut intensa renum frigiditas contraria impotentem; ut magna imbecillitas renum: quam potissimam impotentię Scytharum occasionem semper existimavi, ex illa clausula quam Hippocrates refert; nempe *quia plurimum temporis in equis degunt*: quarum nulla major potest in renibus imbecillitatis causa esse. Quare in hoc casu, flatuosæ, salsuginosæ, & digestæ substantiæ defectu, sequitur impotentia. Horum signa patent, ex imbecillitate, aut renum altius radicata intemperie, & ex frigida maxime, ut à lapide renum, aut alia fortasse causa.

An à cerebro coadjuvetur impotentia.

Hoc attente perpendenti aliquando mihi in mentem venit, quid amplius à capite descendere præter illos animales spiritus: & est illud profecto, quædam humiditas digesta in cerebro confecta, nitrositatis soboles, & valde substantifica, cerebri substantiæ congenea, quæ maxime conducit ad salaciam; nec sponte nec ad libitum in hanc ferar sententiam, si verum est quod *Hippocrates* dixit, *lib. de Locis in homine*; *aliæ venæ*, inquit, *à vertice juxta aures ab anteriori colli parte, utrinque ad cavam venam appellatam feruntur; eæ infœcundum faciunt hominem cum fuerint secta, & in magnos digitos desinunt*, &c.

2 de Generat. anim.

Illud tamen clarius Aristoteles dixit: *Habet enim semen*, inquit, *aliquid cum cerebro affine: quia sedes oculorum maxime omnium capitis locorum, seminalis est; quod sola ipsa per coitum venereum manifeste immutetur, & veneris immodico usu oculi aperte languescant, & subsideant.* Est enim inter testes & oculos mirabilis consensus: nam licet verum semen à cerebro non decidat, decidit tamen per hæc vasa interna, quæ Hippocrates dixit, hæc pars delecta semini, quæ in decisione simul cum spiritibus cedit in seminis materiam: nil ergo mirum, si reddat cerebrum debilissimum; est enim illa pars nativæ humiditatis cerebri, quæ motu & delectatione liquatur & descendit.

Hæc pars nitrosæ & nativæ humiditatis vim & efficaciam impertitur & semini, & testibus, ad Veneris potentiam, & virtutem prolificam. Illud est argumentum, quod facultas formatrix prolificandi artifex, à membris præcipuis accipit efficaciam ad similem prolem generandam: ac ideo unumquodque membrorum principalium semini materiam peculiarem præstat, quæ illius virtutem ferat.

Ex quo accidit, ut ablata, absumpta, aut impedita illa humiditate, aut alio expulsa, ad suam portionem juvetur impotentia. De hoc certe legitur illud *Aristotelis* Problema 4. Sect. 2. *Cur immodica Venere utentibus simul laborant oculi & coxæ. Utrum*, inquit, *quod in ipso coitu, manifestissime laborant, hac operatione consentientia ad seminis emissionem, eo quod nempe labore & liquatione dissolvantur; & eo commodo defraudantur; quod erat ad robur & vitam tuendam necessarium: ideo oculi deprimuntur, & coxæ languent.* Quod idem legitur & clarius Problemate 22. *Quare qui concumbunt*, inquit, *resolvi & languere magna ex parte solent*; utrum respondit, quod ab omnibus secretio est semini: quare qualis est ædificationis consonantia, ita corporis: ita enim concutitur compositio, dum res aliqua dissolvitur, ut si sanguis aut nativæ humiditatis pars elabatur; si non fortasse tota: ut in illis qui ex nimia voluptate periere: quod ex sola spirituum exolutione non accidit.

Qua sane cautione prudens consideratio & cavet, & exclamat, ut Veneri modus, maxime in debilibus: & setones, cauteria, & fonticuli, quantumvis necessaria, in magnatibus, acerrimo perpendantur judicio; & prudentis animum acrioribus stimulis explorent; in iis maxime ubi successio filiorum est summe necessaria: nam dum recte nitimur medicandum, si proli non prospicimus, erit irritus labor; & pœnatibus diis vix unquam absolvenda tristitia.

ARTICULUS X.

A toto corpore etiam juvatur impotentia.

Non decidit semen ab universo corpore, sed materia seminis, ut à membris præcipuis: & hæc est excrementum ultimi alimenti: & non illud quod extra corpus pellitur, ut inutile; sed, ut ait *Aristoteles*, quod superfluit ex ipsa membrorum nutritione: veluti cum membra sibi necessarium alimentum sunt attracta; illud quod de sanguine superfluit, parte alimentata & nutrita; hoc *excrementum* Aristot. dixit: *Cujus aliqua portio, in roris formam & per membra dispersa remanet supervacua; alia superfluit, ut multa, & de sanguine puro.*

1 de Gener. animal. cap. 18. 2 de Genar. anim. 19.

Hoc ergo utile excrementum, ad testes transmittitur à perita natura, ut ad loca semini destinata, aut à testium & vasorum seminalium facultate attrahitur, naturali instinctu, ut *Galenus* asseruit, *lib. 1. de Sem. 16.* seu ut perennis fiat propagatio, aut in necessitate per venas, arterias, & nervos vasis consocialibus ad testes; & vasa spermatis: ita ut per has venas, & ab illis, per alias non tantum superfluit, sed necessarium etiam attrahatur pro alimento partium; præter communem sanguinem, ut ex illo ultima prolifici seminis vi testium consequatur substantia, sed sub differentia, ut à parte materiæ, quæ sponte fluit & sine violentia, fiat semen utilius, & prolificum, ab illa vero parte, quæ attrahitur jam in necessitate superfluo absumpto, inutilius aut prorsus vitiosum, est enim illud partis colliquamentum: & in hoc sensu intellige auctores, quando dicunt *semen esse colliquamentum corporis universi*: est enim illa purissima alimenti substantia, qua excreta in coitu, plurimum exolvuntur; licet minimum in hoc semen secedat, eo quod corpus eo alimento, quo recreari solebat, defraudatur.

Et hæc est certe causa quare homines invalidi facile resolubiles aut morbo aut natura consumpti, impotentes reddantur; hujus materiæ substantificæ defectu: quod idem pariter de corde & hepate intelligendum remur; nam parte substanti-

ſtantifica illa deficiente, vigore penitus exoluto, exolvitur facultas, denegatur excretio, & deficit expulſio; aut hæc omnia ſaltem imminuuntur.

Ex eodem principio, valde ſenes, invalidi pueri, & eunuchi, impotentes redduntur, aut ſteriles: illi quod nihil reliquiarum ſuperſit alimenti; pueri, quod reliquias in incrementum vertunt; eunuchi, quod potiſſimo careant inſtrumento, quo prolificum ſemen celebratur; teſtibus nempe, & quod vaſa conſocialia frigidiora reddantur, teſtium ſympathia, ſeu caloris defectu: quod etiam viris pinguioribus accidit, qui ſunt minus potentes, quod tranſeat in pingue excrementum alibile.

Ariſtot. l. de Communi motu anim.

Coadjuvat etiam impotentiam flatuoſæ materiæ defectus: nam membri virilis nervus fiſtuloſus, dum flatuoſa ſubſtantia impletur, in pertinaci excretione perſiſtit; & illius defectu, mox collabitur & cedit impotentiæ; deficit flatuoſa ſubſtantia aut excedente frigore, aut intenſo calore exolvente. Hic defectus agnoſcitur ex privatione aliarum cauſarum; & quod nulla penis arte erigitur, aut ſi fiat erectio, quocunque flatu excreto, mox concidit erectio.

Animi occupatio, aut converſio ad alia negotia, ſatis patet, ut etiam qui ſtudio literarum frigeſcunt, aut animo altis curis attrito, defectu ſpirituum; aut ob alias animi paſſiones vehementes, & continuas; ut ſunt timor, triſtitia, & verecundia: magis enim abſtruſi & occulti, ex anima in corpus morbi refluunt, ut Plato ſerio æſtimavit.

Longa Veneris abſtinentia, ſeu nativa, ſeu tempore contracta, ſolet hæc vaſa & membra, & reddere ignava, & hebetia, defectu exercitii; unde connivent vaſa, & concidunt in ſeſe oblita ſui muneris: ut gulæ inſtrumenta in magna & continua ciborum abſtinentia: quo certe vidimus homines periiſſe devorandi ignava impotentia; quo ſane vitio ſeminalia feriuntur inſtrumenta, ut cum ad coitus conſuetum exercitium redire voluerunt, amplius non potuerint: quæ vitia ſi ab ortu contracta, aut alte radicata, rariſſime, aut nunquam curantur ope medica.

ARTICULUS XI.

Phyſicæ ligaturæ quæ impotentiam adjuvare creduntur.

Phyſica ligatura hominem impotentem reddi, plerique rati ſunt, & hoc ab interno principio, nempe ex influxu cœleſti, dum ſingularis aſpectus, aut planetarum figuratio, à formationis patibilibus terminatur, ubi maxime dominatur influxus, pro cujuſque ſpeciei natura, omnibus individuis, aut pro ſingulari complexionis gradu, aliquibus tamen illius ſpeciei individuis congenita; ex quo ſingularis proprietatis efficacia, in hoc aut illo individuo obſervatur; ut pleriſque animalibus, vegetabilibus, & mineralibus obſervare par eſt, ratione ſpecificę aut individualis conſtitutionis: in quorũ generatione cœlitus aliqua imbui virtute, aliis prorſus contraria, aut malefica, obſervamus; ut illorum ope rationes ſiſtat, aut liget, vel coërceat: & hæc eſt certe Phyſicæ ligaturæ origo, & principium à cauſa nobis prorſus ignota, per effectus interdũ comprobata.

Sic actio magnetis ad adamantis, vel alii præſentiam in debita diſtantia, & ſiſtit & ligatur: ſuccini actionem in paleis trahendis ligat oleum; alyſo, hypericoni, & moly herbis tantam ineſſe contra malignos ſpiritus antipathiam, ut quemadmodum luporum capita januis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecude ne faſcinentur, arcere ac amoliri, graviſſimi auctores tradiderunt.

Eſt tamen alia magis nota ligatio, per manifeſtas & notas qualitates; ut dum calor & frigus actiones potentiarum ligant, aut coërcent, ut dixit *Dioſcorides lib. 4. cap. 37. Plinius lib. 28. c. 10.* alia etiam magica virtute, & detinent & ligant actiones; nam Homerus, *moly* contra veneficia extollit, ac illa Cyrces Ulyſſem muniviſſe, nos docet: quare amuletis quæ virtute naturali nitantur, non eſt omnino deroganda fides, eſt tamen caute tribuenda. De horum enim ſubſtantia vaporum effluvia inſpirata vires corporis reficere, internamque morbi cauſam alterare, aliquando depellere, malitiam ligare, nemo ibit inficias; qui torpedinem noverit, per tridentem manum piſcatoris torpore inſenſibili afficere, & ligare ſenſibilem virtutem; Echenidem etiam piſciculum, (ſi non eſt apocrypha traditio,) navem velis tumentem in medio proceloſi maris detinere.

Odyſſea 10. & 11.

Sic illo vaporum inſpirato effluvio, catharro melantii ſemen medetur; veneno hyacinthus: lapis bezoar malignitatem ligat: epilepticæ ſymptomata pœonia; ſtercus lupi & canis abdita & occulta virtute, colicis doloribus mederi, Galeni eſt ſententia, 10 *Simpl. cap. de Stercore Lupi*; morbi cauſam occulta qualitate depellendo.

& 10. in capite.

Unde periaptis virtutem naturalem non omnino Galenus denegavit, *lib. 6. & 10. de Simpl. med. facult.* neque cantaridum virtutem ſophiſticam exiſtimat: Theophraſtus autem ſolum illa damnavit, quæ certis ceremoniis, aut veneficiis alligata, tum corporibus, tum domibus opitulari credebantur: quæ etiam Imperator Caracalla damnavit, teſte Spartiano.

Non eſt ergo contra veram Philoſophiæ rationem, poſſe hominum imaginationem ligari, aut inſtrumenta Veneri ſervientia, ad hujus aut illius impotentiæ ſortem. Hoc ipſum legimus enarraſſe *VVierum lib. 3. de Perſtigiis, cap.* 18. quod aliqui vinciri & ligari putentur, cauſa imaginata, abſque ullo certo veneficio, ut ad concubitum impotentes, & quaſi evirati reddantur. Hoc tamen naturali occaſione variis de cauſis, uſu venire poteſt; imaginatione, vitiatis, aut impeditis congreſſus organis: propterea non erit ſemper incantationi apponendum illud vitium; nec ſtatim ſuſpicione aggravandus inſons. Quare ſicut à dæmone poſſe inſtrumenta inepta reddi fateor, ita quoque ſpurciſſimæ anus maligna voluntate, & inſulſa imprecatione id effici, conſtanter nego: poſſe tamen, hac aut illa perſuaſione, imaginationem ligari, variis patet exemplis.

Sic in Italia viros, ſe quoque impotentes reddere arbitrantur mulieres, ſi anterius ſubligaculi ligamen furtive alicui ſubtractum colligent: eo etiam reddito, ab eo impotentia ſe rurſus eundem liberari autumant: Idem de lupi virga in alicujus nomine ligata, vel ſoluta, perpetratum exiſti-

existimant: si quis item malevolus, cubiculi, in quo sponsus cum sponsa decumbit, ostium solum pulset, inclametque, infigens januæ cultrum, cuspide usque in ligno relicta; is qui adornat maleficium descendat tacitus; sponsum ea nocte, nihil posse in re venerea, fertur: at in hoc nulla virtus naturalis elucet: ideo est veneficio suspectum.

Plerique etiam sola insulsa & barbara persuasione redduntur impotentes, ut quondam ligatum se fecisse idem tradit Wierus, ut Veneri se prorsus impotentem judicaret, sed eundem dexteritate quadam restitutum: adducens ei librum, Cleopatræ de speciositate conformanda; legensque locum, *ubi eo modo ligati corpus totum inungi jubet, corvino felle mixto, cum sesameleo, & ita juvari*: Hoc audito, confisus est ille libri verbis, & id fecit, citoque augmentato libidinis æstu, restitutus est: nam quemadmodum impia credulitate quis læditur; sic & eadem levari, credibile, usuque observatum est.

Pari fere historia alium ab impotentia, & prorsus naturali, nobili, & potenti alimento, aromatibus condito restitutum, refert *Christophorus à Vega 3. de Arte med. Sect.* 10. *cap.* 5. quare si subito incidit impotentia, nullo aut levissimo morbo præcedente, nec aliqua insignis vacuatio, aut aliqua narcotici suspicio, quæ torporem inducat, nec hydrargyrii præcesserit curatio, in homine alioquin valido & robusto, & potenti in Venere, tunc est certe magici ligaminis suspitio, si maxime remanet ad unicam potentia: quoniam omnes fere causas naturales excludit: & talis adaugetur suspicio, si sit inter meretrices conversatio, & ad illam valeat cui potens antea erat.

ARTICULUS XII.

Naturalis impotentiæ examinatio.

Hujus nativæ ligationis examen est profecto omnium difficilimum; & in hoc maxime indelebiles errores committi video; causa nempe non bene explorata; audacia & temeritate sententiam proferendo in judicio. Ideo tam manifestis & exactis distinctionibus impotentiæ capita perpendere studui, ut quantum hominis captus tulerit, in gravissimo negotio propius veritati accedamus.

Quare, cum de viri alicujus impotentia exploranda nostrum prærequiritur judicium, prius divinum auxilium implorantes, perpendere debemus, nativam hujus viri temperiem & totius & singularium partium principalium, & virilitati dicatarum; deinde de vita ante acta, veritate non ficta, non simulata; omnes pene gressus explorare, ut certiores reddamur de vera aut simulata impotentia: tertio membra genitalia tractare necessitas compellit, ut vitia, de quibus antea mentionem fecimus, exploremus: 4. per capita & principia singularia, fiat examinatio: primo de semine, an conditiones naturales sortiatur in substantia, in crassitie, tenuitate, & consistentia, in aliena, aut debita temperie, in delectatione, in cita aut tarda emissione, & in cæteris omnibus, quæ nos illo in *Titulo* adnotavimus.

De facultate expellente acriter discernamus, an essentia debilis, an solum impedita, & à quo principio: quorum signa in hoc *Titulo* facilime invenies.

Transeamus deinde ad prolificam seminis facultatem, nempe ad formatricem, & perpendamus, an hæc ipsa in culpa esse possit ad illam nativam impotentiam: & attende, an quando ista languet, possit expellentem coafficere, quo ista à proprio munere otietur, quæ quanto abdita magis causa, tanto acrius judicium exposcit.

In exploranda impotentia in virili membro, & vasis seminalibus, vasorum numerum te decet comprehendere, formationem & situm; deinde vitia contemplari, quibus affici possunt; & quæ sunt instrumenta, aut partes similares. De hoc exactissimam notitiam invenies *in Titulo Vasorum*, ut nil amplius possis desiderare.

Deinde affectus per consensum expende, quibus potest illa impotentia foveri: nam consensus potest advenire semini, facultati expellenti, animali, & vasis, & ipsi virili membro: de quibus omnibus exempla ad unguem proponuntur.

Hæc sunt præcipua principia, à quibus impotentia in radice producitur: haud minus tamen acriter juvantia impotentiam, in eisdem principiis cum torno & cothurno perpendamus: nam ibi quæ illam coadjuvant, sedula diligentia expenduntur, in titulo coadjuvantium; seu ex corde procedat, jecore, stomacho, aut ex flatus defectu; seu à corpore toto, aut parte quaque determinata; in juvene, aut sene.

Ultimo physicas ligaturas considera: an etiam ab occulto principio nobis prorsus ignoto, ab influxu nempe invisibili, talis coadjuvetur impotentia: De hoc etiam plura invenies ex arcanis naturæ in hoc titulo.

Ex his tamen unicam regulam generalem elicies, quod naturalis impotens, pari ad omnes laborat impotentia: si vero est ad unicam potens, ad cæteras eviratus & impotens; quod hoc sit infallibile maleficii argumentum: & non impotentiæ naturalis: si excipias impotentem ad arctas, & constrictas, non certe ad corruptas. Is enim proprie *impotens* dici nequit, quoniam est debilis actionis ad potentiam, sed non omnino *actionis* abolitæ, quæ est per antonomasiam impotentia: sed is erit nihilominus impotens ad clausas, quoniam, respectu illius, finis matrimonii frustratur: quod sat est, ad illud matrimonium dissolvendum, ut postea videbimus.

Pleraque tamen alia vere non contemnenda, consulunt juris Peritiores: quod hoc nempe est *honestæ & probæ matronæ committendum, quæ sit exercitata, & quæ nec pretio nec precibus flectatur: & ante illam conjuges simul exerceantur, lauta post cœna, & variis aromatibus conditæ & pretioso vino: & quæ viderit coram Medico postea recitabit*. Qui, omnibus serio & attente libratis, coram judice suam dicat sententiam, & proferat judicium: omnem deceptionem præveniendo: quod si inde aliqua supersit dubitatio, imperat jus *canonicum* ut conjuges per *triennium* cohabitent ad ultimam probationem potentiæ, ut habetur in *cap. literæ ibi* sic legitur in *Glossa; qui enim separantur propter frigiditatem naturalem, per triennium continuum debent cohabitare simul; & operi carnali dare operam. sup. eod. cap. laudabilem. & in authentica de nuptiis. §. per occas. collat.* 4. Ideo requiritur, *juramenta Medici, conjugum,*

gum, propinquorum, matronæ, & obstetricis. Nam circa majora cautius est agendum: aliis etiam imponitur peculiari odio; aliis ob spem altioris conjugii; & ob mille fraudes aliis: nam fallaciæ, quæ in magnis negotiis quotidie emergunt, non possunt præveniri. *Erunt enim vitia; donec homines.*

ARTICULUS XIII.

An naturalis frigiditas contractum dirimat matrimonium.

An impotentia nativa frigiditate contracta absolvat à contractu, & contractum dirimat matrimonium, prudentiam non vulgarem exoptat, & naturæ arcanorum peritiam: ac tandem rationis legum consonantiam; quare ex prædicta doctrina elicitur conclusio.

de hoc Th. Sanch. l. 7. de imped. matrimonii disp. 92. & 3. usque ad finem.

Impotentia contracta ex aliquo ex tribus principiis adductis, seu per se, seu per accidens, contractum dirimit matrimonium. Formalis ratio hujus conclusionis in hujus contractus essentia consistit; matrimonii contractus stat in summa libertate consensus, & in mutua traditione corporum, & in solvendi debitum potentia, ut finis matrimonii adimpleatur: qui est generis humani propagatio, aut in concupiscentiæ subsidium. Ergo si hujus sacramenti stabilitas, (quod est de jure divino) in his tribus conditionibus consistit, quæ adimplent essentiam contractus, quacunque deficiente, erit irritus: & nullus, qui sub hac impotentia celebratur. Patet hoc; quia matrimonii finis nec minus adimpletur, per coëundi potentiam, quam per consensum & mutuam traditionem corporis: ergo sub eodem jure militant adductæ omnes conditiones.

Contra conclusionem sic objicies: Finalis causa, in vera philosophia, semper est extra essentiam rei per causalitatem productæ: ergo non potest essentiam in productione constituere. Huic objectioni respondemus, quod in physica rerum productione, verum est, finalem causam semper esse extra rei producendæ essentiam; non autem in causalitate morali: quoniam moralis essentia constituitur per formam & finem melius operandi in virtute morali: & cum forma & finis hujus sacramenti non tantum sit physica in propagatione, sed moralis, in conservatione & educatione filiorum, inde oritur, ut hujus matrimonii essentia, etiam per finem moralem constituatur.

Est tamen hujus conclusionis conditio, ut impotentia sit perpetua, qualis per causas ante dictas contrahitur; & ante matrimonium contracta: talis enim & contrahendum impedit, & dirimit contractum, per textum *in cap. quod sedem, & cap. laudabilem de frig. & malef.* quippe *nemo tenetur ad id quod præstare non valet*, ad legem aliorum contractuum, *leg. impossibilia ff. de reg. Iuris.*

Aliam conditionem prærequirit Pontificis decretum, nempe, si non valet mederi ope Medici, ut legitur *in cap. literæ. de frig. & malef. in cap. 3. ex literis*; sic habent verba textus; *naturale impedimentum, arte Medicorum irreparabile, impedit matrimonium*; quod si aliter fiat, & nubat impotens, & invalidus, dolus, & fallacia arguitur, quod sat est, ad nullitatem contractus comprobandam; & illa censetur perpetua sterilitas, & talis impotentia, ab Aristotele *2. de generat. animalium 5.* quæ à primo ortu naturæ innascitur locis ad coitum incommodis & læsis; & hæc medici artificio non cedit.

Non tantum dum ex propria impotentia debitum solvere nequit, (ut constat ex prædictis) dirimitur contractus; sed etiam, dum ab illa impotentia viri, mulier in gravem noxam inciderit; tunc enim etiam separatur, & juste, matrimonium; sic *in cap. 3. ex literis Papæ; Quidam sexdecim annorum nupsit mulieri tredecim; qui cum debitum reddere non possit, mulier tam gravem infirmitatem contraxit ut omnino viro facta sit inutilis, & instrumentum ejus impeditum per arctationem, ut viro commisceri non possit: Respondemus igitur, si vitium est à natura, & incurabile, alii viro nubat, &c.* Hoc etiam ratio naturalis convincit; quia finis matrimonii impeditur, & in utraque conjuge frustratur.

Non tantum impotentia simpliciter, sed secundum quid est ad solvendum matrimonium sufficiens; nam si daretur, quod præ debili potentia arctam mulierem penetrare non valet, nec illius virginitatem solvere: hic etiam casus dirimit matrimonium, quia finis matrimonii frustratur: quoniam nec inde consequitur generationis propagatio, nec est in concupiscentiæ subsidium; sic legitur *in capite consultationi tuæ. Propter arctationem mulieris, si absque periculo corporali, habilis reddi non possit, separatur matrimonium; redintegratur tamen si postea apparet habilis, intellige, ad illam arctationem penetrandam.* In hoc tamen statu illud advertit Glossa, *non tantum requiritur cohabitatio, (ad comprobationem impotentiæ hujus) & juramentum utriusque, sed insimul habitasse ipsis, cum septima manu propinquorum manu firmantibus juramento, se commisceri carnaliter nequivisse: tunc proferatis nullitatis sententiam inter eos.* Sed quare requiritur juramentum propinquorum, si sufficere debet juramentum viri & mulieris, quæ illam virginem asseverant, ut supra dictis propinquorum, probationibus *cap. proposuisti, & cap. causarum matrimonii*, vel etiam juramenta propinquorum sufficiunt cum utroque id confirmetur; *31. quæst. 1. cap. nec aliqua*; Ideo juramentum propinquorum requiritur: omnis enim cautela est adhibenda, ob periculum animæ; ideo circa majora cautius est agendum: *7. quæst. 2. cap. ultimo & 42. destinet cap. quiescamus, ff. ad Carbon. lib. 1. §. 2. & 61. destinet cap. miramur, &c.* *decretal. tit. 25. cap. 7. litera vestra.*

In capite literæ, sic habent verba capitis; *si uxor viro cohabitet per triennium, & jurat non habere potentiam coeundi, matrimonium separetur: si tamen vir dicat non habere potentiam illam, sed ad alias, si hoc constat in effectu, & septima manu propinquorum, separetur matrimonium.*

Quare judicat Papa quod æque in utroque casu separetur matrimonium, in frigido nempe & maleficiato; quia nec ex diabolo, nec ex illa nativa frigiditate est sperabilis ulla redintegratio potentiæ: hoc enim adnotatur in glossa, primo ut loquatur in maleficiato: secundo si loquatur in frigido: tertio, si mulier nullam reddit causam impotentiæ: & qui dicit habere potentiam cognoscendi alias, allegat maleficium, quoad istam, non

non tamen quoad alias, & non frigiditatem: quia si quis est frigidus quo ad unam, quo ad omnes est frigidus; cum impedimentum à natura procedat, ut *cap.3. Ex literis*, secus in maleficiato, ut dictum est supra *cap. proximo.*

Unde postquam constiterit de maleficiato, post triennium debent separari, & ad alia vota transire; 33. *quæst.* 1. *cap. si per sortiarias*: Secus in frigido, ut supra *eodem cap. & cap. laudabilem. & 33. quæst. 1. cap. de his requisisti.*

In hac ultima clausula Glossa videtur innuere, si impotens præ frigiditate redeat ad potentiam, etiam redeat matrimonio; quod maleficiato non permittit; quia, meo judicio, potius est sperabilis salus ex natura quam ex diabolo.

Nec immerito judico hoc relictum in ancipiti alea: vidimus enim intra illud triennium affectus impotentiæ omnino persanatos; quantumvis à natura procedant: ut habent verba textus; quare si talis daretur casus, possent triennio exacto redire matrimonio; quoniam Pappa non condemnat, nisi arte medicorum irreparabile; & ad hoc tantum ordinatum est triennium. Et unum certe legimus impotentem ab Olerio curatum, seminis transitu ad vasa seminalia denegato, ideo impotentem judicatum qui postea rediit ad potentiam. Alium restituit Doctor Christophorus à Vega: & naturæ majestas in omnibus momentis fide caret.

Illa tamen in hac re est major consideratio, quod alia impotentia est ab ortu contracta, & generationis principio coæva, & alia in tempore producta; illa medicinæ auxilio non cedit, ista interdum restituitur; quod idem in venefica impotentia accidisse, Baptista Codronchus auctor est, *lib. 3. cap. 6. de morbis veneficis*: quare in hoc etiam est maxima cautio adhibenda.

Quia clausura in mulieribus, quæ aut natura, aut morbo comparatur; aut etiam ex gravi hominis impotentia, ut in textu advertitur; nec semper est perpetua, omnino incurabilis censetur à Medicinæ doctis. Quod si daretur ut mederi valeret, non erit absoluta causa solvendi matrimonium; excepto ubi omnibus Medicinæ auxiliis tentatis, non proficeret; nec illæ particulari impotentię sat esset in proposito casu; nam aliæ poterit esse satis: sed hoc non convincit in casu alieno; si in illo de quo est dubitatio, non concludit.

An curabilis. Clausas mulieres Galenus *attritas* vocitavit, 2. *de caus. Sympt.* 4. Albucasis *Alratica*; Rasis *arctas*: Avicenna *Clausuram*, Ætius *Imperforatas* dixit. Illa autem clausura tribus in locis accidit, aut in pudendi labiis, aut in sinu pudendi, aut in osculo uteri. Causa hujus clausuræ aut est depravata partium conformatio naturalis, aut ex callo ab ulcere contracto, seu tota quæ dehiscit cavitate, aut ad latera saltem: hoc etiam & à schirrho contingit, tempore indurato, aut excrescente carne, ut Avicenna dixit; *Phimosim* Galenus vocitavit. Natura etiam monstra ex errore producit, in conformatione depravata, seu uberiori materia cumulata; forte naturæ vitio; facultatis formatricis defectu, aut errore, in primis elementis, dum embryo configitur, adnascente nempe in ostio pudendi membranosa, aut carnea substantia; quo separatæ partes inter se coalescunt; adnascentem membranulam fieri ex paniculo fœmoris, Savanarola dixit.

Avic. 21.3. tract.1.c.4. Gal.9. 2. locos cap.6. Paul. lib. 6. cap. 72.

Hujus mali causam Paulus ad artis principia reduxit. *Genitales mulierum partes*, dixit, *clauduntur interim à natura, interim accessorio morbo præcedente, alias in imo, alias in aliis, sæpe etiam in medio spatii: idque aut secundum naturam, aut ex obstructione: quod autem foramen intercipit, intercluditque, vel caro, vel membrana est: virginitas enim in sola partium clausura consistit, constrictioneque absque ulla intercipiente membrana: nisi illud forte ex eventu contingat, aut errore naturæ.* *Paul citat.*

An autem omnes istæ clausuræ debeant censeri *incurabiles*, peritos de hac re differentes nos oportet consulere. Nullam desperatam Paulus judicat, si serio & attente curetur; citato loco, seu à callo seu scirrho, indurato contingat. Si à tunica ibidem adnascente, est tutissimum & facile remedium, tunicam illam foraminibus perviam scalpello incindere, & postea separatam conservare, usque dum perfecta sanitas consequatur: quod nobis in puellis haud semel observare contigit. Has etiam clausuras curare docuit longa post experientia Albucasis, & accurate etiam Theodorus Priscianus, Moschio Græcus, & Ætius. *Citat. loco.* *Alb. lib. 4. Serv. 4. cap. 6.*

Quare concludimus, quod illa clausura quæ valet Medici artificio mederi, matrimonium non dirimit, ut etiam constat *ex cap. 4. consultationi tuæ*: nec etiam alii affectus, qui cedunt arti Medici, quantumvis contagiosi & pravi judicentur, ut elephantiasis, lues gallica, lepra, oris fœtor, &c. seu ante, seu post matrimonium contracta.

Illa tamen est adhibenda cautio: quod si post matrimonium contrahatur impotentia in viro, illa certe matrimonium absolute dirimere non debet; quia humanum est in casibus fortuitis matrimonio sancto ligatos parem pati fortunam, & infortuniorum esse participes; quia nedum servus, qui morbum in ipsa servitute contraxit, præmio & mercede defraudatur, uti servus Ecclesiæ aut Reip. excepto, ubi regni, seu nobilis & antiquæ domus successio penitus defraudatur; quoniam finis communis, aut successionis, aut pacis consequendæ, illam casus particularis superat humanam tolerantiam; ad imitationem naturæ, quæ peculiarem jacturam pati sinit, ne universum pereat: hoc enim est communis utilis privilegium.

Hic tamen excipiendus casus est, ubi ex viri impotentia mulier in gravem noxam inciderit, contracto matrimonio, nempe in nimiam & insuperabilem pudendi adstrictionem, quoniam in decreto hic casus exceptus invenitur ad contractum dissolvendum matrimonium.

ARTICULUS XIV.

De sterilitate mulierum.

Non ita crebro vocatur in judicium fœminæ *sterilitas*, ut viri *impotentia*: Ideo, (si forte contingat,) de hoc pauca dicemus, sed scitu digniora.

Fœminæ sterilitas est semen in utero non concipere, aut conceptum non retinere, aut depravate seminis materiam disponere, ut frustretur

conceptio. In primo, vis uteri abolita elucet; deminuta in secundo, depravata in tertio. Prima est absolute sterilitas; aliæ secundum quid: nam utero tres facultates serviunt, in ipso conceptionis munere, *attractrix, retentrix,* & *expultrix:* & hæ sunt quæ tripliciter in conceptionis opere læduntur.

Ad conceptionem concurrunt, uterus, vasa seminalia, ut instrumenta huic muneri dicata; semen, ut agendi principium potentia vitale: menstruus sanguis, ut alimentum fœtus: & prædictæ naturales potentiæ, distinctæ ab illis quæ uteri alimento famulantur: temperies: spiritus utrinque concurrentes; & alia; quæ huic ministerio concurrunt, his tribus principiis famulantur. Quæ si simul in seminis conceptione concurrunt, ut inde seminis conceptus fiat, & geniti embryonis augmentum, adornatur fœcunditas; sin omnia, aut singula deficiunt in munere à natura mandato, tripliciter lædi conceptionem contingit, *abolite, deminute* aut *depravate.*

Ideo ex fœminis aliæ non concipiunt, quas proprie Galenus, Plato, & Aristoteles *steriles* dixere: has dixit Aristoteles *natura & proli infœcundas*, abolita omnino generandi potentia vel ab ortus principio, seu tempore contracta indelebili vitio.

Hippocrat. Aristot. 2. de generat. animal.

Aliæ ex fœminis semen in utero conceptum retinent, sed fœtum perficere non valent; quibus necessario accidit abortiri, ex deminuta uteri retentrice, lubrica humiditate, aut crudiori sanguine laxata; aliæ & semina concipiunt, & avidius retinent, sed pariunt monstrosa: seu ex depravata uteri actione, formatricis errore, seminis ubertate, aut defectu; seu vitio locellorum ipsius uteri; aliæ tandem bis aut semel concipiunt, *steriles* in posterum; de quibus in Hippocrate est celebris memoria.

Hæc tria principia in *sterilitate* eadem pene vitia patiuntur, velut in *impotentia*; ideo ne abuti tempore videamur, illa repetere non libuit; sed isthuc loci lectorem benivolum relegare; ubi de *tribus principiis impotentiæ* disseruimus. Hic enim pariter uteri vasa & substantia patiuntur, ut partes similares aut organicæ; & eisdem pene affectionibus, in intemperie, depravata compositione, aut soluta unitate: & semen eadem pene vitia pati potest; ut etiam uteri facultates, & facultas formatrix; menstruus sanguis potest reddi alimentum inutile, qua multus, vitiosus, tenuis, nimis crassus, aut peculiari vitio defœdatus, profluens, aut ultra par retentus: potest tandem esse *innata sterilitas*, ex peculiari proprietate individui, aut influxu cœlesti, aut obesitate nimia, & crassitie; *Quæ*, ut Hippocrates dixit, *os uteri comprimit*, aut exili gracilitate corporis.

de hoc Hippoc. 4. Aph. 46. Arist. 3. de hist. animal. 17. Plin. 11. natural. hist. 37. 2. de morb mul. 5. Aph. 52. 3. & 4. 60. & 62. lib. de Sterilib. lib. de aëre & locis. text. 26. lib. de natura humana 1.

Ex vitio corporis universi, in obesitate, & crassitie constat ex Aristotele 3. *de histor. animal.* 17. ex Plinio 11. *natural. histor.* 37. ex Hippocrat. 5. *Aph.* 45. 6. & 7. & 52. 2. *de morb. mul. & lib. de Natural. mulier. & de sterilitate lib. de Locis in homine* 16. & *lib. de Natur. hum. comm.* 1. quibus in locis ad experimenta devenisse constat, ad *sterilitatem* comprobandam.

Sors alia *sterilium* observatur, non absoluta, sed viro comparata, quæ ex dissimili utriusque temperie, si non proprietate, comparatur, ut Stoicis placuit; quod sequitur Lucretius quando dixit:

5. Aph. 59. & Galen. in comm.

Gal. de hist. philosophica.

Usque adeo magni refert ut semina poßint
Seminibus commisceri generaliter apta:
Crassaque conveniunt liquidis, & liquida siccis.

quas si curare velis, in graviora pericula deduces; qua facile importuno auxilio in absolutam *sterilitatem* dilabuntur.

Fructus enim qui ex terra nascuntur, non quivis ex quaque terra nascitur, augetur, perfecte maturescit: sed unum quodque semen amat peculiare solum, quod est illi prolificum, aliis inutile; si non prorsus contrarium: quod utero mulieris accidisse par est; quoniam licet fœmina sit temperie, & natura fœcunda, semen optat prolificum, sibi consociale, & gentilitium; ut ex utroque semine proli congeneum resultet. Quid enim contulit *fœcundum* dare semen; si utero *sterili* suscipitur, & à natura seminis alieno? nam illius fœcunditas metitur agri fertilitate; quoniam soli frigiditas & compacta natura, seminis fructum emergere coërcet: obruit & suffocat, prolificam virtutem infœcunda humiditas, & semina putrescunt; mittimus etiam quod ligamenta laxat, defectu alimenti; marcescit semen, ab soli exurenti calore, & siccitate arida.

Sic uteri densa & compacta natura, frigore & vasorum angustia, fœturæ incremento est inepta & obruit prolificam virtutem: nec intrare permittit ad embryonis fabricam, nisi sanguis serosus, tenuis, & inutilis, pro ipsis perficiendis involucris, & solidiori spermaticarum partium alimento; & in utero qui laxa & inundante humiditate fluctuat, (ut in palustri solo) semina extinguuntur; aliquando putrescunt: utque in agro sicco calidiorique marcescunt semina defectu alimenti: sic in arida uteri siccitate, calore copulata, vivifici seminis potentia viventis, nectar prolificum absumi, & aduri, par est: nam de malis auguria non sunt bona; frequens etiam abortiendi casus potissima sterilitatis causa est; ut antiquatæ etiam obstructiones uteri; sed præcipua est dissociata seminum contrarietas; seu sit à lapsa intemperie, seu ab individuali qualitate; antipathia contraria pugnantibus.

Quoniam sola illa seminis vasorum contrarietas quæ in primis qualitatibus observatur, actione, & passione ad invicem refracta, quæ certam & temperatam symmetriam constituit, fœcunditati & proli necessariam, hæc sola est fœcunda: ut si calidum viri semen mulieris frigidiori temperetur, quod non sit valde lapsum: hujus experimenti illud est argumentum, *mulier in primo conjugio sterilis, in secundo fœcunda; licet idem maritus esset cum alia sterilis.*

ARTICULUS XV.

Sterilitas cui nam consorti adscribenda.

In dubio autem, *cui nam conjugum esset adscribenda sterilitas.* In varia experimenta devenerunt auctores, forte rei difficultate superati: Avicenna experimentum ex Rasio antiquissimo adduxit, quod aliis certius Mercatus æstimavit: nempe *ut super aquam semina conjugis utriusque prolicientur, & quod supernataverit, judicandum sterile.* Huic addit secundum, *ut urina utriusque super lactuca radices*

Fen. 21. tract. 1. c. 7. 22. continentis.

dices inspergatur, aut plantæ alterius tenerrimæ: & quæ suam radicem exsiccaverit, illius est censenda sterilitas.

Aliud Galenus docuit experiri, *ut in duobus vasis contineantur semina hordei, tritici, aut fabarum & sub eodem numero, & super illa separatim conjux uterque mingat; & si post septem dies hæc semina nascantur, illud erit fœcunditatis argumentum; sicuti marcescere sterilitatis.* Hippocrates 5 Aph. 59. *Si mulier non concepit,* inquit, *scire autem velis an conceptura sit, pannis circumtectam de subter suffias, & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito quod ipsa non ex se sterilis est.* In cujus Commentario Galenus; *totum non pervadit corpus qualitas suffitorum, quibus durum ac densum est uteri corpus, tale enim conceptioni non est aptum, ut alibi etiam dictum est ab Hippocrate.*

ARTICULUS XVI.

Quo tempore mulieres concipere incipiant.

Antiquitati placuit, legitimum concipiendi tempus esse post menstruata semina, quod certe Aristoteli placuit, 7 *de Hist. anim.* 2. *Mulieribus,* inquit, *à profluvio menstruorum sua natura conceptio contingit; & quæ his carent, steriles magna ex parte fiunt:* non absolute, *magna ex parte* dixit. Novimus enim concepisse plerasque fœminas antequam menses apparuissent; & quibus nunquam fluxerunt: illis nempe in quibus nihil erat superfluum, sed proli necessarium cumulantes, reliquo absumpto in alimento corporis. Est tamen ad sterilitatem, *nullos habere menses:* & quod proli alimentum non suppetat, & quod locelli uteri, præ ariditate irrigationis defectu, obdurescant, quo neque semen concipitur, nec conceptum prolificat.

Ex alio principio nos sterilem vidimus, ut antea notavimus, satis nobilem fœminam, & 20 annorum, defectu appetitus ad venerem, & delectationis carentia, in actu matrimonii, & non viri defectu: erat enim nupta satis robusto viro, & quem in aliis constitit genuisse. Hoc ex duplici principio accidisse ratum duximus: seu ex alta obstructione viarum, per quæ semen ad uterum descendit; seu ex tam intensa seminis frigiditate (erat enim ex Angliæ provincia) ut adhuc motu valido, & exercitatione, prorsus non incalesceret; nec loco moveretur: nam semine carere, credere par non est, juvenculam, & coloris laudabilis.

Ut ista præcaveatur sterilitas, ex ætatis defectu, nuptiis Plato legem imposuit, *lib. 6. de Legibus,* nempe, *ut viri conjugium ineant à 35 anno, & puellæ nubant anno 16. ut sit fœcunda proles:* quoniam æstimavit quod antea immaturi concubitus plerunque non concipiunt; & si forte concipiant, esse fœtus invalidos & semper cum abortus periculo: quoniam damna quæ relinquuntur, in uteri locellis, & pudendi, ex abortu, aut postea auxilio non cedunt, aut plane conceptioni reluctantur; seu callo ex ulceribus his locellis inducto, seu imbecillitate, ad cujus regressum nulla datur potentia: nam virgines ante tempus corruptæ, (quod etiam accidit ex frequenti abortu) ex illa violentia, valetudinariæ evadunt, & debile illis os uteri redditur, valde intemperatum, & exhaustum, spiritu & sanguine, ut haud semen concipiant aut conceptum retinere non valeant: quod solet esse augurium graviorum malorum, ut nos experti sumus: vidimus enim tales, importunas accessiones pati ex uteri consensu, ut præfocationes, & graves epilepsias.

De his hoc tempore invaluit opinio: *Valetudinarias & invalidas, statu matrimonii, & concubitus usu, ad salutem restitui:* & sic perinde accidit in illis, in quibus causa mali, est uterus, aut improspera menstruorum purgatio, aut seminis retentio: quod certe mille modis fœdatū, in gravia discrimina perducit halitu venenoso: in his enim concubitus usu, à pravis succis uterus expurgatur; & occlusa venarum oscula, motu & agitatione dehiscunt, mensibus via datur: ut solito cursu, à gravissimis malis liberentur: retentū semen motu & delectatione ad uteri cavitatem propellitur, ibidem expurgatur, si nō fit in utero conceptus, quo à malis quę ex retento aut fœdato progerminant, liberentur; at illis quibus antiqua mala delitescunt, in venarum hepatis antiquata obstructione, aut mesaræi venis, fortasse in ventriculo tantum abest, ut concubitus usu lucretur desiderata salus, quin imo nova malorum accessione cumulentur; & nova & lamentabili querela jactentur in deterius; quia ex motu importuno, & pravo corporis apparatu, lentæ febres succrescunt; novæ obstructiones, fusis & liquatis humoribus, melancholici affectus intenduntur, ad cor & cerebrum vaporibus elatis; quibus omnibus languor & imbecillitas non tantum affectus deteriores reddit, sed & curatu difficilem declamat: quod non tantum ratione convincitur, sed experientia etiam comprobatur.

ARTICULUS XVII.

Quæ sterilitas sit prorsus incurabilis.

Aliam *sterilitatis* sortem nobis Hippocrates tradidit observatam, *lib. 1. de Morb. mul. 5. & 6. cap.* quod etiam *in septimo* prosequitur; *illarum nempe quæ semel pepererunt, steriles in posterum.* In duplicem causam hoc loco præceptor culpam rejicit: quod mulier, nempe, postea serosa reddatur, aut uteri purulenti reddantur. Ex quo colligimus quod habitualis intemperies in utero, post partum impressa remanet, quæ concipiendo obsistit; seu à serosis purgationibus alteri impotentia contrahatur, seu qualitas indicibilis remaneat impressa, ex emortuo fœtu, aut abortu expulso, aut longa certe purgatione uteri; si non dicimus, quod mulier postea serosa redditur, frigida in utero contracta intemperie, si non etiam humida, ex qua, qui feruntur humores in alimentum uteri, in serosam materiam convertuntur; ex quo hydropis uterus periculo laborat.

Uteri purulenti, quæ est secunda causa, tunc mihi videntur reddi, cum pus manat ex utero, ulcere derelicto, aut tuberculo rupto: quod si quid tale, post partus labores accidat, vehemens est suspitio, aut ambo, aut saltem illorum alterum accidisse.

Has Hippocrates dixit difficulter curari; & merito sane: seu quia habitualis intemperies rationali auxilio resistit: seu quia uteri ulcera, ab Avicenna pene incurabilia æstimantur, & ob partis conditionem, & naturam, quæ longe humida, semper pravis humoribus scatent; ex quo fere semper

2 Prog. 3. & l. de Morb. mul. 1. 6. & 7. cap.

ſemper tranſeunt in cancroſa; ſi plures maxime partes uteri ulcera occupaverint; quod cicatricis lævitas utero derelicta, ſemini retinendo ſit inepta.

In ſterilitate contracta ex vitioſo temperamento uteri, ſeu figura illius vitiata, impoſſibilem curationem judicat Ariſtoteles: Galenus utitur *epicheia*; *ſi autem ſunt magnæ cauſæ*, inquit, *à primis elementis altius radicatæ, auxilio non cedit ſterilitas, (quod etiam AbenZoar confirmare videtur;) ſin autem ſint fugaces, nec multum à natura egreſſæ, erit certe ſperabilis curatio*; de hac etiam Sereni, Medici antiquiſſimi, ſententia intelligitur: *naturam, potenti medicamento victam, fœtum dare*; in hac etiam linea cauſæ accidentales & externæ, quæ ſterilitatem aut fovent, aut producunt, nec adimunt ſpem, nec tutam omnino curationem reddunt.

5 Aph. 62.

l. 2. Theiz. tract. 5. c. 1. Arles 4 de Generatione animal.

Pleraſque fœminas advertit Avicenna ex ſterilibus tardius, quam fœcundas ſeneſcere; forte propter partus labores & geſtationis diſpendium, abſumpto in fœtu alimento; aliter in brutis accidiſſe, memoriæ mandavit Ariſtoteles, *prægnantia enim*, dixit, *bruta, ut plurimum degere incolumia*; *fortaſſe quod fœturæ ſuperfluum, & quod prorſus inutile in ſui convertant alimentum.*

4 de Generatione animal. 6.

Parum ſecuras prægnantes mulieres æſtimavit Vitruvius, *quia quando gravidæ mulieres*, inquit, *vendebantur, non præſtabantur ſanæ*: quod apud Euripidem bene novit Medea, quando dixit: *ſe malle ter ſub clypeo dimicare, quam ſemel parere.*

2 de Re ruſt. cap. 9.

ARTICULUS XVIII.

An ſterilitas in fœmina diſſolvat matrimonium.

Fœcunditas in fœmina; ut in viro potentia, ſub eadem militant diſciplina, ſub eodem nempe fine; ita enim impotentia, generis humani propagatio impeditur, ut ſterilitate; quare ſi ad propagationem, & concupiſcentiæ ſubſidium, eſt divinum matrimonium inſtitutum; æque ab impotentia ac ſterilitate defraudatur; ſi impotentia omnibus numeris abſoluta, ad diſſolvendum matrimonium ſat eſt; ſterilitas, quæ prorſus incurabilis, quæ non valet medicinæ auxilio mederi, etiam ad diſſolvendum matrimonium ſat erit.

Nihilominus tamen ſit concluſio: *Mulieris ſterilitas, omnibus numeris abſoluta, matrimonium non dirimit, nec ad diſſolvendum conjugium ſat eſt.* Ratio fundamentalis hujus concluſionis in hoc præcipue conſiſtit: quod in duplicem finem matrimonii ſacramentum dirigitur, & *in generis humani propagationem*; & *in concupiſcentiæ ſubſidium.* Quare ſi deficit prima pars hujus finis, propagatio nempe; ſecunda ſemper permanet, quæ ſat eſt ad hujus matrimonii complementum. Hæc etiam ratio roboratur, quia hujus finis diviſio poteſt eſſe ad electionem contrahentis, quoniam, quantumvis ſpe careat generandi ſenex octogenarius, aut fœmina in eadem ætate, poterit matrimonium concupiſcere; legitime contrahere, hac ſola parte finis, ne incontinentiæ periculo laboret: & illud non alterius conditionis injuria: & ratum nihilominus erit matrimonium, quantumvis ſterilitas omnem poſſibilitatem excludat generandi. Hoc ita clare patet, ut aliis adminiculis non indigeat; præterquam quod eſt expreſſa ſententia Thomæ Sanches de *Impedimentis matrimonii, lib. 7. diſp. 92. & 3. fol. 338. His tamen non obſtantibus*, inquit, *certiſſimum eſt ſterilitatem nihil obeſſe valori matrimonii, quod Eccleſiæ uſus ita habeat: nunquam enim auditum eſt diſſolviſſe aliquod conjugium, ratione ſterilitatis, imo paſſim admittit ſenes ad illud ineundum*: ſic tenet D. Thom. *4 diſt. 34. quæſt. unica à 2. ad 3.* ſic receptum eſt paſſim ab omnibus Theologis & Juris Pontificii Profeſſoribus; pauciſſimis exceptis, quos refutat Barboſa, *cap. 1. part. 1. n. 98. ff. Solut. matrim.* ſic Sanctus Bonaventura & alii.

STATIO VIII. ARTICUL. I.

DE MALEFICIATIS.

Hoc eſt de impotentiæ ligamine veneficiis contracto.

Ligatos ad Venerem veneficæ ope, *maleficiatos* intelligimus. Quid ſit *impotentia*, antea vidimus: qua ſorte maleficii contrahatur, nunc oportet ediſcere. *Eſt veneficium in communi prava corporis commutatio, virtute dæmonis ex pacto cum homine tacite vel expreſſe inito, ejuſdemque hominis miniſterio ad improbam aliquam cupiditatem explendam, ſeu noxam inferendam, juſto, quamvis occulto, divino permittente judicio.*

Quare *Ligamen impotentiæ eſt quædam noxa, quæ vaſis Veneri ſervientibus inducitur: ſeu prava harum partium commutatio: qua iners debilitas inſigitur in partibus prædictis, ne expleatur ad Venerem potentia; ope veneficæ & in virtute dæmonis*; & hoc *Ligaminis maleficium* dixere ſacri canones, ſub *titulo de Frigidis & maleficiatis.* Quod ſane maleficii piaculum, à Zoroaſte Noæ filio tertio, & ante diluvium progenito, deſcendit ad hariolos & magos; Conſtans eſt Beroſi antiquiſſimi ſententia, Zoroaſtem Patris genitalia, carmine ferali, & ſolo manus tactu, ignavæ adegiſſe impotentiæ; ut non inde poſtea genuiſſet; & hinc ortum traxit Poëtarum traditio, (nec vana fides) Saturni filium patris genitalia amputaſſe, ligata in poſterum potentia, ut Heſiodus in *Theogonia*; Plutarchus *lib. 1. de Natura Deorum.*

tit. 15. à cap. 1. ad 7. Petr. Greg. 3 Synt. univerſi juris, c 9. n. 5. & Heſiod. in Theogonia. Plutarch. lib. 1. de Natura Deorum.

ARTICULUS II.

An dæmon ope veneficæ poſſit impotentiam in homine inducere.

Hoc omnis Sacra Theologia ſupponit, fatentur ſacri Canones; quoniam eo modo, quo dæmon valet varias infirmitates & noxas in corpus humanum ducere; (divino Numine permittente) ſeu activa paſſivis applicando, ſeu medio hujus aut illius inſtrumenti, ſeu falſo, apparente perſtigio: ſic valet etiam impotentiam partibus genitalibus inducere: quo evirati homines, & ignavi redduntur: & hi ſunt qui proprie *maleficiati* appellantur. Hæc eſt patrum ſententia, & utriuſque juris.

In cap. ſi per ſortiarias 23. quæſt. 1. cap. cum à Fil. & fug. & malef. D. Thom. 4 Sent. diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. & part. 3. qu. 58. art. 2. Binsfelt. in Confeſſ. malef. quæſt. 2. concl. 6. Delrio l. 3. Mag. part. 1. quæſt. 4. ſect. 8. Suar. lib. 2. de Relig. cap. 16. n. 22. Spring. in Malleo, part. 1. quæſt. 8. & part. 2. quæſt. 1. cap. 6. Th. Sanch. tom. 2. lib. 7. diſp. 94. n. 1. Sic haberi in capite laud. de Frig. & mal. Grilland. de Sortileg. lib. 2. quæſt. 6. n. 11. 12. & 33. Remig. lib. 2. Dæmon. cap. 5. Godelmar. de Lamiis, fol. 388. Menoch. de Arbitrar. caſ. 388. Majol. 2. Canicul. colloq. 3. Molitor de Pythoniſſis, cap. 7. Caſalp. de Inveſtigat. dæmon. c. 10. & 11. Codronch. 3. de Morb. venef. cap. 5. & 6. VVierius 3 de Perſt. cap. 18. Foreſt. tom. 1. obſer, lib. 26. obſerv. 18. Fernel. 6. Patolog. 13.

A R-

ARTICULUS III.

Quibus instrumentis maleficii ligamen consequatur.

Hæc eadem, quibus natura utitur ad morbos inferendos, dæmon assumit; quoniam propria virtute, valet dæmon operari, quidquid motu alterationis & locali consequitur, dummodo non sit in destructionem universi: quare potest dæmon in semen, in vasa seminalia & imaginationem, inducere species, qualitates, substantias, actiones, aut horum contraria, si conducunt, per medium veneficæ; aut hæc membra carmine ferali ligando, aut per herbas, in cibo & in potu, sub idolis & falsis imaginibus, seu in parte vestis imputata, seu sub panis buccella, verbis & rebus sacris, sub certis ceremoniis commixtis, maleficæ magisterio adaptatis: quibus dæmon assistit, in virtute contractus, & fœderis iniqui; seu ipsas actiones naturales ligando, aut admotis obstaculis, ne in actum potentia prorumpat; quod ut plurimum accidit ad omnes præter unam: hæc tamen impotentia potest esse ad tempus, vel perpetua, ad intentionem & imperium veneficæ: hoc enim non repugnat, nec ex parte affectus, nec ex parte conservantis diaboli: qui eadem valet, quæ semel intulit, Divino Numine permittente.

Quare sit Veneris actus prohibitio, unius respectu, non alterius, dixit Pater Bonaventura; seu quia Venefica respectu determinatæ personæ diabolum ascivit, vel cum eo fœdus iniit; vel quia Deus respectu cujuslibet, impedire prohibuit, ut liquet de Uxore Tobiæ; quoniam dæmon id præstare tenetur, (permissione Dei) ad quod in sanguine maleficæ conducitur.

Raphaël de la Torre, de Vita opos. relig. qu. 96. art. 2. disp. 10. Malder. tract. 10. c. 8. dub. 9.

Hoc etiam ligaminis maleficium, varia comitantur; nam interdum malefica odium inducit inter conjuges: aut deformitatem repræsentat in altero: aut corpus interponit inter virum & fæminam, dæmonis artificio; aliquando coëundi voluntatem avertit, cum hac determinata non cum alia: interdum infrigidat potentiam, frigiditatem his partibus inducens; aut adimit flatuosam substantiam, quo flaccescit erectio adhuc quæ videbatur duratura; interdum seminis vias intercludit, ad vasa seminalia, aut viri aut mulieris.

Cardan. 2. Contrad. med. tract. 2.

De hujus impotentiæ ligamine, & per hæc instrumenta, varias refert historias Springerius & Grillandus. De hoc dixit Fernelius: *Extinguitur virilitas, à causis naturalibus, ex incantamentorum maleficiis, & medicamentis quæ genitale semen proprietate aut qualitate perimunt*; de his multa Magiæ peritissimi.

ARTICULUS IV.

Ligaminis historiæ admirandæ.

Vincent. 26. Historiar. Anton. part. 1. sum. historial. tit. 16. cap. 7. §. 4.

De quadam impotentia corpore interposito inter conjugum corpora, occulto maleficio, est apud Vincentium admirandæ novitatis historia. Enarrat, ex Vincentio Beluensi, Divus Antonius, Romæ, temporibus Henrici III. Imperatoris, fuisse juvenem nobilem, qui recens uxorem duxerat, & sodales nuptiali convivio exceperat: exivere in campum lusuri pila: sponsus, ludi dux, pilam exposcit, & ne excideret annulus sponsalitius, inserit eum digito statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat: omnes enim unum petebant: sic cito defatigatus, is à ludo secessit, & ad statuam rediens, annulum recepturus, ecce; vidit digitum statuæ ad volam usque manus recurvatum; & quamvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere: redit tacitus ad sodales, & nocte intempesta, cum famulo ad statuam revertitur; & extensum ut initio digitum reperit, at vero sine annulo, & pia dissimulatione sese confert ad novam nuptam: cumq; thorum genialem ingressus, sponsæ sese jungere vellet, sentit impediri sese, & quoddam nebulosum ac densum inter suum conjugisque corpus volutari sentiebat; id tactu, videre tamen nequibat: hoc obstaculo ab amplexu uxoris prohibebatur; audiebat etiam vocem dicentem, *mecum concumbe, quia hodie me desponsasti; ego sum Venus, cui digito annulum inseruisti, nec reddam.* Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est, nec potuit: insomnem duxit noctem, multa secum deliberans. Adeoque factum est per multum tempus, ut quacunque hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret, & audiret. Erat sane alias valens, domi & militiæ aptus; tandem uxoris querelis commotus, rem parentibus detulit. Illi, (habito consilio) Palumbo cuidam presbytero suburbano, rem pandunt; is erat necromanticus, & potens maleficiis: illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit Juveni, dicens: *Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ concurrunt; & stans tacite considera: transient ibi figuræ hominum, utriusque sexus, omnisque ætatis, & conditionis equites & pedites: quidam læti, quidam tristes: quidquid videris, non loqueris: sequetur in illa turba quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens: huic tacitus epistolam trades legendam: statimque fiet quod postulas.* Ille autem juvenis totum implevit, prout doctus erat: viditque inter cæteros ibi mulierem, in habitu meretricio mulam inequitantem, crine soluto per humeros jactato; vita aurea superius constricto; auream virgam in manibus gerentem, qua mulam regebat: præ tenuitate vestium, pene nuda apparebat, gestus exequens impudicos: ultimus, dominus turbæ, terribiles in juvenem oculos exacuens, ab axe superbo smaragdis & unionibus composito, causas viæ ab illo exquirebat, nihil ille contra, sed protenta manu, epistolam ei porrigit. Dæmon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum; moxque brachiis in cœlum elevatis, *Deus*, inquit, *omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri?* nec mora, satellites suos, à latere mittit, quæ annulum extorquerent à Venere: illa multum tergiversata, vix tandem reddidit; ita juvenis voti compos, sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus, & matrimonii solemnia celebravit. Palumbus autem ubi dæmonis clamorem ad Deum audivit, de se intellexit, sibi præsignari finem dierum; quocirca omnibus membris ultro truncatis, miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano, inaudita flagitia.

lib. 2. Dæmonol.

Posse etiam dæmonem, seminis descensum ad vasa genitalia impedire, edocuit Remigius, quo gravis impotentia contrahitur.

Impotentiæ tamen amputato virili membro, (certius perstigio quam vere & realiter,) mirabilem historiam Baptista Codronchus enarravit. *Nonnulli sunt reperti*, inquit, *ex maleficio mucrone privati, ut ex multis historiis patet, quarum unicam referam.*

lib. 3. de Morb. venef. c. 5.

Iuvenis obscuro loco natus, diu quadam juvencula potitus, volens eam deserere, reperit se genitalibus privatum; cum vero tristis cellarium vinum empturus adivisset, supervenienti cuidam mulieri causam tristitiæ aperit, & affectum ipsi inquirenti monstravit: quumque maleficam in hoc negotio suspectam haberet, dixit, cui mulier vel blandissimis verbis, ac pollicitationibus, vel minis, & si vi opus est, ut te eam ad pristinum statum restituendum cogas, & impellas; qui monitis parens observato tempore in noctis crepusculo oportuno loco, eam comprehendens; ubi preces eam flectere non potuissent, injecto collo panniculo lineo, & clamare mulierem prohibitam; pene ad mortem compressit, donec eam, sanitatem promittentem laxavit; quæ tactu manus inter fœmora præstigium omne abstulit.

Quærunt modo doctores, *an dæmon vere & reipsa pudendum virile possit auferre?* & quanquam argumentis quam plurimis id certe videatur probabile; nihilominus probabiliorem contrariam alii judicarunt; id scilicet, potius fieri perstigiosa aut illusoria dæmonum arte, quam multis modis exercere potest; ut apud ipsos leges.

De hoc etiam Wierus historias enarrat vix credibiles: & prodigiosas certe Springerius. Odium inter uxores inducere constat, ex Comitis Natalis historia; turbare & illudere falsa repræsentatione, & perstigio, *ut pulcra uxor videatur deformis*; hoc mille probant historiæ; ut horribiles formæ uxoribus repræsententur; de hoc Saxo Grammaticus auctor est, & Baptista Codronchus.

in Malleo, part. 2. qu. 1. cap. 6. & quæst. 2. c. 2. & quæst. 9. cap. 7. VVier. de Perst. c. 28. Rem. 2 Dæmonolog. cap. 5. Majol. tom. 2. coll. 3. Natalis Martyriolog. l. 6. c. 7. Palud. l. 14. hist. Danea. Sot. Sent. 4. dist. 34. Mald. dub. 7. Spring. part. 1. quæst. 6. & 9. part. 1. quæst. 1. c. 7. & qu. 2. c. 2. Codronch. lib. 3. cap. 6. Decretal. tit. 15. ex literis.

Hæc impotentia ex ligamine frequentius hominibus accidere, patet experientia, & *Titulo decretalis*; posse etiam mulieribus adesse, Martinus Del Rio, & Sanches auctor est, sed non ita frequenter; quia plures sint maleficæ quam malefici.

An hoc *maleficium possit esse perpetuum*, plerique dubitarunt. De hoc tamen dubitare non licet; quoniam potest perenni actione conservari, quod semel inducitur maleficium: hoc enim non repugnat, nec ex parte inducti maleficii; quia dum conservatur, eandem impertitur actionem; nec ex parte dæmonis; nam qui semel valet, semper valet, si à superiori principio non impeditur; nec constat de aliquo divinæ permissionis limite: & hæc est expressa sententia divi Thomæ, & aliorum illustrium virorum: nec in jure dubitatur: licet dicat fore dissolvendum maleficium ab eadem quæ intulit malefica; ac si non possit alia; quod certe bene potest, si alia fœdus iniit cum alio superiori dæmone, sub cujus imperio sit alter. Sunt enim inter dæmones majores & minores hierarchiæ; ut vetus & nova docet Theologia: ad hoc enim inter illos observatur politica ad hominum perditionem, infami obedientia & tyrannico imperio.

Sentent. 4. distinct. 34. Abulens. quæst. 9. Sanch. disp. 9. ex n. 4. Covarruv. in tit. de Frig. & malef. quæst. 1. & 2. & in c. si per Sortiarias, & in c. Requisisti 33. qu. 1.

ARTICULUS V.

An sit aliqua ratio differentiæ inter impotentiam contractam maleficio & naturalem.

Illud est imprimis inquirendum, *an dæmon ope maleficæ operetur, ut naturale agens: an in ipso maleficio eluceant scintillæ ordinis altioris*: hoc enim prudentiam exoptat non vulgarem; quod ut consequerentur prudentiores viri, in ipsa impotentia, in persona, & præsumptionibus variis aliquam differentiam invenerunt. Springerius, *Quibus ex maleficio*, inquit, *accidit impotentia, ut plurimum sunt adulteri, alias fornicarii, aut dum amasiis ad nutum non subserviunt; seu illas derelinquunt, aliis adhærendo: tunc enim in vindictam inducunt impotentiam.*

in Malleo, part. 1. qu. 9.

E contra naturalis frigiditas accidit probis & castis hominibus, seu in illis elucent causæ naturalis impotentiæ: ideo in hoc argumento Cardanus dixit: *Frigidos declarat eventus; nam qui natura sunt tales, ad nullas arrigunt, qui casu, non ad ullam præter unam, qui maleficio, ad omnes, præter unam; nam maleficium prohibet, ne ad illas accedat, sicut metus, cogitatio, & abominatio.* Ad hæc addit Baptista Codronchus, quod appetitus ad Venerem prosternitur in frigidis, at vero ligatis nondeficit omnino: quin frequenter obtendantur virilia, ut videantur ad venerem potentes, sed subito, in actu virilia laxantur, & tristitia concidunt: si vero iterum obnitantur, flaccescunt in conatu: quod ordinem excedit nativæ impotentiæ; si maxime morbus qui videtur idea & specie curabilis, non tantum auxiliis non cedit, sed quotidie decidit in deterius: quod in decreto est etiam maleficii argumentum, in *titulo de Maleficiatis*, & Delrio & Grillandus amplectitur.

lib. 2. de Venen. cap. 7.

6 de Morb. Venen. c. 13.

Delrio, 2 Mag. sect. 2. cap. 3. Codronch. cit. Grilland. de Sortileg. qu. 2. n. 2. 3 & in cap. literæ vestra, de Frig. & malef.

Hoc etiam historiis legimus comprobatum. Constat enim olim, Gothorum Theodoricum Regem magicis ligatum carminibus, uxori tantum redditum impotentem, validum concubinis: si Paulo Æmilio credimus. Et in Græca historia enarrat Herodotus, Regem Amasium, maleficio Laodici uxori redditum impotentem: & Giardinus, Galeatium Sfortiam Isabellæ: quod etiam juris testimonio adornatur.

Apul. Apol. 1. & 2. Tacitus, lib. 4. Annal. Æmil. in Vita Cleotarii 2. Erod. lib. 2. hist. Gardin. hist. Italia. D. d. in cap. litera & leg. 3. tit. 8. & leg. 13. tit. 2. part. 1. & in cap. quod autem 33. quæst. 3. Delrio, qu. 4. sect. 8. 4 Anton. part. 3. tit. 1. cap. 12. §. 1. Anno 1639.

In hoc tamen certe est cautio adhibenda: *An uxor, seu mulier, cui vir impotens, aut ligatus apparet, sit arcta nimis & constricta in locis muliebribus, aut arte aut natura*: tunc enim non est mirum, si vir ille laxiori sit potens, impotens ad constrictam, absque ulla maleficii suspicione, reddatur; quoniam potentia minuitur interdum, nec deficit ex toto, ex naturali causa: novimus enim nobili civitate Carmonensi, mulierem neque noto neque publico genere, sed certe probatæ pudicitiæ, & proli infœcundam, quæ à matrimonio anno 14. exacto in adeo arctam pudendi constrictionem sensim & paulatim devenit, ut maritus, vir alias robustus, & rure educatus, illam haud ulla violentia penetrare postea valuisset.

Quare si in homine alioquin valido & potentia prædito, subito accidat impotentia, ubi non est de causa naturali præsumptio evidens: est vehemens magici ligaminis suspitio, si maxime sit inter meretrices conversatio.

Si

Spring. in Malleo part. 1. quæst. 11. Grilland. de sortil. qu. 3. & 6. Raphaël de la Torre de vitiis relig. quæst. 96. part. 2. disputat. 90. cap. 8. dub. 8. Maiol. tom. 2. colo qu. 3. Vair. de fascin. lib. 1. Del. 3. mag. part. 2. qu. 3. sect. 3. Remig. 2. Dæmonol. cap. 7. Nider fornic. lib. finali. Buleng. lib. 2. advers. mag. cap. 20. Iuvenal. satyra 6. &

Si etiam inducta impotentia levissimo auxilio curatur, & à persona non inculpatæ vitæ, rebus aut characteribus, in quibus nulla vis naturalis elucet, aut illis quid extraneum adjiciatur: tunc tota hujus curatio spectatur à Dæmone, dixit Springerius, & Grillandus; & tunc fieri evidentiam advertunt, esse ex magico ligamine, si subito incidat impotentia, tactu, osculo, aut afflatu, aut murmure, aut verbis, aut sub ferali carmine. Observatum est enim solo tactu veneficæ abortiri mulieres; & curatam legimus impotentiam solo tactu partium genitalium, in Codronchi historia: quod etiam fatentur, Remigius, Delrio, & Nider.

Hi etiam maleficio impotentes, sudoribus quibusdam levibus, sed importunis nocte corripiuntur, adhuc tempore frigido; alii corporis particulas ligatas sentiunt; & alia patiuntur insolita symptomata; quorum causa penitus ignoratur; & ex mente stupidi ac fatui redduntur; & prorsus à se ipsis alieni, & absque ulla causa tristes & debiles redduntur, & morosi, ac tandem suaderi non valent, se esse maleficio redditos impotentes.

Delrio lib. 5. mag. sect. 1. 758.

ARTICULUS VI.

Ligaminis venefici curatio.

Si ad productionem & conservationem ligaminis attendimus, qua dicit respectum ad actionem dæmonis conservantem, sola Ecclesiæ Romanæ auxilia sufficiunt, quæ exorcismis, missis & eleëmosynis & ad Deum deprecationibus complentur; quoniam sola virtus horum auxiliorum est dæmonis actione superior; ut est inferior naturalis: si vero ad effectum attendimus, qua dicit respectum ad læsam actionem naturalem, deminute, depravate, aut abolite: seu ad causam naturalem conservantem, à quocunque principio illud accidat: naturalia auxilia contraria possunt esse æqualia, forte superiora, si gradus recessus à naturali statu metiantur: ut in aliis morbis mederi contingit.

In hoc casu dixit Jolobelius, hanc ligaminis & maleficii impotentiam, herbæ Priami radicem mirabiliter curare; id est testiculum dextrum, qui major est, tere cum piperis albi granis 47. ut cum radice fiat uncia & semissem, & mellis ℥iiij. quo fiat conditum; de quo medicamine in vino optimo dissolve, & dabis ad ℥ij. ß. per triduum; & his certe comparatur potentia, dixit hic auctor. Aphrodiastica etiam, prodigiosa, & rara Schenckius enarrat, quibus non tantum deperdita comparatur potentia, sed barbara & immodica redditur: ad hoc sunt etiam auxilia, quæ auctores ad potentiam roborandam docuerunt, quibus nobis otium non suppetit.

lib. 4. observ. observat. 5. ad finem.

ARTICULUS VII.

An ligamen maleficio contractum, dirimat matrimonium.

Hæc quæstio est præcedenti similis; in illa diximus quod nativa frigiditas, ex qua impotentia contrahitur, quæ non cedat Medicinæ auxilio, dirimit matrimonium: quoniam illa perpetua censetur; ex quo non speratur ut duplex matrimonii finis compleatur; quare si probatur, quod eadem in ligamine maleficii concurrunt, similis etiam elicietur conclusio.

Quod in utroque ligamine actus matrimonii defraudatur, & coëundi potentia circa illam ad quam dirigitur ligamen, ab omnibus supponitur; ligaminis tamen impotentia à plerisque non censetur perpetua, & merito; cum in plerisque pateat, cessante ligamine, cessare impotentiam; posse tamen Dæmonem perpetuam impotentiam inducere, (hæc talis censetur cum ad mortem perdurat, auxilia illudens) evidenti ratione patet. Dæmon semel potest copulam impedire; ergo si illi à superiori principio non adimitur agendi efficacia, ab Altissimo nempe; sæpius poterit impedire, quod semel potuit; & hoc per totam vitam, in quantum Deus permiserit: ergo poterit perpetuam ligaminis impotentiam inducere; quæ non cedat naturali auxilio. Patet etiam ex eodem principio, posse etiam impotentiam & ad tempus inducere, pro ut velit malefica, ad cujus nutum dæmon operatur.

Quo supposito, elicitur conclusio: *Ligaminis impotentia maleficio contracta, quæ censetur perpetua, contractum dirimit matrimonium.* Talis vero censetur, quæ, triennio exacto, & omnibus peractis auxiliis, naturæ & Ecclesiæ, non cedit, ut exinde ligatus redeat ad potentiam.

Sic tenet Th. Sanch. de imped. matrim. lib. 7. disp. 94. à n. 1. ad 14. per totum.

Fundamentalis ratio hujus conclusionis ex antedictis patet, in naturalis impotentiæ conclusione: nam omnibus rite peractis, suo loco, & tempore, non præsumitur dolus neque fallacia, sed vere perpetua impotentia, quæ ipso jure dirimit matrimonium. Sic sentit Springerius ad literam, sed advertit, an illa impotentia sit ante matrimonium contracta, & ante consummationem matrimonii: nam tunc & contrahendum impedit, & dirimit contractum; ut habetur *in cap. ad sedem, ex literis. Et consultationi tuæ.*

in Malleo part. 1. quæst. 8. fol. 131.

Si vero post contractum matrimonium compareat ligamen, sed ante consummationem, tunc etiam dirimit jam contractum, sed non ex improviso, sed auxiliorum & triennii facta experientia; quoniam conjugium confirmatur officio, ut legitur *in Glossa:* si vero post consummatum matrimonium sequitur impotentia, solemnitatem & vinculum matrimonii non dissolvit: illud enim ostendit certam veluti fraudem, & de fallendo arguit: hoc vero omnem excludit suspitionem fraudis; etenim nuda & simplex veritas est contractuum forma, anima & essentia; quæ si tacite, aut propalam infringitur, claudicat & laborat essentia contractus.

Qui præsumunt hanc impotentiam perpetuam esse non posse, illud tantum objiciunt, ab eodem auctore posse semper absolvi maleficium, cum libuerit; ac ideo si redit ad potentiam, tenetur redire matrimonio. Hoc est certe debile fundamentum, quoniam neque semper possunt maleficæ sanare quæ nocuerunt, aut defectu permissionis divinæ, aut si contractum inierunt, post illatum ligamen, cum alio inferiori dæmone; aut moritur malefica; aut nescit dolere maleficium; aut tale est deperditum, ut non inveniatur: aut aliquod accidens repugnat essentiæ rei quæ postulat auxilium; ut si dæmon vere & realiter, &

non

non falso perstigio, virilia abstulerit, ex hypothesi: ergo non ubicunque libuerit, poterunt maleficium absolvere.

Hoc etiam ex alio principio convincitur; nempe quod impotentia maleficio contracta, perpetua censetur à principe Ecclesiæ, quia dæmonum ope uti non licet. Et hæc est Papæ intentio, quando dixit; *In frigido & maleficiato, si triennio exacto, non redit ad potentiam, dirimatur omnino matrimonium; & si intra triennium redivit ad potentiam, tenetur redire uxori primæ, si nuptias contraxit cum secunda; quia præsumitur fallacia & dolus: nam frigidus uni, est etiam frigidus alteri, si est naturalis impotentia aut perpetua; si vero rediit ad potentiam, est argumentum hoc fuisse simulatum ex dolo.*

Sic sentit Th. Sanch. lib. 7. de imped. matrim. disp. 95. num. 1.

Sed objicies, si daretur quod aliquis cum animæ periculo, ope maleficæ uti vellet, & ita potentiam omnino consequatur, adhuc triennio exacto, (quoniam intra triennium non est dubium;) is non tenebitur ad uxorem primam redire? huic dubitationi respondemus, primo, ex *Innocentio 3. in cap. fraternitatis de frig. & malef.* cujus hæc est decisio: de talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro: secundo, in hoc casu requirendum est judicium Ecclesiæ, & servanda forma textus *in cap. laudabilem, eodem titulo*, quam tradit ibi Celestinus Papa; ubi *Glossa verbo frigiditas* sic ait: *Quod hic dicitur de frigido, intellige de maleficiato, ubi usque ad triennium spectet: maxime quia magis sperandum est, quod impedimentum removeri possit quod non processit à naturalibus. Et dato quod postea ad potentiam rediret, illicito auxilio, non tenebitur redire ad primam, cum hoc sit extra ordinem Ecclesiæ, & tentatum cum animæ periculo. Sic Glossa in dicto cap. laudabilem. verbo redire ibi: cum propter frigiditatem separantur, tenentur redire, secus si propter maleficium, per textum in cap. si per sortiarias.* 33. *quæst.* 1. ubi Rhemensis Archiepiscopus sic loquitur, *si transierit ad secundas nuptias, primæ reconciliari nequibit: quod est peculiare in maleficiato, ut notat ibi Glossa in principio.*

Nec in hoc textu est antithesis aliqua cum præcedenti, cum in illo de frigido loquatur, at in isto, de maleficiato, in quo licet impedimentum à natura non sit, nihilominus ad dissolvendum matrimonium sat est, ob illam quam antea diximus rationem: prius tamen uti licet remediis Ecclesiæ, quæ si comperiantur non prodesse, tunc judex proferat nullitatis matrimonii sententiam.

Ultimum tandem mihi discutiendum restat, *si forte malefica triennio exacto, infirmitate condolens, velit opem ferre libenter, nullo ejus auxilio implorato?* si hoc medio ligatus consequatur potentiam; (hoc enim est licitum, beneficium accipere quod libenter conceditur, in tantum, ut dicat Pater Sanches, quod licet petere à saga ut maleficium solvat, quando id potest sine novo maleficio, etiam si sciatur per maleficium factura: 4. *p.* 5. *tract.* 7. *resolut.* 15. sic Diana *litera M. verbo maleficium:*) an ille ad primas nuptias redire teneatur; quoniam hic cessat ratio, quæ Pontificem movit, ut ad primas nuptias non rediret; nempe quia dæmonum ope uti non licet; qua ligatus non utitur.

Solutionem hujus objectionis quæ certe magna est, mihi videtur in casus raritate consistere; sunt enim limitationes generalis doctrinæ casus particulares, & maxime qui rari; quia tales non valent comprehendi sub generali regula, quæ de frequenter evenientibus instituitur; at hic casus rarissime contingit; ac ideo velut impossibilis ob maleficarum impietatem videtur à Papa prætermissus.

Secundo respondemus, quod illam impotentiam dixit Papa curatu impossibilem, quæ sub auxilio naturali non cadit: & illa quæ ope dæmonis consequitur, licet non implorata, auxilio naturali non tollitur: nec etiam decens erat quod Ecclesiæ princeps impiam maleficæ actionem honestaret: ac ideo non est mirum, si à lapide angulari Ecclesiæ declaretur, maleficio impotentem primis nuptiis redire non teneri; quantumvis maleficæ auxilio restitui posset; uti satis constat per dictum *caput si per sortiarias.* 33. *quæst.* 1. in illis verbis, *quod si forte sanari non potuerit, separari valebunt; sed postquam alias nuptias expetiverint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt; &c.*

Redeamus ad limitationem illius regulæ generalis. satis clare patet, Papam noluisse maleficio impotentem, licet potentiam postea consequatur, primis nuptiis redire, sed unica Papæ mens eo tantum attendit, ne cum animæ periculo sacramentum illud iteretur; sed in casu proposito hæc non militat ratio: quare mihi ultimo respondendum videtur, (salvo meliori judicio,) quod si maleficio impotens novas nuptias non contraxerit, & gratuito, & non implorato auxilio maleficæ consequatur potentiam, quod potest & debet iterum redire matrimonio contracto, ex illa impotentia soluto.

Si vero alio nuptiali vinculo sit implicitus, ex illa causa dirempto matrimonio, non judico ad primas nuptias redire teneri. Patet ratio differentiæ; quoniam in primo casu lis erat ut matrimonium solveretur, ob illam impotentiam, contractam maleficio: hæc illo beneficio restituitur, ope & compassione maleficæ; ergo ex hypothesi, jam vir iste est potens, & ad Venerem aptus; adeoque cessat omnino litis causa; nec est honesta ratio, ex qua vir iste uxori non cohabitet.

At in secundo casu, alia militat ratio, quia legaliter comprobari non potest, impotentem absque animæ periculo, nec dæmonis implorato auxilio, fuisse ad potentiam restitutum; quia, quantumvis malefica, piissima compassione illum restituere decreverit, semper sub dæmonis pacto operatur, & cum animæ periculo; vel saltem præsumitur, quantumvis ab impotente non sit illud imploratum auxilium: quod sat est, ut secundum Papæ intentionem non possit redire primis nuptiis: cum animæ periculo. Potest tamen oblatum beneficium accipere, sine animæ periculo, si non cooperatur ad malam actionem; præterquam quod dolus videtur latitare in hoc casu, qui semper examinandus est: quare si illo auxilio consequatur potentiam, poterit judex sententiam proferre, ne cum prima cohabitet; quoniam Papa ad primas nuptias redire certe prohibuit ligatum alio vinculo nuptiali, etiam si postea consequatur potentiam, forte ne cum injuria uxoris secundæ fiat.

A R-

ARTICULUS VIII.

An possit dæmon impotentiam inducere, auferendo realiter virilia.

Inter causas impotentiæ ligamine contractas, antea supposuimus, posse dæmonem virilia auferre: quod an vere & realiter sit possibile, an solo apparenti perstigio, non est vulgare dubium.

Pro cujus solutione dicimus, non posse dæmonem vere & realiter membra genitalia auferre; ac illa postea restituere, ut inducat impotentiam ex primo: & ex restitutione, potentiam restituat. Et si forte hoc accidat, est tantum apparenti perstigio; quoniam vita in his membris ablata, & deperdita, non potest reparari à dæmone: nec iterum restitui; quia partes rationales hominis essentialiter informantur ab anima, ac illius influxu vivunt vita rationali; ergo illis ablatis desinunt esse partes rationales, ac per consequens non possunt à dæmone, neque conservari, nec restitui, ad partium rationalium unionem: nam omnis dæmonis actio & influxus est extra essentiam rationalis animæ; & res unica non potest diversas induere essentias sub illa ratione qua constituitur in ratione talis.

Nec valet argumentum, qui valet formam naturalem inducere in animantem, poterit illam auferre; ac iterum restituere; dæmon potest producere serpentes & ranas, ut magi Pharaonis in illius virtute produxerunt, & Simon magus mortuum suscitavit; ergo poterit & hominis virilia auferre, in vita conservare, & reponere. Non valet paritas argumenti, nam magi Pharaonis insectilia, & ranas produxerunt ex putredine terræ, quod motu alterationis consequitur; quod bene potest dæmon activa passivis applicando, & formam, ut causa efficiens æquivoca de potentia materiæ educere, ut influxus cœlestis; non tamen producere valebunt perfecta animalia, quæ ex semine potentia viventi producuntur; in virtute agentis à quo decidit semen: nam illa vis prolifica quæ in semine inest, respicit essentialiter parentes, & sic non potest dæmon ex se ipso producere, quod aliam virtutem essentialem respicit; quoniam illud essentiæ rei producendæ repugnat; ergo non poterit dæmon vitam essentialem partibus ablatis restituere; nec Simon Magus mortuum suscitavit, sed dormientem, aut diaboli spiritum, in cadaver induxit, qui animæ vicem subiret; ut est Patrum sententia.

ARTICULUS IX.

An à dæmone vere & realiter filii producantur.

Quo etiam argumento concludimus, ut quantumvis filii à dæmone incubo producantur, quod tales non sunt dæmonis filii, sed illius parentis à quo ille semen furatum traxit; (quod adhuc dubito an dęmoni concessum.) quoniam virtus seminis prolifica, est essentialiter decisa & unita semini, potentia viventi in virtute parentis qua dicit essentialem respectum ad humanam naturam, quatenus rationale animal; & A in puro spiritu, non est talis respectus, quoniam essentiam constituit diversam, ex qua constituitur in ratione angeli; licet plura dæmon valeat quam natura producere, ut dixit divinus Augustinus; ille tamen producere non valet, quod essentiæ producendæ repugnat, & etiam principio producenti; & rationalis anima, non est limitatæ potentiæ creatura in suo corpore; & non limitatæ & finitæ qualis dæmonis est in alieno; ergo non cadit sub dæmonis potentia finita illa virtus prolifica velut forma corporea, quæ de potentia materiæ educitur ab agente finito. *de Civitate Dei 18.*

B Et ideo est certa cautione legendum quod à plerisque traditur fabulose; *Posse nempe maleficas illa dæmonum arte homines in bestias mutare, ac in formas diversas animalium, & iterum ad humanam formam restituere*; Quod etiam Theologiæ pater Augustinus adnotavit: & sic quando Apulejus, Causidicum in arietem tradidit transmutasse maleficam, & Medæam homines in bestias, ut etiam maleficas abstulisse virilia in causam impotentiæ: hæc omnia apparenti perstigio, & sensuum C illusione accidisse intellige, & non realiter, & vere; si non forte morum præversione homines in bestias, veneficarum arte, credideris conversos. *Citato loco.*

Sic dæmones possunt virilia auferre, & ad maleficæ nutum restituere, hoc ludenti & fallaci perstigio: quæ illusio non tantum locum habet in imaginatione patientis: quæ vere & realiter potest rem aliquam non esse præsentem æstimare, ut melancholicis naturaliter accidit, & phreneticis, ut in nostris *Feraliis* adnotavimus; absque D ope sensuum externorum, sola repræsentatione specierum, quæ à dæmone continuo suggeri potest phantasiæ & cæteris potentiis; sed potest etiam perstigio sensus externos ligare, ut videant quæ dæmon per alias species velit repræsentare; unde ex parte imaginationis, vera erit ablatio virilium; & vera impotentia, non tamen physice & realiter; poterit enim dæmon sensus decipere humanos, formas reservatas educendo ad sua principia sensitiva; aut eas in sua operatione naturali impedire, ut fiat invisibile visibile, aut è contra; E & sic per omnes sensus ex immutatione organorum, quibus mutatis, sensus judicium decipitur; nec sit mirum quod dæmon consequatur, quod magicum artificium arte naturali consequitur, ex ipsa Philosophia, quod tripliciter accidere antea adnotavimus; vel per mutationem objecti, vel aëris intermedii, vel ipsius organi; in quibus singularia exempla proposuimus.

ARTICULUS X.

F *Quid perstigium, & quibus mediis operetur.*

Hanc perstigiosæ illusionis artem solemniter observat & docet Doctor Angelicus: cum sese accommodet illusio figuris, coloribus, sonis, & odoribus: possunt enim dæmones virtute propria corpora localiter deducere ad libitum, & varias in figuras adaptare, uti diximus antea; nam *perstigium*, ut dixit Isidorus, *nihil aliud est quam sensuum deceptio, præsertim oculorum, & à perstringo dictum, quia aciem oculorum perstringit; uti esse appareat quod non est; & hæc est ars dæmonis illusoria seu perstigiatoria.* *in 2. 2. dist. 8. art. 5. & 2. 2. qu. 91. & quæst. de malo.* *8. etymologia.*

Hæc valet quinque modis illudere; primo artificiali trajectione, summa dexteritate, quod etiam homines imitantur visibili manuum motione agilissima; secundo per applicationem corporis alicujus, seu interpositionem, ut occultetur alterum, quod juvenis præcedenti historia vidimus; vel omnino hominis phantasiam perturbando, confusis spectris adapplicitis; vel tantum rei illius quæ dæmon velit repræsentare, ad maleficæ nutum: vel in re ipsa apparet quod non est, ut in massa auri Anachoretæ oblata in deserto, & figura mulieris; aut si hominem tegit, & brutum præsupponit; vel si organum visus turbat, ut res clara nebulosa appareat, & ut spurcissima anus videatur juvencula: aut etiam deformissima, pulcra: hac etiam arte quod odium meretur, repræsentat amabile, ut in principe maleficis perstigiis affecto experimur; ultimo, si transmutationem specierum producit in phantasia; seu per humorum corporis commotionem, seu illorum repræsentationem de novo applicatam, ut tunc quasi recentes & novæ apparitiones, potentiis sensitivis appareant: quin etiam & spiritualibus ex hac ipsa repræsentatione, mira & inaudita repræsentantur; unde fœdæ suggestiones immittuntur à Dæmone.

Qua doctus philosophia, non facile crediderim impiis leviterque prolatis historiis, quæ meo judicio plus habent admirationis quam fidei; Dæmones nempe & incubos & succubos, filios de humana prole genuisse: hoc enim nec pium, nec creditu possibile videtur: & si profundius (ut res tanta meretur) cum torno & cothurno perpendatur; facile enim novitas, avido sciendi desiderio, fit plausibilis: non est enim possibile, dæmones, nec semine furato, (si fas est dicere,) generare: bene tamen decipere, sed infante supposito, justo Dei judicio; aut falso & apparenti perstigio oblato: quoniam si hoc daretur dæmoni, ut furato semine generaret, quot monstra inter homines essent, seminis permutatione à feris & animantibus in variis mulieribus facta; cum deceptæ mortalitatis infamia; & indelebili in genus humanum Zelotypia?

Neque satis constat in philosophia, posse dæmonem omnia principia supplere, quæ essentialiter ad generationem concurrunt: nempe virtutem generandi semine derelictam in virtute parentis, & vegetandi actum, & vitalem potentiam, proportionatum & vivificum calorem, ex quo de potentia ad actum, vitæ principium educitur, vitale, animale, & naturale. Ex quo certe judico fabulosum, quod incaute conciliator asserit, adhuc furato semine, posse dæmonem in humana muliere hominem generare; licet in hanc opinionem aliquando ex aliena sententia inclinaverim: nec est ullum principium, ex quo talem permissionem in Deo supponamus: qui nos suo pretioso sanguine redemit: & tantum valuit ista consideratio, cum pio Cassiano, ut absolute neget hoc unquam contigisse; impossibile esse inquit, spiritualem creaturam habere rem cum hominibus posse; neque credi debere: & si hic actus dæmoni esset possibilis, in se mutuo citius converterentur: & quod de Merlino & de aliis fertur, potius in ostentum prodigii & novitatis dictum credimus, quam stabili veritate sancitum: nam similes historiæ, fere semper à levibus aut impiis hominibus proferuntur: ideo caute legendas censeo quas in speculo historiali Vincentius enarrat, *lib.* 12. *cap.* 30. *& lib.* 3. *cap.* 26. *&* 27. Et quæ magnus Augustinus prodidit de Faunis & Sylvanis, qui mulieres aliquando compresserint, de vulgata aliorum fama, scripta potius intelligimus, quam de propria tanti viri sententia; præterquam quod idem ipse dixit; hanc constantem suis temporibus famam fuisse; si non dicimus hos montium & silvarum cives, brutos & silvestres homines extitisse.

ARTICULUS XI.

De fascinatione, pauca.

Mitto alia maleficia, utpote à viris doctis tractata; nos enim de illis tantum differere decrevimus, quæ certe pulcriora, aut affectionibus morborum concernentia, ab aliis fortasse non exacte prolata: & licet de fascino pulcriora disputare decreveram, quod parum sperem profutura, pauca dicam, & illa tantum, quæ ad solam differentiam conducunt naturalis fascini, aut illius inducti maleficio.

Naturale Fascinum est corporis venenosa transmutatio per oculos inducta, aut alia parte corporis venenum expirante; Illud est argumentum, quod in fascinato, repente pullulant veneni accidentia, ut malignam & pestilentem febrem æmuletur, interdum præsentanei veneni efficaciam, aliquando tabifici, seu ad tempus etiam propinati.

Causa est venenum ad intra corpus genitum, quod per oculos, aut per corporis poros expirat, & alteratione per continuum facta, simile in corpus dispositum producit, sub debita distantia.

Expirandi occasionem imaginationem esse, Angelicus Thomas existimavit, commotis hac agitatione spiritibus, unde isti latentis veneni contagio afficiuntur, quo expirat per oculos in aërem, ac ex illo in corpus, in debita distantia dispositum. *part. 1. quæst. 117. art. 3. ad 2.* ***Sed supra ostensum est***, inquit, ***quod materia corporalis non obeditur substantiæ spirituali ad nutum, nisi soli creatori; & ideo melius est dicendum, quod ex forti imaginatione animi immutantur spiritus corporis conjuncti, quæ quidem immutatio spirituum maxime fit per oculos, ad quos subtiliores spiritus proveniunt; oculi autem inficiunt aërem continuum, usque ad spatium determinatum, &c.***

Non puto tantum virum solam imaginationem credidisse tam pravam naturam spiritibus dedisse, ut ex sola illius efficacia sine alio veneno, ad extra producatur fascinatio, quantumvis corpus alienum valeant immutare. Nam longa constat experientia, solo intuitu plerasque fœminas fascinare, absque ulla imaginationis intentione: unde manifestum fit, ex alio principio corporis alieni mutationem advenire. Multam ad hoc valere imaginationis efficaciam, credimus, si cum hac copuletur venenosa corporis dispositio; quatenus nempe ex illa corporis humores, aut venenosi commoventur spiritus: qua certe occasione venenum, quod intra corpus latet, commovetur, ac spiritibus permixtum, pravam & deleteriam qualitatem ad extra in corpus alienum producit.

Ideo fit maxime per oculos fascinatio: natura enim

enim docuit inferre vim aspectui, cum hostes intuetur, quod maxime fortis juvat imaginatio, ut hostili qualitate feriat visualis spiritus. Errare igitur deprehenditur ille qui negat, per extra-missionem fieri visionem, & cominus objectum non attingere; & si ab oculis exiliunt, redargui non potest, in objecto patibili operari. Si enim aspectus diversitas, in subjecto patibili faxit, in cœlesti influxu, ut sit interdum vitalis radius ille invisibilis, aliquando læthalis, variante nempe materia & patibili; quare oculi, hujus etiam astra micocrosmi, affectus etiam, ad suscipientis modum & agentis efficaciam variare non facient? aspectus diversitate variante; Pythiæ enim mulieres in Scythia, ut refert Apollonius, aliæ in Sardinia, si quempiam ira intueantur, ferali fascino interficiunt, ut Solinus est auctor.

de Mirabilib. mund. cap. 5.

ARTICULUS XII.

An detur fascini signum pathonogmonicum.

Sed an fascini naturalis detur aliquod signum patonogmonicum peculiare, ex iis quæ proxime affectus essentiam consequuntur; fateor, & ingenue quidem fateor, quod tot annis longa experientia insumptis, nos neque aliquod novimus, nec qui noverit, vidimus; quantumvis longa serie, auctores fascini sacramenta descripserint; quoniam nullum est prorsus signum, quod fascinum in propria differentiæ ratione constituat, à veneni aut malignæ febris ratione distinctum; uti neque veneni intus geniti, ab illo quod extra propinatur; nisi irrefragabili oculorum testimonio comprobetur: cum eadem sint prorsus signa, utrique veneno gentilitia, ut variis in locis Galenus adnotavit; & ex Hippocrate doctissimus Valesius: quibus etiam ipsa juris prudentia acquiescit, *leg. absent. ff. de Pœnis, & leg. 12. tit. 14. part. 3.*

Gal. l. de Cibis, boni & mali succi, cap. 2. 3 de Loc. 7. 6 de Loc. 5. Val. 3 Epid. Sect. 3. 17. Silvaticus Contr. 77.

ARTICULUS XIII.

An detur ratio differentiæ inter fascinum naturale & maleficum.

An vero sit aliqua ratio differentiæ, inter fascinationem inductam maleficio, & naturalem; ex alia est perquirendum praxi, qua maleficæ artes eruuntur. Est enim malefica fascinatio, peculiare strigibus maleficium, ex pacto sortiario, quo prava corporis commutatio, damnum, aut mors inducitur; visu, aut tactu, in virtute dæmonis: ut notat Pater Suarius & Delrio: nam lamiæ aut homines nefarii cum dæmone paciscuntur, ut quos intueantur iracunde, aut livide, hos fascinent, veluti præsentaneo veneno, aut tabifico, ut notat Springerius & Malderus, quod etiam Plinius & Gellius de quibusdam Africæ familiis enarravit; & Plutarchus de Ponti habitatoribus refert; & de sene Viterbi, qui fruges & arbusta solo oculorum intuitu faciebat marcescere; quod solo veneno naturali contingere, nulla convincit ratio.

7 Disput. 5. 18. sect. cap. 26. Delr. 3 Mag. part. 1. sect. 1. quæst. 4. Spring. part. 1. quæst. 2. & part. 2. quæst. 1. c. 1. Mald. dub. 8. Majol. tom. 2. canicul. 3. Plin. 7 Nat.

Solent isti etiam feralia carmina, intuitu miscere, ut notat Imperator: *Fascinum enim à fando dictum* dixit Vairus. Hac etiam veneficii sorte adeo ligantur homines, ut de vita diffidant; neque videntur mente, ut antea, constare, tristes & animi dejecti; alii paulatim contabescentes, emarcescunt; si maxime præcessit alicujus veneficæ suspitio, quæ tactu, osculo, afflatu, aut insolito intuitu, hominem fascinaverit.

hist. cap. 2. Gell. 16. Noct. Attic. 11. Plutarch. 5 Sympt. quæst. 7. & in leg. Cornel §. 4. Vair. 2. de Fascin. Remig. 2 Dæmon. c. 7.

Ex hac fascini sorte, à lamiis aborsus concitatur, maxime prægnantis ventris tactu, cum vitæ utriusque periculo; ut notavit Remigius; & comprobat exemplis Lycanthropias: Circem tactu inducere, dixit Ovidius:

Cujus ab attactu, variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt; nulli sua mansit imago.

Quare in venefica fascinatione, seu in productione, seu in effectu producto, semper aliquid elucet extra naturæ ordinem productum, quod nostram veneficii suspitionem confirmet. De cujus differentiæ sorte plura leges investigatione dæmonum; & in veneficii & veneni naturalis differentia.

STATIO IX. ARTICUL. I.

De investigatione dæmonum inter veneficia & causas naturales.

Dæmonis artes & fallacias inter naturæ arcana, occulto latitantes, detegere, majoris artis erit, & non vulgaris prudentiæ artificium; ideo celebriores viri, forte difficultate superati, nullo non pepercere sudori, nec vigiliæ, ut actiones dæmonis, quæ semper in morbis sunt altioris ordinis, à naturæ communi actione discernerent. Quod ut melius consequamur, veneficium, quod est præcipuum primum & ultimum dæmonis instrumentum, placuit definire.

Veneficium est pravum operandi instrumentum, à dæmone edoctum ad venefica intentionem adaptatum, in fœderis virtute noxam insignem, aut necem inferens. Alii ita definierunt; *Veneficium est prava quadam corporis commutatio, virtute dæmonis ex pacto cum homine tacite, vel expresse inito; ejusdemque hominis ministerio ad improbam aliquam cupiditatem explendam, justo semper, quamvis occulto permittente divino judicio, facta*; sic Delrio, *lib. 3. Mag. quæst. 1.* est enim maleficium magiæ species, qua quis, ope dæmonum, damnum parat; seu illud operetur solo dæmonis ipsius astu, & potestate; seu naturali virtute à dæmone applicita.

Ideo fascinorum insignis apud **Iuris-Consultos** & patres appellantur malefici: nam veneficium in quovis instrumento, aut est veneni particeps, aut constituitur in ratione talis, ex dæmonis malefico concursu, dum ex pacto tenetur. Per varia instrumenta celebratur, & suas vires exerit, pro ut à venefica dirigitur. Lucan. veneficę officinam describit in Pharsalia, & satis quidem eleganter:

L. Nemo cap. de Maleficis & C. nec mirum. 26. quæst. 5 Isid. 8. Etymol. cap. 9. & lib. 6. Spring. part. 2. quæst. 1. cap. 10. per totum.

Huc quidquid fœtu genuit, natura sinistro,
Miscetur: non spuma canum, quibus umbra timori est,
Viscera non lyncis; non dira nodus hyena
Defuit: & cervi pacti serpente medulla;
Non puppim retinens, euro, tendente rudentes,
In medio echenis aquis: oculique draconum,
Quaque sonant fœta, jam facta sub alite saxa;
Non Arabum volucer: serpens innataque rubris,

Æquori-

Æquoribus custos, pretiosa vipera concha:
Et viventis adhuc Libycæ membrana cerastæ;
Et cinis eoa positi phœnicis in ara,
Qua postquam viles, & habentes nomina pestes
Contulit infando saturatas carmine frondes;
Et quibus os dirum, nascentibus inspuit herbis,
Addidit, & quidquid mundo dedit ipsa veneni.

Sic in l. 1. ad leg. Cornel. de Sicariis, & l. 1. Cod. de Malef. & Math. Grilland. de Sortileg. quæst. 22. Nº 14. & quæst. 3. n. 11. & 29. Binsfelt. lib. 16. de Mal. & Math. Majol. tom. 2. coll. 3. Codronch. 3. de Morb. Venef. 2. Delrio, 3 Mag. part. 2. quæst. 4. sect. 2.

Veneficium ergo conficitur aut simplici veneno, aut diversorum mixtione fermentato; aut ex rebus soli dæmonis notis: aut solis naturalibus, ad ostentationem venefica superstitione, aut simulatione conductis; aut solis rebus & carminibus sacris; quoniam (antiqua Zelotypia) ut Deum æmulari videatur, suam etiam architectatur dæmon religionem; ideo conducere imperat, peregrina & rara, & etiam divino cultui dicata, quorum ipse non utitur virtute, sed aut sola qualitate veneni, seu ex simplici actu devovendi, quod est dæmoni datum, homini non concessum, nisi qua sub pacto sortiario subjicitur.

Quare tunc Philtra, & cætera omnia veneficia, operandi actionem sortiuntur, in virtute herbarum, carminis, idolorum, aut sub varia & superstitiosa rerum mixtione, sola virtute fœderis taciti, aut expliciti; seu illa in poculo aut cibo propinentur; seu per applicationem ad externa: ut si corpori dormientium adaptentur; consuantur in vestibus: vel misceantur aëri; seu in via, per quam transire debet; vel in aquis & fontibus commercio communibus; dummodo advertatur, quod aëre & aquis venenum facile dissipatur, nisi dæmonis virtute deferatur.

Illud tamen commune est utrique veneno, ut in actum secundum reduci à nostro naturali calore non necessitet, ut cætera venena naturalia: quoniam illa semper sunt in actu secundo, implicita virtute; nam ibi non tantum operatur, qua venenum, sed qua veneficii instrumentum: & qui dat esse, dat omnia necessaria ad essendum, si à Deo conceditur.

ARTICULUS II.

Inter has operationes incipiunt investigari dæmones.

Remig. 1. Dæmon. cap. 3. 69. Delrio, 3 Mag. part. 2. quæst. 1.

In unguentis & pulveribus veneficis, illud plerique à colore observant, ut quæ nigri coloris, sint omnino ad necem inferendam, quod subito læthiferi: quæ vero cineritii, aut subrufi, sunt venena, quæ dicuntur ad tempus, ad tabem ferendam: si sint instar bituminis, sunt ad fatuitatem; in hoc tamen, non est infallibilis certitudo, cum fræna permutare bene noverit dæmon.

Veneficam virtutem, ex alio principio observant, traduntque experientia exploratam; si ad flammas veneficum projiciatur instrumentum; si fulgorem, strepitum, & nidorem emittat, certum esse veneficii instrumentum.

Illud tamen adverte, quod si dæmon gentilitia & coæva virtute operatur, nullo instrumento necessitat: nam solo actu voluntatis, quæque, quantumvis difficilia, patratur: potest tamen virtutem instrumento impertiri: qua supernaturali virtute, instrumenti virtus supra se ipsam elevatur; ex quo alia virtus super naturalem virtutem in ipso instrumento elucet, ut patet in vene-

A nis confectis veneficio, idolis, aut strue rerum maleficarum; cum sub certa ceremonia, chlamidi assuuntur, vel sub rebus sacris occultantur; interdum sub capillis, aut sub limine ostii, & sub aliis, quæ notat Springerius; vel dum à dæmone, aut forte à venefica traducitur ad dormientis lectulum; seu dum sub annulo, aut quoque pretioso lapide offertur. Quod si fiat ad captandam principis voluntatem, seu odium, vel amorem inducendum; tunc certe *latet anguis in herba.* & de dæmonis arte suspicari par est: non est enim hæc naturalis ad tales effectus consequendos; si maxime ad cælandam rem impiam, solicita diligentia inclinet.

In Malleo, part. 2. qu. 1. cap. 11. Gell. 6. Noct. Attic. c. 4. Ponectus, lib. 1. c. 13. Geleot. de Promiss. discipl. cap. 12.

B

Quomodo tamen maleficæ tales effectus consequantur, non est facile dictu. Hoc est certum, quod dæmon cogitur, vi fœderis iniqui, talia in personam producere, qualia malefica intendit; veluti si principis optat benevolentiam respectu alterius personæ; tales species principis cogitativæ inserit, quas fovet & conservat, quæ ad amorem, vel odium inclinent, respectu hujus aut illius personæ; (si id Divina Providentia permittit) ac illæ res omnes, ut amabiles, aut aliter, animæ intellectrici repræsentant; quo benevolentia aut odium perseverat, dum veneficæ perdurat instrumentum: ac ideo in principis mente quæ merentur supplicia, præmiis condonantur; quo nullum Reip. est tempus infœlicius; & si forte aliæ naturales species à rebus politicis, quæ contrarium suadent, suggeruntur, hæ facile ab iis superantur, quæ dæmon potiori repræsentationis efficacia conservat; nam istæ nativa & elevata virtute repræsentant: & sola naturali, illæ: quæ forte à dæmone deletur, quo fortasse exemplo facilime intelliges, quomodo philtra amorem ad insaniam perducant: si tamen inter ista consideres, quod ista veneficia, quantumvis efficacia, **volentes trahunt, nolentes non compellunt:** nam sicut astra inclinant, sed spirituales potentias nullo continent necessitatis vinculo.

Amat. Lus. cent. 2. car. 65. Lubert. Parod. 3. Mercurial. 1. de Venen. cap. 17. Card. 2. Contrad. 9. & 2 de Subtil. Matiol. 6. in Dioscorid. fol. 1399. Grilland. de Sortileg. quæst. 3. nº 30.

C

D

In hoc attamen magis dolus dæmonis, & decipiendi calliditas absconditur, dum veneficium sola videtur naturali virtute operari: si venefica legit herbas à dæmone edocta, quæ nativam & peculiarem habent lædendi rationem; ut si deligantur cantarides ad lædendam vesicam, lepus marinum ad pulmonem: hioschianum & mandragora, ad fatuitatem inducendam; Satirionem ad proritandam venerem, & similia; nec est necesse illa corpus alienum attingere: nam ad actum secundum reducuntur in dæmonis virtute: quæ vi fœderis venefico instrumento applicatur: sola est necessaria veneficæ intentio, quæ productionem actionis determinat, in hac determinata persona, non in illa, & in hoc casu dæmonis fallacia detegitur; si ista ut auxilia applicantur, à persona non inculpatæ vitæ, quantumvis finis videatur laudabilis, & in subsidium aliorum malorum; si maxime effectus subito consequatur, aut superet auxilii efficaciam; seu ubi scintillæ eluceant altioris naturæ: de quo plura inferius.

E

F

Hic est etiam alia detegenda fallacia: dum agyrtæ aut malefici homines, suorum instrumentorum virtutem stellis & planetis attribuunt; nam unicuique metallo, planetam præsidem ac dominum præficiunt, cui adscribunt effectus rerum

rum illarum quæ magia patrantur; impias actiones, aut aliter, horum vita ostendit ac solius ostentationis aut lucri ambitiosa vanitas, ac chimicæ præsumptio: si maxime quid carminum auxiliis immiscent, aut obmurmurant, seu characteribus, aut idolis utuntur; quibus cœlestem virtutem præesse profitentur.

Nec ideo penitus rejiciendos æstimo, qui veram callent Astronomiam, sed qui illa ad impios usus abutuntur; non enim impossibile judico, characteres & imagines in metalli laminas excusas, sub certa & determinata cœli hora & influxu, sub aspectu benevolo, in exaltatione planetæ, & dominio super illud metallum, effectus admirabiles producere; ut postea videbimus; quantumvis Codronchus probare nitatur, *cœlum non posse virtutem præstare imaginibus*; hoc enim nos fatemur, qua pura accidentia sunt; non autem qua metallo excusa; sub his conditionibus. Videmus enim influxus cœlestes, sub terra, sub hac aut illa mixtione non tantum mirabilia in substantiis, sed in qualitatibus rarissima producere; velut in adamante, carbunculo, magnete; & hoc ab illa parte cœli, quæ illis correspondet; dum influxus ab illa mixtione, aut à certo patibili determinatur, ad sui effectus productionem; quod idem in imaginibus & characteribus, in metallis, tempore & hora determinatis, fabrefactis, accidere par est: quoniam pari modo, mirabilis effectus determinatur ab artificis opere; ac ab illa naturali patibilium mixtione: nec ideo inficior posse veneficos astrologicas imagines mentiri, magico & impio artificio, sub pacto quod initur, sub hoc aut illo planetarum influxu, aspectu, aut syderum concursu.

3 de Morb. veneficiis, cap. 2.

Quemadmodum venenorum artifices, præsentanea & ad tempus conficiunt venena naturalia; quæ subito, vel ad tempus præfinitum interimunt: sic etiam sua veneficia, venefici, seu ut tabem inducant, & mortem differant, ad præfinitum tempus: seu ut dolores inferant, seu subito infatuent; sua etiam parant veneficia; subjecti resistentia ex pacto dementita; cum sit dæmoni nota. Hæc de venenis est recepta sententia; quantumvis illam neget Codronchus, ut etiam venenum stapedibus admotum, tam cito naturaliter necare: bene tamen dæmonis ex pacto illud accidisse, fatetur; cui etiam assentitur Cæsalpinus; nam bestiam, virtute naturali, celerius necaret; quam dæmon antidotis præservat, seu sola voluntate; peculiaris illa determinatio ad hominem pactum involvit; ut Delrio observat: quod, meo certe judicio, non obstat: peculiaria cum sint venena homini, & non bruto; & econtra: quorum seriem mox videbimus. Hæc & illa venena patent experientia: præterquam quod apud Indos & Turcas, scimus talia fermentari. Sed unde sumatur ratio differentiæ, dicemus suo titulo.

3 de Morb. venef. c. 6.
de Investig. dæmon. c. 17.
3 Mag. qu. 4. part. 1. sect. 5.

De unguentis & pulveribus maleficis, quibus mors inducitur, & aliquando tabes, nostris temporibus apud Mediolanenses ex pallido timore horrenda vulgata est opinio, pulveribus inspersis & unguentis maleficis per canales aquarum, civitati communium, in aqua benedicta Ecclesiæ, & per publica loca, licet corpus alienum non attingerent, vastissimam populi multitudinem necavisse.

A Re tamen melius pensitata, mihi & viris doctissimis visum est, illam fuisse pestem naturalem, ex aëre infecto & corrupto, eamque læthalissimam; cujus causa cum esset à principio ignota, plerique illam pestilentem qualitatem, de pulveribus & unguentis maleficis commenti sunt: est enim inter pestes occultior, & omnibus numeris absolute feralior, quæ ex aëre accidit, ut causa communissima; seu iste corrumpatur in propria substantia, in parte elementata; (nam puro in elemento corruptio repugnat,) seu delato in aëre contagio, ut majorum nostrorum ætate experta B est Hispania anno 1600. hæc enim absque ulla aëris mutatione, omne mortalium genus, utriusque sexus & ætatis, immaniter depascitur; anno enim 1599. per novem menses neque nubes, nec aqua in cœlo visa est. De hoc est admirandum in Tacito exemplum: *Tot facinoribus*, inquit, *fœdum principis animum, etiam dii tempestatibus & morbis insigni vere, vastata campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges, passim dejecit: pertulitque violentiam ad vicina urbi, in qua omne mortalium genus* C *vis pestilentiæ depopulatur, nulla cœli intemperie quæ occurreret oculis; sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur; non sexus, non ætas periculo vacua: servitia perinde ac ingenua plebs raptim extingui, inter conjugum & libertorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, sæpe eodem rogo cremabantur; equitum senatorumque interitus quamvis promiscui, minus flebiles erant; tanquam communi mortalitate sævitiam principis prævenirent*, &c. hæc de Nerone loquitur.

16 Annal. 2.

Neque est novum, ignotum pestilentiæ genus D ad venena seu veneficia necantia referre, quæ sæpe à nefariis hominibus in aquas communes ingeruntur: hoc enim Aretæus accidisse refert Athenis, *lib. 1. de Sign. acutorum morb. cap. 1. succi perdentes*, inquit, *intra corpus etiam generantur, & sunt veneno similes, quocirca, neque à ratione alienum est, in pestilentia quæ Athenas afflixit, nonnullos existimasse in puteos pyræi, à Peloponensibus venena fuisse conjecta: homines enim pestilentis morbi, cum læthalibus medicamentis similitudinem ignorabant*, &c.

Illud etiam nos tacere non decet, pulveres & E unguenta evadere sub dæmonis pacto læthalissima, adhuc solo inspersa, per vias & per aquas: ut subito vel ad tempus, noxam aut mortem inferant. Id quod gravissimi viri rati sunt: id ipsum ex eo quod plus valeat dæmonis potentia quam artificis; ergo si hoc valet naturalis veneni efficacia; dæmonis artificio comparata plus valebit.

An vero virtute naturali, pulveres & unguenta, possint aërem vestes & terram contagio venenoso coafficere, ut corpori viventi communicetur sola veneni efficacia; mihi discutiendum restat. Pro cujus solutione dico, ideo venenum ef- E fectum in corpus alienum producere, quia est sui similis productivum; & ideo etiam alteratione per continuum facta, in corpus dispositum suimet actionem producit; ergo positum in debita distantia, sub quoque instrumento venenosam qualitatem producet; & maxime quia nunquam à nostra natura superatur; ex quo elicimus, non utcunque in aquas, in terram & in vestes projectum, corpora veneno coafficere, si causa productiva infringitur, aut certe ut par est dissipatur; quia effectus causæ efficientis non conservatur, nisi

Grill. de Sortileg. quæst. 5. & 11.
Spring. in Mall. part. 2. quæst. 1.
Remig. lib. 1 Dæmonol. cap. 2. & 3. & lib. 2. c. 8.
Delrio, lib. 3 Mag. part. 1. quæst. 1.

nisi præsente causa: & efficiens causa naturalis habet sphæram suæ activitatis, & ultra illam effectus non producitur: quare, aut distantiæ, aut causalitatis defectu, venenum non producit, neque communicabitur, nisi proximiori corpori: excepto dum dæmonis virtute utrumque suppletur: tunc enim bene poterit aërem virulento contagio coafficere, & ad proximum, vel ad distans communicare.

A

Hoc enim pleræque nationes sunt perpessæ; quoniam nullum est fere sæculum, quo hujus veneficii non sit feralis & funesta memoria. Nam tempore Moysis, & Pharaonis, magos unguenta & pulveres veneficos Ægypto induxisse, Philon est auctor, ut populum omnino devastarent. Ita, Domitiani & Commodi Impp. temporibus, sub Romano Imperio, pulveribus & unguentis maleficis Romæ vix numerabiles homines periisse, enarrat Xiphilinus. Apostolorum tempore Simonem Magum, unguentis & pulveribus usum, ad illos ex hac vita delendos, qui ab illius falsa doctrina dissentirent, in Delrio est celebris memoria. Et Cardanus meminit alterius pulverulentæ necis: ait enim civitate Salaciæ, pulveribus & unguentis veneficis, millia millium hominum periisse, ut vix minima civitatis pars intacta superesset. Et sub torrida Zona, in inculta Numidia, oppido quod dicitur *Gasola*, pulveribus maleficis quam plures periisse, memorat Episcopus Majolus.

B

In vita Moysis.

In Domitiano.

part. 1. qu. 1. Card. 15. Venenorum cap. 80. Majol. ubi supra, anno 1536. Colloq. cit. fol. 300.

C

Anno 1634.

Et hac nostra ætate, variis Italiæ civitatibus, pulveribus & unguentis veneficis, parietibus domorum, & per vias admotis, & sparsis per rivulos, & aquæ ductus fontium, & in templis, sub aqua benedicta, occultatis, millia hominum periisse, vulgatissimum est: adeo ut Quartus Philippus, magnus Rex utriusque orbis, Hispali paterna providentia mandaret, & consuleret, ut summa muniretur civitas vigilantia; ut & ora maritima universæ Hispaniæ ob fatalem ruinam feralis veneficii, quod per Italiæ urbes vagabatur; ne Lutherana rabies, quod armis & potentia non valuit, patraret insidiis.

D

Ita tenet Grilland. Spring. Codronch. Cæsalpinus.

Nec est dubium per naturalia consequi instrumenta hæc horrenda facinora, qui paciscuntur cum dæmone; illa enim in virtute istius operantur, & non in virtute mixtionis quantumvis deleteriæ: idem enim operatur veneficium in forma pulveris & unguenti; quod Philtra, pocula, operantur, & idola; sola veneficæ intentionis directione addita.

E

Hæc & alia cum extra propriam naturam, & activitatem vires exerunt, nos certiores reddunt de occulto in illis veneficio; ut cum de effectu nulla potest reddi ratio naturalis; & illa instrumenta, ut tesseræ militares deserviunt, quibus positis dæmon concurrit haud aliter, aut signo aut charactere, aut alio, quo posito, dæmon assistere tenetur: sic etiam in illis instrumentis contingit; & non quod illis necessitet ad operandum dæmon, sed ut altius cum deceptæ mortalitatis infamia occultet maleficium; si non in signum fœderis; ideo sæpe illis feralia carmina copulantur, in incantationem, & ut dixit Virgilius:

F

3 Georgic.

Miscenturque herbis, & non innoxia verba.

Et ut canit Ovidius, de Dea inferorum incantatrice Hecate:

Protinus horrendis infamia pabula succis
Contegit, & tristes Hecatëia carmina miscet;

Dæmon enim sæpe naturæ vim mentitur; aliquando sequitur artificium.

STATIO X. ARTICUL. I.

Dæmonum investigatio prosequitur in venenis; & an detur ratio differentiæ veneni intus geniti, atque ad extra propinati.

ET

An liceat de veneno, aut de veneficio, judicium proferre in judicio, sub illa utriusque veneni differentia?

Vocatum in judicium sæpe vidi, veneficii, aut veneni suspitione interemptum; fere nunquam ad satias probatum; nam æqualibus ita symptomatis ac signis, inter se confunduntur venenum intus genitum, ut extra propinatum, ac magisterio veneficii confectum, ut lynceis oculis fere non innotescat differentia: & hinc patet, quantum conscientiæ & rationi gliscat, judicium proferre in judicio, ob facilimum lapsus & animæ periculum; nisi exactissimo examine utriusque veneni. Fateor profecto, & ingenue fateor, quod ut proferatur sententia, de externo veneno, mihi sola legalis probatio sufficeret; satius est enim in ancipiti alea, impium absolvere quam innocentem damnare: ut habetur in *leg. absent. ff. de pœnis.* quod etiam confirmatur in *leg. 12. tit. 14. ubi æquitas juris probationem luce clariorem desiderat.*

Adeamus ergo Tribunal Medicinæ supremum; sed antequam nostram proferamus sententiam, ex ipsa rei natura differentiam utriusque, cum torno & cothurno perpendamus; naturalis nempe affectus veneni intus geniti, ab illo quem veneficium, aut venenum ad extra propinatum induxit: quod ipsum ex nullo principio melius consequemur, quam ex utriusque veneni definitione, & utriusque divisione.

Venenum in communi, (si credimus Galeno,) *est quod corpus nostrum alterat, natura nostræ, ratione substantiæ, contrarium*; hoc est occulta & venenosa qualitate, quæ à tota substantia operatur, & non primarum qualitatum ratione. Latius apud Juris-Consultos definitur; nempe, *quod plurimum nocere potest*; ut apud Ulpianum Digestorum *lib. 10. tit. 2. 24. & ad leg. 12. tabul. de Verb. signif. tit. 1. leg. 35.* &c.

Veneficium est prava corporis commutatio, dæmonis virtute illata, hominis ope & ministerio: seu magiæ species, qua quis ope dæmonum damnum infert; quo differt à veneno naturali; deinde veneni definitio, venenum intus genitum, & extra propinatum comprehendit; sine eo quod in illata noxa, nec signis, aliqua ratio differentiæ eluceat; quare in hoc omnes conveniunt, ut hujus aut illius virtute, noxa homini inferatur; in illo tamen differunt, quod venenum, seu nativum, seu arte propinatum, à nostro calore naturali comminutum, in actum secundum reducitur; veneficio vero confectum ope dæmonis, actuatur, seu peculiari applicatione, seu propriam venefici

nefici instrumenti virtutem exerendo: ideo enim dicitur *veneficium*, ac si dixeris *veneni factum*; ut *artificium*, seu *artefactum*: *maleficium*, seu *malefactum*.

Non ignoro veneficia per alia quam venena patrari, ut per *carmina*, per *idola*, per *characteres*, *&c.* Operationes tamen veneficii, sunt in totum similes veneni actionibus; noxam nempe hominibus inferre, & mortem aliquando: sed semper ope dæmonis saltem in applicatione. Quare cum quærimus differentiam inter venena intus genita, & extra propinata, seu veneficio confecta; aut in modo operationis, aut elevatione, aut applicatione, forte inveniemus veneficii signa.

Venenum ergo in internum & externum dividitur, & sub utraque differentia & frigidum & calidum vagatur. De frigido veneno intus alito, est celebris memoria in Galeno, *6. de Locis* 5. ubi ejus signa proponit; de aliis venenis intus genitis, ex pravis cibis corruptioni & veneno aptis. In *libro de cibis boni & mali succi cap.* 8.

De calido veneno intus genito, est nobilis historia in Hippocrate, in phrenetico, qui virulenta vomuit; in cujus commentario Galenus, ex veneno interiisse æstimavit, 3. *epid. sect.* 3. *ægroto* 4. & alia, illius cui pes doluit, & venenum ad caput recurrit, & secunda die mortuus est, 1. *epid. sect.* 3. 27.

De veneno ad extra propinato, tam frigido, quam calido, deque ejus essentia, prava & venenosa qualitate, multa in Galeno legimus, 3. *de Simpl. med. facult. à cap.* 18. *usque ad* 23. & *libro de Simplicibus medicamentis per totum.*

ARTICULUS II.

An venenum sola quantitate interficiat, an sola venenosa qualitate.

De frigido est expressa Galeni sententia, *sola quantitate necare*; 3. *de Simpl. medic. facult. cap.* 1. posito exemplo in cicuta & in succo lactucæ; nihilominus tamen *6. de Locis* 5. venenum frigidum in semine corrupto, quantitate, & aura venenosa, hoc est prava qualitate necare, existimavit; & illud est maximum argumentum, quod velut ictu oculi, hæc venenosa qualitas in parva quantitate totum corpus pervadit, & membra penetrat principalia, quod soli quantitati possibile non est; nec etiam solæ frigiditati; calida vero erodentia, & putrefacientia venena, venenosa etiam qualitate necare, palam est, ut Galenus asseruit, 3. *de Simpl. med. facult. cap.* 22. *&* 23. ubi agit de externo veneno; & idem æstimavit de interno, seu intra corpus genito. 4. *Aph.* 22. 23. *&* 24. atræ bilis exemplo, & citati phrenetici.

Est etiam alia veneni species, nec calida, nec frigida, ubi nulla prima qualitas prævalet, sed sola venenosa vires exerit. De hujus etiam specie veneni intus geniti, nobile nobis dedit exemplum Galenus; 3. *de Præsag. ex pulsib.* 4. & de externo hujus sortis veneno, in constitutione & statu Asiæ pestilenti, in primo & secundo epidemiæ. sed illud minime prætereundum duxit, quod illa qualitas venenosa, pariter

A in veneno interno, ac externo, inflammat, mortificat, urit, putrefacit, & corrumpit, in quacunque specie veneni.

Et si quæras ex quo principio proveniat hæc venenosa qualitas, respondeo, quod hæc occulta proprietas in similibus nihil aliud est, quam relatio perfecti ad imperfectum, ut accidit in magnete & ferro: in contrariis vero, cum principia sunt incommutabilia ad invicem, seu similia sint, seu dissimilia in substantia: nam hîc actio per qualitates fit similes, aut dissimiles; quoniam na-

B turale agens agit medio qualitatis quam habet assimilando sibi passum; sed in valde distantibus, idem est assimilare; ac destruere præcedentem formam principiis suis longe dissidentem; & hæc similitudo in materia, cum contrarietate in principiis, vocatur *proprietas occulta*, comparative, licet non absolute: ideo duplex antipathia observatur serpentis ad cervum, ob substantiam, & ad hominem ob substantiam & qualitatem; ideo cervus vincit serpentem, & serpens vincit hominem; nam serpens est in ultimo ordine sic-

C citatis, & cervus similiter; sed cervi natura robustior est, ut qui magis de sanguine participat, ideo serpentem vincit: quia quantumvis conveniant in substantia, dissident in principiis agendi qualitatum; & inde accidit, ut venenum sit interdum alterius veneni amuletum; ut hydrargyrium fascinanti veneno: adamas & hiacinthus pestilentiæ: & theriaca in aspidis venenum.

Quare hæc venena quæ qualitate necant, alia sunt urentia; alia corrodentia; alia putrefacientia; & alia à tota substantia corrumpentia: nam

D tabem inducentia non omnia, id, sola qualitate efficiunt, sed ipsa corporea substantia. Et quantitate, ut vitrum comminutum, gypsum, &c.

ARTICULUS III.

An detur venenum ad tempus, ut datur subito interficiens.

Illud etiam inter vetustatis auctores est maxime receptum, ut postea videbimus; ideo hæc

E calida venena, alia sunt ad præsens, alia ad tempus necantia; seu noxam insignem inferentia; (quod pariter de venefico veneno intellige) præsentanea, aut tarda venenosæ qualitatis efficacia; & ista sunt aut paulatim corrodentia, aut sensim putrefacientia; sed sub hac differentia, quod alia cor, alia cerebrum, hepar, renes aut vesicam peculiari antipathia vehementer alterant, corrumpunt, aut intemperant; nec semper interficiunt: est enim inter ista venenum quod infatuat, amorem, aut maniam inducit: pulmones typsi afficit,

F ulcerat intestina, hepar, aut lienem vehementer intemperat, ut perpetua afficiat icteritia; quod nos Hispali vidimus in viro satis noto, Matthæo Vasques. Sint nobis cantarides exemplum, quæ ardorem in urina inducunt, & vesicam exulcerant, ad sanguinis usque hæmorrhagiam: lepus marinum tabem in pulmone producit, cucumer asininum icteritiam, mandragora infatuat, hydrargyrium nervos & cerebrũ peculiari antipathia lædit: & hæc omnia sunt venena ad tempus.

ARTICULUS IV.

An hæc venena possint per odorem, per tactum, & visum penetrare.

An dentur venena odore, tactu, & visu præsentanea activitate necantia, non æque video apud omnes receptum: illud tamen nec experientiæ, nec Philosophicæ rationi gliscit: nam torpedo solo tactu ad distans, alteratione per continuum facta, nervos torpore afficit, vaporibus emissis, ut Galenus testatur *6 de Locis 5.* phalangii etiam & scorpionis exemplo, quæ velut ictu oculi, corpus universum alterant. Quidam Pharmocopola Carmonensis Hispali, cantarides intra ipsius vestis sinum deportabat; cum, en, subito incidit in urinæ ardorem usque ad mictum sanguinis: & cum à nostro consilio curationem peteret, causam in nostro Musæo perquirentes, post varia colloquia, invenimus cantarides in sinu deportare, tum nos potissimam hujus ardoris causam, illas esse prædiximus: novimus enim vapores venenosos, solo tactu posse corpus vicinum coafficere, alterante veneno.

Posse venena etiam per odorem intrare, Cardanus non accepit: sed mihi illius ratio non satisfacit: dicit enim sensibile posse proprium sensum immutare, nullo modo evertere, nec corrumpere. De moderato & non excedente sensibili, hoc fateor; de immoderato autem & excedente, & experientiæ & rationi repugnat: sunt enim quidam odores adeo penetrantes & acuti, ut non tantum sensum odoratus evertant & corrumpant, quin imo & totam cerebri facultatem, cum animi deliquio; ut nos quadam in fœmina vidimus, quæ solo rosæ recentis odore, in lipothymiam incidebat: & dato, quod venenosus vapor non sit sensibile proprium odoratus, id non obstat veneno, quin spiritibus & cerebro communicari possit, alteratione per continuum facta; simile contagium producendo.

Per visum, venenum posse communicari, (mitto fabulam Basilisci) patet in fascinatione naturali & venefica, dum per oculos expirant venenosi vapores, aliti in fascinantis corpore; vel dæmonis fœdere suppositi; & in corpus dispositum recipiuntur. Hoc video jam communi sententia receptum. Solum quis nobis potest objicere; si hæc est ita præsentanea venenorum conditio, quare corpus fascinantis non interimit? si alienum subito contagio inficit.

Breviter rationi dubitandi respondemus, corpus veneno paulatim genito assuescere, ita ut ab illo fere non patiatur: patet in ipsis venenosis animalibus, quorum venenum est illis connaturale, & aliis contrarium: ut etiam in anu Atheniensi Aristoteles dixit; secundo, venenorum analogias esse summe diversas, ut pestilentibus constitutionibus experimur, ubi necantur homines, cæteris animalibus illæsis: quod etiam in diversis complexionibus experiri, par est; nam ut dixit Ausonius:

Quam variæ pecudum pestes, nec singula morbi,
Corpora corripiunt?

Per oculos etiam posse venenum penetrare, manifeste convincitur ex porosa substantia; quoniam si ex hac causa per corporis poros intrat, pari certe ratione per oculos intrabit.

Ex his satis constare arbitror, tam frigidum qua calidum venenum posse intra corpus produci, secundum omnes propositas species & differentias: cujus cum gravis noxa infertur, erit mors inevitabilis, ex Galeni judicio: si vero parva noxa imprimitur, poterit venenum cum ipsis excrementis excerni; aut etiam victus ratione superari: ut patebit legenti, *3 de Simpl. med. facult. c. 23.*

ARTICULUS V.

De externo veneno.

Descendamus jam ad singulares venenorum species, quæ possunt ad extra propinari, & ad singulares illorum differentias. *An frigidum venenum venefica etiam qualitate interimat*, non deest qui existimet. Dicam prius Galeni judicium in hac veneni sorte; *3. de Simpl. med. facult. cap. 19. frigida venena*, inquit, *non à tota substantia interimunt, sed quantitate quæ à nostro calore comminui postulat, ut penetret, quia terrea sunt*; & *cap. 18. ideo citius in calidis naturis interficiunt, sed non antequam cor ipsum refrigerent; & intro comminuta extenuataque ingrediantur, ut quæ crassarum sint partium, & ex se penetrare non valent; ideo succus lactucæ si tempore detinetur, concoquitur, mora calore commutante; si vero cito penetret ad interna, interficit, maxime per venas amplas calore abundante, & cita arteriarum attractione*; Hæc in hoc loco Galenus, de veneno frigido, sed externo.

De frigido vero interno, longe diversum illi fuit judicium; nam *6. de Locis 5.* seminis in vasis seminalibus corrupti, exemplo, venenum non sola quantitate, sed venenosa qualitate necare existimavit: quoniam à ratione alienum non videtur, utroque modo, hæc ipsa venena interimere, quantitate nempe & qualitate: ideo opium & cicutam, præter frigiditatem, venenosam deleteriam etiam qualitatem possidere, ratum duco: nam præter stuporem & amentiam, hæc venena tenui humiditate, qua constant, & aura venenosa permeant ipsam sanguinis & spirituum substantiam, illamque plane corrumpunt; crassa vero frigiditate, & torpida, sensus omnes in torporem ducuntur: sanguis à motu cessat dum coaluit, inde profundus somnus: ac necessaria consequentia, spiritus extinguuntur obruti, ventilatione præpedita, quæ omnia mors excipit.

Quod si à tanto malo evadere contingat, in cachexiam sæpe delapsos vidimus, abolita interdum depravata coctione; nec tibi mirum sit actionem depravari à calore deminuto, si actio vitiatur per consensum cordis, nempe, aut hepatis, quod tympania patet: hæc venena interdum præsentanee necant, aliquando ad tempus; hujus tamen veneni signa, sunt, præter stuporem & amentiam, ungues, & extrema livescere, & totum reddi lividum corpus, & plumbei coloris, ac torporem corpus universum occupare.

Sunt alia venena quæ non qualitate, sed substantia perimunt, ut sanguis tauri, qui ob crassam substantiam, & concrescentes fibras, ventriculo coalescit, & mole sua cordis calorem suffocat, & pulmonem coarctat; quod etiam lac coagulatum experimur efficere. hæc sunt Galeni signa, *libro de Vtilitate respirationis ad finem.*

Gypsum

Gypsum est venenum ad tempus, & corporea substantia interficiens, dum venas & arterias obstruit, & corpus universum refrigerat; & si venas mesaræi obturat, inde fluxus hepaticus, chylosus, ac inde tympanites; nam fluxu assiduo retento, calor naturalis obruitur, & præternaturalis intenditur; unde flatuum uberior proventus: si non forte pars tenuis veneni, ad venas vel pulmones defertur, quo lapidis materia suggeritur; aut occasio ulceris, unde sequitur tabes; & si ad venas corporis universi sanguinis distributionem intercipiat, fatalis atrophia subsequitur.

Tabefacientium venenorum peculiaris species non datur, sed omne quod sensim hominem ad tabem ducit, merito dicitur tabefaciens; non tantum quod obstruit, sed quod putrefacit, corrodit, & colliquat; aut id occulta proprietate operatur; ut quod corporis substantiam, & spiritum atterit, aut nimia siccitate, aut intenso calore; aut quod coctionem indelebili vitio depravat, aut membra principalia vehementer intemperat; ut lapis, aut tuberculum efficit, in ventriculo, hepate, pulmone, aut renibus, ut de gallo & simia ab ista causa tabidis, Galenus adnotavit: & ratio certe speciosa est; ideo enim cordis affectus & membrorum nutritioni dicatorum, maxime pericardii, corpus universum tabefaciunt, quia sanguis venarum, non pulsantium, apponi & nutrire non valet, quia ad actum non reducitur ab arteriali & purissimo sanguine, qui actum vitalem impertitur: si ex affectu cordis, aut pericardii intercipitur, fortasse dissipatur.

Putrefacientia venena à tota substantia necare, est Galeni sententia, 3 *de Simpl. med. facult.* 21. sed illa præsentanea sunt, quia mox erysipelata & phlegmonas inducunt; ex quibus virulenta aut depascentia ulcera relinquuntur: quod si pulmone accidat, fiunt tabes, & sanguinis sputa, quæ brevissime necant; si in gula, phlegmone, tumentia ulcera; si in jecore, subita icteritia; de quibus est illa *Coacarum* Hippocratis sententia: *Icterici multum fœdati pereunt*; si in ventriculo, & intestinis, vomitus virulenti & æruginosi, & similes dejectiones colliquantes, ab ulceribus veneno derelictis; quæ in fatales dysenterias transeunt. sed hæc eadem fiunt etiam & ad tempus venena, nec illa perpetuo interimunt, si credimus Galeno, 3 *de Simpl. med. facult.* 23. quando nempe adhærent membris, & sensim, & exiguo dolore sua ulcera fovent; difficulter ob id, (quod minus intellecta) sanantur; seu quia præassumpta venena feliciter cum excrementis dejiciuntur, antequam noxam inferant; aut idonea victus ratione domita superantur; quod nobis accidisse civitate Carmonensi, in *D. Leonora de Atiencio*, plures norunt.

Ratio autem, quare venena præsentanea celeritate necant; temporanea autem, mortem, seu noxam insuperabilem ad tempus differunt; inde petenda est, quod in illis qualitas venenosa in tenui substantia defertur, vel in se ipsa fortis activitatis est: in istis vero, crassiori substantia coërcetur; vel longe à membris præcipuis delitescit; seu in se ipsa longe debilis activitatis est; ideo

A lente tabem vel mortem inducit: vel ad tempus differtur operatio, ut in canis rabidi veneno experimur, ad annos delitescere. Sed illud peculiare habet causæ inveteratio, ut, cum sese prodit, noxam insuperabilem derelinquat impressam: de hoc veneno temporaneo est Galeni judicium, 3 *de Simpl. med. facult.* 22. *Quanto diutius*, inquit, *in corpore morantur, tanto magis agunt, ideo longo post tempore sumpta, nonnulla interimunt, maxime quæ crassa terreaque sunt; hac enim corporibus nostris inhærentia, & spatio temporis putrescentia, erodunt, corrumpuntque vicinas corporis partes.* Et illud etiam in variis pe-
B stilentiæ sortibus legimus observatum, ut in *sudore Anglico* 24 horis interemisse, & Asiæ pestilentia ad longiores dies; & per annos 1599. & 600. nam summa agentis violentia passum adhuc ineptitudinem supplente violentia; & per annos 1649. plures subito interemisse, vidimus.

Usque dum veneni intus aliti & extra propinati elucent signa: aliquam tamen, inter illa Galenus invexit differentiam, 6 *de Locis* 5. in mortuo proposito exemplo, ex solo veneno intus genito.
C In hac re certe incuriosus, quantum aliis diligens: nobis enim semper foret utilius, si viventis intoxicati signa ob oculos proponeret, ad differentiam mortui ex innato veneno: quoniam in mortuo fere est impossibilis differentia, an ab hoc, an ab illo veneno moriatur; nisi viventis adhuc accidentia perpendantur.

Cum hoc tamen judicavit Galenus, si quis antea perfecta sanitate constitutus, & cibis boni succi, absque ullo delicto educatus, repente caderet, interemptus; ac inde corpus lividum, ni-
D grum, seu variis coloribus fucatum, ut verberibus cæsum, maxime juxta dorsum permanserit; hunc venenum sumpsisse, ajunt: & hanc mortem veneno tribuendam æstimavit: sed tunc fuisse à veneno intus genito, si antea frequenti syncope animo linqueretur; & corpus frigidum exsudaverit, maxime circa faciem, & collum: & livor ungues, & extrema digitorum occuparet, cum nausea perpetua, & dolore corrodente ventriculi: & capilli postea vel sponte deciderent, vel facile, & sine violentia evellerentur; si caro etiam
E brevissimo tempore olet; quod veneni putrefacientis est inditium.

Tantum hæc difficilis quæstio adhuc illius vetustatis torsit ingenia, ut in hoc loco ipse Galenus dicat; qui hanc solent proponere quæstionem, *utrum propria sint nota veneni, nec ne? nam qui maxime videntur sub hac ambiguitate disputasse, ii eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione quæ à corpore ortum habet, verum illud discernes*, &c. & refert verba quæ protulimus antea; ac deinde procedit: *Igitur si hujusmodi*
F *affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobismet ipsis accepto, suæ originis impetu, similes sint iis qui pernitioso epoto veneno eveniunt, nil mirum, si vitiatum semen, aut menstruum hujusmodi cum retinentur, aut putrescunt, corporibus ut afficiantur idoneis, gravia inferant accidentia*, &c. nec his Galeni verbis satis patet utriusque veneni differentia; imo accidentium similitudo in utroque: quare rem altius expendere oportet.

ARTICULUS VI.

Individualia venenorum signa perpenduntur, ad veram differentiam eliciendam.

Signa specifica quæ aliis sat essent, in illa quam intendimus differentia, non concludunt; nisi additis signis cujusque veneni singularis: quare ubi casus instabit; cujusque peculiaris veneni signa, fortasse veneficii æqua lance librata, perpendere debemus; ut, ex quo veneno mors acciderit, innotescat; nam signa communia sunt utrique veneno gentilitia, & adeo similia, ut antea ex Galeno notavimus.

Vitri Pulvis est species notissima veneni; iste, cum devoratur, dolores acutissimos infert in ventriculo, & ipsis intestinis, & sanguinis concitat hæmorrhagiam, vomitu & secessu; ut abcessum illius regionis æmuletur.

Gipsum dentes dealbat, & gingivas, & linguam, anhelitus difficultatem infert, dolores in ventriculo lentos, cum tristi & importuno sensu; ventrem nimis adstringit; nisi obstructis mesaraicis chylosum concitet alvi fluxum; nulli cedentem auxilio.

Cerussa, (quæ frequenter à mulieribus, pro ahyto puerorum depellendo tribuitur, impio abusu.) est etiam venenum, quod citat album vomitum dolore corrodente ventriculi, dentes fucat nigredine, & sanguinem impellit vomitu & secessu.

Hydrargyrium, vulgo *arg. vivum*, ut etiam *argenti spuma*, eadem concitant accidentia veneni; nempe ventriculum & alvum vehementer conturbant; anhelitus difficultatem inferunt, intestina erodunt, usque ad dysenteriam: sed *hydrargyrium* est adeo violentum, ut partium tenuitate, & operandi violentia, corpus penetret universum, & humores partibus adhuc remotissimis imbibitos evellat; quo irritata natura, motu & agitatione, & prava qualitate, humoris jam commoti expulsioni gliscit; ut per vomitum, per alvum, per sudorem, per sputum, humores conturbatos expellat; quo in opere, (meo judicio) soli ægroti illi, qui vires nanciscuntur, violentiæ pares, mihi evadere videntur, non virtute auxilii, (cujus ad morbum nulla est analogia, nec virtus specifica,) sed sola violentia, qua noxia expellit excrementa: ac ideo reor quod est ex illis quæ fortuito curant, & non ex ratione, nisi quis velit in illo contra morbos rebelles adesse analogiam.

Fateor tamen hanc temeritatem venenosi auxilii à summa desperatione indicari, si auxilia debent esse æqualia; illud tamen consultissimum judico, in damnandis ægrotis venenoso auxilio, prospicere nempe, an virtus sit sufficiens, ut obsistere valeat veneni accidentibus, & conturbationi: quoniam in hoc libratur auxilii fœlicitas, si tantam violentiam ferre potest; sin minus, in ipsa virium imbecillitate, aut morti aut damno insuperabili damnabitur; invalidos enim postea omnes fere novimus periisse, seu profusa evacuatione exolutos; seu intus derelicto veneno; (ubi maxime nulla concitatur vacuatio,) tabescentes; seu cerebro & nervis, à nectare vivifico defraudatis: unde summa debilitas, aut arida convulsio,

A seu tremor corporis universi, nervis ad lapsam intemperiem prolapsis; aut in extrema debilitate positis: unde accidit, ut morbus, qui tanto auxilio non medetur, aliis postea fiat insuperabilis: hoc etiam auxilium peculiari antipathia nervos lædit, & facultatem dejicit animalem, quo fit, ut interdum præsentaneum fiat, aliquando & ad tempus venenum: & utinam hoc posset chirurgorum audaciam compescere.

Rubigo est venenum ad tempus; nam corpus exsiccat universum, ad marasmum perducit, cum modica corporis punctione. *Ærugo* præfocat, & B respirationem subito angore intercipit; datum per os, ventriculum, & intestina rodit, dolores & ulcera producit, ad quæ sanguinis dejectio sequitur, & virulenta sanies.

Magnes, seu *Herculeus lapis*, devoratus, ad deliria melancholica perducit, cũ mentis fatua læsione.

Cynabrium inter alia, spirandi difficultate necat, ventris utramque regionem vehementer subvertit, per secessum concitat hæmorrhagiam, & ad dysenteriam hepaticam perducit.

C *Opium*, ut cætera venena frigida, odorem per os de se mittit ebibitum: torporem in sensibus inducit; somnum inexpugnabilem & mentis torporem; respirationem ferme usque ad mortem non immutat: cum summa respirandi necessitas, pectoris & thoracis movet musculos; tunc extrema livescunt; & plumbeum, & lividum redditur totum corpus.

Mandragora poma, succus, & radix, & pariunt amentiam, & altam oblivionem sensuum externorum, & mentis stuporem inducunt, & omnes D frigidi veneni effectus.

Cicuta vehementer strangulat, convulsione & vertigine interimit; & ungues, & extrema, hac epota, livescunt: corpus & mentem torpore & stupore afficit, & tremor occupat totum corpus, & præcipue manus, non sola quantitate, sed aura & qualitate venenosa.

In his omnibus frigidis venenis idem accidit quod in succo lactucæ, ut Galenus docuit observare, 3 *de Simpl. med. facult.* 18. *Lactuca succus*, inquit, *si in ventre moratur, aliquando concoquitur; si vero ad cor penetret ut cor ipsum refrigeret, cito interfi*E*cit; nullum enim animal interire potest, quin cor ab agendi munere cesset: fieri tamen nequit, ut cesset, nisi à vehementi intemperie, & non à moderata; ab hac enim in totum non vacabit; priusquam immensam frigiditatem, aut caliditatem, aut reliquarum qualitatum aliquam acceperit*, &c.

Apium risus cum mentis motione convellendo interficit. *Cucumer agrestis*, *Euphorbium*, *Stibium*, *Coloquintida*, & *Veratrum*, humores per utramque regionem impellunt, usque dum sanguinem violenter exprimant, & exolutis viribus interficiant, F ut *Oleandri flores*. In his, & in omnibus vehementer purgantibus, fortuna erit, si cum ipsis excrementis dejiciatur devorata substantia; *Quoniam*, ut Galenus observat, 3 *de Simpl. med. facult.* 24. *si frustratur purgatio, ista in venenum vertuntur*; quod semper attentione perpende.

Napelus, venenum præsentaneum, linguam inflat, ut os illam non capiat, cordis syncopem inducit, corpus totum nigredine perfundit, & venter intumescit, oculos convellit, & strangulando interficit.

Aconitum

Aconitum est venenum ad tempus, & venenorum princeps, vertiginem inducit, lacrimas & spiritus difficultatem movet, & peditus multos emittere cogit; dulce est gustui, leviter subadstringit.

Lepus marinus, lædit pectus & pulmonem speciali antipathia; ideo strangulando necat: vomitum in stomacho, tormina in ventre movet, odorem piscis corrupti refert.

Sanguis menstruus, venenosa qualitate necat, in multa quantitate propinatus; in parva fertur, quod ad amandum provocat, fortasse ex veneficio. *Eluri* cerebrum, & *Lacertarum* corpora, & *Schincorum* cauda; potu, aut cibo data, hæc eadem producunt; & super hæc amentiam, ut tales videantur lunatici: sed *sanguis menstruus* sanguinem venenosa qualitate corrumpit.

Anacardi & *mel anacardinum*, sunt venena urentia, quæ intensum calorem in caput inducendo, alienationem producunt in potentias; quo in aliquibus producitur amentia melancholica, cum tremore manuum, & mentis stupore: & aliquando inducitur fanatica dementia; non subito, sed ad tempus, ex causæ inveteratione; ut quando hæc elucent symptomata, auxilio non sit locus. Considerent igitur studiosi viri, quanta cum cautione & timore ad memoriam excolendam, sumant anacardinam. Dicam ego quod ipse vidi: *Vir quidam chirurgus nobilissimus, & triginta annorum, adaugenda memoriæ desiderio*, anacardinam *satis correctam accipere decrevit; erat etiam ex adustione biliosus*; *jam in melancholiæ confinio, is per tres dies sumpsit hujus conditi satis moderatam quantitatem, sed paucis post elapsis diebus incœpit somnia melancholica enarrare, & somniis infœliciter credere: deinde scrupulose de vita desperare, quo in statu manuum tremor incepit, præ arida cerebri siccitate, magna nervoso generi imbecillitate inducta*; *ac exinde incepit delusæ & falsæ imaginationi credere, quo tandem decidit in maniam, quæ nullis cessit auxiliis, quin paucis elapsis mensibus vitam finiret.*

Salamandræ & *bufonis* ova, valde præsentanee necant, & dolores ventriculi vehementes inducunt, & toto ventre inflato, moriuntur qui talia accipiunt.

Cantarides, tali violentia urinam provocant, ut ad sanguinem & ulcera ureterum & vesicæ perducant, ilium cum dolore intenso, cum ardore urinæ, & stranguria, & clamoso ventriculi dolore; concitant & abcessus in ventre cum ardore: quæ omnia accidentia affert in vino *Salamandra ebibita*.

Multa alia omittimus venena, quæ à diversis principiis desumuntur: velut ab animalibus, serpentibus, à plantis & ab herbis, & metallis; ut ab uprestibus, pythio campis, rubeta, à lepore marino, à vermibus, etiam ruta nutritis, à felle & saliva serpentum, ab hirudinibus non bene expurgatis, à cauda cervi, à felle leopardi; à carpasio, aconito; colchio, ixia: ab scorpione, vipera, & phalangio; à fungis, taxo, oleandro, sordonio; ab opio silvestri, & solano; ut à metallicis jam supra enarratis: nec sunt inferiora fermentata venena, & quæ arte ab artifice venenorum parantur: inter quæ *pharicum* primas tenet, aqua separationis, & alia quæ à variis venenis permixtis fermentantur.

Horum omnium notitiam callere tenetur, qui judicium præsumit proferre in judicio; nam ut omnis vitetur æquivocatio, in re gravi, & capitali periculo, tam magnis fallaciis exposito, non tantum decet nosse veneni accidentibus periisse, aut veneficii; hæc enim possunt esse communia & æqualia veneno intus genito, ac extra propinato; sed etiam ex qua veneni sorte particulari, si est ex illis quæ extra propinantur; quod certe studio signorum, quæ nos ibi proponimus, fortasse assequetur, ut secura conscientia, quantum res obscurissima tulit, proferatur judicium.

ARTICULUS VII.

Differentia veneni naturalis & inducti veneficio perpenditur.

Si qua inter veneficia naturalia venena est assignabilis differentia, hæc inter morbos inductos, veneficio, & naturales morbos, talis erit, paucis fere mutatis: nam venefica ope dæmonis, aut venenis, aut causis morborum naturalibus utitur, ad noxam seu damnum inferendum.

Differentiæ signa pleraque sunt artifici nota; quando nempe ordinem naturalem excedunt: multa conjecturalia: alia legali probationi proxima. Mitto signa ex colore, odore, natura, & sapore veneni; quoniam ista sunt etiam veneni intus geniti signa, dum à natura per vomitum expellitur; aut per aliam viam.

Veneficii, aut veneni proxima signa, erunt, si ex eadem domo multi simul sine causa perierint; aut noxam insignem patiantur; maxime veneficæ comminatione præcedente, aut infidelis servæ; ut patet ex non paucis historiis: & si cibo aut potu degustato, mox linguæ inflatio sequatur, gutturis inflammatio, morsus ventriculi, cardialgia, continuata nausea, & cordis palpitatio; ut nos vidimus in Doña Leonora, nobili matrona Carmonensi: hæc à potu aquæ hæc omnia pati queritur; à cujus potu paululum superesse audivimus: hoc nos accipientes, aperto ore canis domestici relictam in vase portionem infundere mandavimus, quo accepto, canis intra horæ quadrantem animam exhalavit, admiratione circunstantium, quo veneni suspicio in legalem probationem cessit.

Devorato veneno, mox in lingua & gutture sentitur sed non omne, illud maxime quod ex urentibus aut putrefacientibus assumitur; dulce vero, aut fucatum delectabili cibo, protinus non sentitur, sed ex illo postea ructus olidi, pravi saporis, aut odoris, surgent; quod si postea vomitus & nausea persistunt, cordis palpitatio, & ventriculi dolor, alvi fluxus, extremorum frigiditas, livor unguium, pravus corporis odor, convulsio, syncops, sudor frigidus, cum importuno & rauco singultu; tunc non tantum est veneni suspicio, sed cum vitæ desperatione vera præsumptio. dummodo non sit excusatio in continua & longa cruditate ventriculi, cibi mille modis fœdati; sed si illud in perfecta sanitate contingat, certius veneni est inditium; hæc præsentanei veneni signa sunt.

Temporanei autem veneficii, seu ad tempus propinati veneni alia signa sunt: hæc enim potius

ex

ex membri læsione desumuntur, quam ex ipsa veneni qualitate & efficacia; quod non ita manifeste vires exerat, nec palam insidiari videtur, sed lenta & occulta fraudulentia; veluti in ventriculo mala veneni qualitas impressa remanet, lingua, corde, pulmone, cerebro, aut jecore; nam horum unum, aut plura, veneficio aut veneno affici, est omnino necesse; nam si ventriculo venenum commoratur, (seu putrefaciens, seu erodens sit) nausea frequens erit, cum suffocatione; sed vomitus erit peregrinæ qualitatis, & humoris, cum tædiosa vita; & ructus graves, olidi; alvi fluxus nullo auxilio sedabitur; lingua in his ita erit exusta, & nigra fuligine fucata, ut elui non possit, adhuc violento abstergente; neque sitis sedatur, & hi ut plurimum hydropici evadunt, tympanitici, ventre inutili sarcina repigrato; si non forte cachectici, colore maxime defœdato; neque causæ hydropis naturales præcedunt.

Si afficitur jecur, per venas corrumpit colorem linguæ, febres lentas producit; & morbum naturalem mentitur; aliis videtur amphemerina febris, sed lingua adeo nigra & aspera videtur, ut illud accidens longe à febris natura alienum videatur: ego vidi oris ulcera, ex hac sorte veneni, adeo importuna, maxime ad dentium radices, ita pravi odoris, ut nullo auxilio sedarentur; usque dum tabidus hic ægrotus deficeret: in quorum principio sanguinem mitti jussi, & erat adeo defœdatus, fibris & substantia corruptus, ut nullo medio coalesceret; quin hinc inde deflueret; sitis erat intensa, & supra febris merita, quæ erat valde lenta: insuperabile fastidium interdum sine febre; usque dum vitæ tædio confectus, cum vehementi veneni suspitione, ex hac vita migraret.

Adhuc in signis ipsis est quædam peculiaris differentia; ut si in dolore ventriculi ex veneno, statim cum dolore adveniat mutatio coloris, in facie, aut in corpore toto, cum cordis palpitatione & vertigine; quæ si à morbi naturalis natura longe distant, est prorsus læthale signum; nisi sit excusatio in ictero, ubi color mutatur alia ratione: quod si his hydrope adveniat sudor frigidus, & strangulatio est ultima & fatalis desperatio.

Peculiaria autem veneficii signa sunt, tumor & ventris inflatio, sine causa: si subito tanta facta est, in vitæ fundamento everso, ut mox in hydropem transeat, (in flatus nutrimento converso:) nam tam subito causæ naturalis superat efficaciam; & tanto deteriora signa sunt, quantum ex inveteratione causæ sunt longe propagata, seu radicata altius; quia veneno nunquam assuescit natura; quod causis naturalibus morborum accidit aliquando, veluti in quartana: ideo si postea vomitus & alvi fluxus adveniant, sunt prorsus ad pernitiem; & semper in veneno deleteria, quæ in aliis morbis critica esse solent; sed linguam intumescere omni sicco veneno est commune, ut etiam si vires sine causa labantur, & tales perseverent; sed illud veneficii suspitionem auget, symptomata esse prorsus contraria, & morbo non congenea, ex quo reddi causa non possit.

Adhuc se magis simulant veneni seu veneficii temporanei signa, & se sub causa naturali abscondunt; cum nempe, ægroti illorum accidentium reddere causam nequeunt: & à quaque levi causa & à curatione ingravescunt; nec in somno

A quiescunt, sed in illo variis terrentur imaginibus, & à dæmone vexari conqueruntur, in colore maxime defœdantur, ungues nigrescunt, & cum livore linguæ: quod si in hæc subito incidat mala perfecte sanus & robustus, arguit veneficium; sin minus, venenum; nisi sit excusatio in ordine præpostero vivendi, ac ciborum varia conditura, aut in passionibus animi melancholicis: nam ex antiquatis obstructionibus jecoris & mesaræi, cum frequenti animi deliquio, & virium eclipsi, ex veneno intus genito, nos aliquem vidimus perB iisse.

ARTICULUS VIII.

Quæ sit præsentanei & temporanei veneni differentia.

In hoc etiam differunt, quod in præsentaneo, vehementia & numerus symptomatum fere tempus auxilii anticipant, cum animi angore, & calore intenso, quia mox membra occupat principalia; quod in temporaneis non ita celeriter C contingit, quibus lenta symptomata: ex quibus pleraque non sunt suo jure læthalia; licet alia necessario mortem afferant; ut canis rabidi virus: non læthalia sunt, inductus amor, mania, & ignava fatuitas; & pleraque perstigia, quæ potius insaniam, quam necem afferunt: quia ista membra principalia, nec subito nec vehementer lædunt; nec aliquam vitæ necessariam operationem intercipiunt; ut respirationem, cibum, somnum, & mictum: illud tamen est maximum veneficii argumentum, subita & magna in moribus mutaD tio in deterius, in homine modesto & prudenti; ut si quis concubinam ad perditionem depereat.

Lente & sensim contabescere, sine causa, veneficii, aut veneni ad tempus est indicium, si ab aliquo potu, aut cibo ortum duxit; ut confestim omnia accidentia in summa intentione advenire, præsentanei; maxime si plura simul complicantur, & confunduntur accidentia, ut respirandi difficultas, suffocatio, vomitus, ventriculi dolor, linguæ tumor, livor unguium, urinæ ardor, ulcera denigrata, vermibus scatentia; aut si vermes E insuetæ figuræ dejiciantur: sed illud erit certioris notitiæ, si hæc ipsa ante morborum præscripta tempora cessent, & subito sanentur; & sine causa iterum revertantur: hoc enim certe de veneficio arguit; quia naturale principium non aderat.

Deinde pleraque accidentia singulari energia id ostendunt, ut strangulatio, linguæ tumor, cum sapore & odore, gravi: si vomitus veneni materiam ostendit, longe à naturali humore peregrinam, & maxime post cibum; ex quo linguæ inF flatio, cum ariditate & siti: nulla distillatione præcedente: si dolor ventriculi erodens, & intestinorum difficultas sine febre: & si cum dolore maximo expellit primo, cruorem aqueum, sine aliqua bile, nec alio humore naturali, imo punctio postea manet; & statim à cibo nausea supervenit, cum unguium livore & frigido sudore; hoc à veneno est: si tandem intus uritur sine febre, & cum dolore ventris, & tali anxietate, ut illius reddere causam nequeat: Sed attende an ex Gallica lue, aut hypochondriaca melancholia, aut interno

terno tuberculo hæc ipsa foveantur, an ex unctione argenti vivi; ut ab illo discernas.

Hic animalium venena recensere non placuit, quod illorum ictus, aut morsus signa, & quæ postea sequuntur accidentia, sint hujus argumenti aliena, & per se satis nota, summeque præsentanea: morsus enim aut ictus venenosi signa, sunt tumor durus, circumcirca cum saturato & intenso rubore, & loco inflammato frigus aliquando sentitur, maxime scorpionis ictu; horror & tremor occupat totum corpus; os & labia ictus & frigent, & livescunt, vomitus æruginosus & pallidus occurrit; corporis & faciei coloris & caloris cita in utrumque mutatio apparet, ob molestiam cordis, in quo est palpitatio; quam si occupat syncops, desperata res est: aliis insensissimus dolor, multis nulla sensatio, parte sensitiva moriente.

ARTICULUS IX.

Differentia ex parte instrumenti; & signa veneficii.

Sed quia veneficia possunt fascinatione, carmine, idolis, & imaginibus inferri, differentiam ex parte instrumenti oportet constituere. Fieri ex fascinatione inde nosces, si nulla præcedente causa, in cibo, aut in potu, illitus aut olfactus: subitus faciei & corporis color, ad pallidum & morticinium mutatus; oculi tristes & demissi redduntur, cum irrationali melancholia, & lacrimis frequentibus: & præ imbecillitate capite ad humeros demisso subalbido pallore, insolita vigilia; & ubi sunt insomnia in nocte terrifica, & subiti tremores: atrophia, & corporis macies, cum invicto fastidio illos maxime vexat, quibus splendent oculi: quæ omnia si sequantur ad aspectum mulieris, in qua sit aliqua suspitio naturalis fascini, aut veneficii, fascinationis erit magna præsumptio: fertur quod hiacinthus & coralus in fascino pallescunt, nitoremque amittunt; & si annulum ex asini ungula in digitum immiseris strictum, si aliquot post dies factus latior, jam ex digito decidit, est certius veneficii fascinatione inducti argumentum.

Perstigiatorum veneficio alia signa sunt; quoniam perstigiati vana loquuntur: variis imaginibus & spectris phantasia delusa intra se murmurantes, nemine respondente; & confusis imaginibus turbantur, insomno & vigilia: & pacato delirio dementes, fatuitatem æmulantur; oculos habent lucidos, & ut cogitantium intentos; & inconniventes: vividus color paulatim emarcescit; & carnes flaccescunt, albicantes, flaccidæ & exsangues; mentis stupor quotidie augetur, donec ad sensus refundatur, nam visus & auditus in illis hebetatur, ut nunc Hispali in nobili viro experimur.

Impia devotione affectos importuna curarum solicitat illuvies: nec est ubi quiescant: in moribus maxime mutantur in deterius: semper in extrema delabuntur timoris aut audaciæ, tristes aut iracundi: rationis egeni, & inopes consilii: & continua superstitione aut aspernantur Deum, aut scrupulose, & rustico timore, sacra fugiunt; & nocturnis lemuribus, aut larvis terrentur; re-

A bus in omnibus aspicientes suæ miseriæ imaginem; passionibus variis agitantur; avari, crudeles, tristes, & sibi & aliis odiosi, insidiantes, & diffidentes, seu atro humore adjuvante, seu sub hac hæresi mentis delirantes, seu sub his instrumentis à dæmone obsessi; quod frequentius accidit.

Excantati, alii laborant à dæmone obsessi, alii delusi, alii tandem ex mentis acumine loquuntur mirabilia, quæ nunquam didicerunt, præ humore melancholico, lucido & tenui, & spirituum lucidorum abundantia: ut nos late probavimus

B in *Feraliis*; de quibus dixit Plinius, 7 *Nat. hist.* 50. *Atque est etiam morbus aliquis per sapientiam mori*; hi de scientiis disputant, extra propriæ mentis aleam; ex his qui pactum dæmone inierunt, sibi videntur convivia celebrare; oculi sinistri pupilla, & his, & fascinantibus ex pacto, duplex est, & velut pes bufonis, ut notat Springerius: torvus est aspectus illorum, & crudelis, veluti perduellium; mussitant & inter se loquuntur, hirsuti, & macri contabescentes: & si vis experiri in

C dubio, an adsit veneficium; *Myexim* in annulo include, & si infixus digito annulus, & modice constrictus, sponte sua decidit, est certum veneficii argumentum; sin aliter, corpus lapidis lucidum colorem non amittit; hoc est imaginatum: hoc etiam habent affecti veneficio, quod se multa & magna posse profitentur.

Philtri amatorii suspitionem probat, si amoris incendia sint longe à ratione aliena: & ultra merita personæ amatæ, & amantis decentiam; si jus & fas gentium, & divinum timorem parvi fa-

D cit; si honoris gloriam, decus & ornamentum, amittere non pudet; si diu noctuque de alio non cogitat, quam de improbis facibus quibus uri exclamant; in hoc tamen secundum capacitatem est magna latitudo; nam hæc extrema dementia, in homine prudenti & magnorum capaci, est forte veneficii argumentum; ut in Marco Antonio vetustas adnotavit, maxime prolapsus ad quamcunque fortunam; quod certe æstimandum non est in homine communi & vitæ inconstantis; nam est etiam suum cuique peculiare in ipsa pul-

E critudine veneficium, & est sua cuique dementia; deinde si qua ratione, ab amante abstractus, velut invitus, tacita & occulta violentia, trahitur, quocunque loco, ubi mulieris amatæ recordatur.

Maleficium etiam odia posse in familiam & uxores inducere, mille probant historiæ, quas afferemus postea; quod etiam est creditum à *Cæsonica* factum, in *Caligula*, non tantum dolo, quam necessitate, cum in cunctos quanto essent chariores desæviret acerbius; idque excogitatum pro tutela. Illa tamen hujus veneficii signa erunt, si

F ubi præmia merentur, subrogantur supplicia; & si beneficiis quibus pacari solebat, furiose irascitur: si vultus dæmonis, aut bestiarum in illis, quos odit, intuetur.

De frigidis, impotentibus, & sterilibus veneficio, suo loco jam diximus. An autem veneficium, seu per venena, per carmina, characteres, & incantationem, sit semper ad mortem inferendam, non quærimus; cum sciamus quatuor venenorum genera veneficiis inservire: *Amatorium*, nempe, *maniacum, contagiosum & imbecillitatem inferens*, licet his etiam *lathiferum* addatur; legimus enim

Olympiadem, privignum Arideum aliis fœminis invalidum fecisse, soli sibi potentem: & Cleopatram poculum *amatorium* Marco Antonio dedisse; quo illam insano amore deperiret: & Agrippinam, Locustæ, famosæ veneficæ, ope, ad tabem & mortem Claudium adegisse: in hoc tamen assistit differentia utriusque veneni; quod quæ perimunt, vim suam proferunt; alia autem continent, & non lædunt membra vitæ apprime necessaria, velut cor & jecur; nam ista membra læsa, vitam incolumen diu servare nequeunt; sed cerebrum levi affectione diu potest persistere, dummodo alia membra non trahat in consensum; ut in fatuis & maniacis patet. Res autem, ex quibus desumuntur venena, & ars, & natura invexit: ars autem plusquam natura, pollet in hoc venenorum magisterio, contra natura in conservatione.

ARTICULUS X.

Hujus argumenti Conclusio.

Ex hac venenorum notitia, primo elicitur hæc conclusio: *Venenosa & maligna qualitas veneni intus aliti, & extra propinati, sive veneficio confecti, nec essentia, nec operandi efficacia differt posita paritate; ac ideo in perempto à quocunque veneno, non est ulla ratio differentiæ.*

Hæc conclusio patet paritate affectus, qui producitur ab ista qualitate in utroque veneno; nam pariter in uno ac in altero, mortificat, inflammat, putrefacit, urit, corrumpit, & tabefacit: patet etiam in signis, quæ ab utroque veneno, in mortuo corpore relinquuntur: in utraque enim corpus lividum redditur, nigrum, ut verberibus cæsum; animo in utraque linquuntur sic affecti: corpus exudat frigidum, & maculis perfunditur; cum ventriculi dolore corrodente, vel alvi etiam fluxu colliquante, & caro tempore brevissimo corrumpitur, maxime in putrefaciente veneno. Patet etiam in ipsa veneni definitione, quæ utrumque venenum comprehendit; nempe quod nostrum corpus alterat, cum sit naturæ nostræ ratione substantiæ contrarium, hoc est occulta qualitate malefica, seu à tota substantia; ultimo ista confirmatur conclusio, ex Hippocrate & Galeno, libro de *Ciborum bonitate & vitio, cap.* 8. *&* 3 *de Locis* 7. 6 *de Locis* 5. *&* 3 *Epid. Sect.*3. *ægrot.*4. *&* 2 *Epid. Sect.*3.17. *& tandem* 4 *Aph.* 22. 23. *&*24. ac postremo Philosophica ratione fulcitur. Ejusdem causæ, in se, si ex alio principio non mutatur, idem semper est effectus; sed ex hac causa semper idem producitur; ergo si est æqualis in producendo effectu, qualitas venenosa in utroque producta, est æqualis effectus absque ulla ratione differentiæ; & hæc in sua formali ratione idem semper producit; licet secundum patibilis varietatem, actio aliquando varietur, dummodo non sit in essentiali ratione operandi, actione contraria; ergo non est in utroque ulla ratio differentiæ, si idem effectus ab utroque producitur; qui est alteratio, ad corrumpendum; & materia in utroque veneno, est æque proportionatum instrumentum hujus qualitatis ad talem effectum producendum.

Neque limitatio Galeni, 6 *de Locis* 5. *de Veneno interno & externo*, facit contra conclusionem; nam

A solum ibi considerat, corporis statum in perfecta salute, ut ex subita ab illo decidentia, de illato, aut intus genito veneno, suspicetur; non tamen de ulla veneni differentia in modo operandi.

CONCLUSIO II.

In corpore viventi intoxicato, potest judicium proferri in judicio, de veneno ad extra propinato; ac in illo potest ratio differentiæ assignari, etiam à veneno intus genito, per singularia cujusque signa, sed ita difficulter, ut solis viris peritissimis in Arte innotescat. Hujus conclusionis fundamentalis ratio patet in venenorum

B signis, quæ à classicis auctoribus celebrantur; & nos in medium adduximus. Nam Galenus, *libro de Simplicibus medicamentis*, venena enumerat non pauca, ubi adducit signa cujusque singularia: ut *cantarides, arsenicum, auri pigmentum, cerussam*, &c. ut etiam *tauri sanguinem*; & libro de *Vtilitate respirat. ad finem; & de Simpl. med. facult. lib.*3.*cap.*18.19.*&* 24. à quo ratio differentiæ desumitur; difficultatis ratio inde maxime comprobatur, quod externa venena alia communicantur

C visu, alia tactu, olfactu, aut illitu, ut per corporis poros, venas, & arterias penetret; alia in potu aut in cibo. Sunt item alia *necantia*, alia *insignem læsionem inducentia; alia ope dæmonis operantur*, per *carmina, characteres, idola*; alia sunt *frigida, & partium crassarum*, & alia *tenuium*; non pauca *calida, corrodentia, putrefacientia*, &c. alia tandem *ad præsens*, vel *ad tempus necantia*; & qui profert judicium in judicio, summa dexteritate de illa veneni specie singulari, aut saltem de veneno notissimo tenetur reddere rationem; & signa: sin minus,

D incertum judicium haberi debet. Quod quantum difficultatis præ se ferat, satis quilibet conjectari potest. Signa tamen venenosę substantiæ, & veneni cujusque singularis à nobis proposita invenies; quantum difficultas, & quod satis ad judicium proferendum esse possit.

CONCLUSIO III.

Si major pars signorum, forte validiora signa, (licet numero pauciora) *deponunt de veneno interno, facta collatione inter illa, de illo est certe proferendũ judi-*

E *cium: si vero de externo*, (forte de *veneficio*,) *tunc non tantum signa debent perpendi & æqua lance librari, sed ad legalem probationem, ad personæ qualitatem, præsumptionem, attendendũ existimo, ut ex omnibus simul, non tantum scientifica, sed legalis etiam fiat comprobatio.* Hæc conclusio, non tantum à *Medicina* principiis deducitur, quæ satis scrupulose signa distinctiva proponit utriusque; sed à *Iurisprudentia*, quæ in hoc casu probationem luce clariorem desiderat; ne in judicii periculo innocens damnetur; ut habetur in *leg. Absentium ff. de pœnis & leg.* 12. *tit.* 14.

F *part.* 3. & est secundum omnia præcepta Christiana, & politica, quæ consulto omittimus, ne longior fiat enarratio.

STATIO XI. ARTICUL. I.

An detur ratio differentiæ, inter morbum, à venefica veneficii instrumento inductum, & morbum naturalem.

Illud est ante omnia inquirendum; *An dæmones propria virtute morbos valeant in homines inferre?* quoniam

quoniam non est illud apud omnes receptum. Avicenna enim *capite de melancholia. Et quibusdam Medicorum*, inquit, *visum est quod melancholia contingat à dæmonio: sed nos de illo non curamus, cum physicam doceamus: quod si contingat à dæmonio, tunc contingit, ita ut convertat complexionem ad choleram nigram; & sit causa ejus propinqua, cholera nigra.* Et hanc fuisse Hippocratis mentem, puto in illa *primi prognosticorum sententia*, 4. quando dixit, *& si quid divinum est in morbis, illius etiam oportet ediscere providentiam, hoc est an à dæmone sint.*

A

Illud tamen mihi videtur in hac re sentiendum, quod sentit & sacra *Theologia*; *quod dæmones*, nempe, *ut cæteri Angeli* (sic Deo permittente) *possunt morbos, aut necem inferre, seu solo proprio voluntatis actu, ut causa per accidens, & remota, quatenus nempe influxu invisibili, proximam & physicam morbi, aut necis causam, aut impedit, aut intendit, in proprio influxu, nam voluntatis actus non potest esse causa proxima morbi, ex qua effectus physice producatur:* quoniam spiritualis actus, per se materialem actum non producit, sed per accidens.

B

Illud etiam poterunt naturalibus & morbosis instrumentis efficere, activa passivis applicando, seu complexionem alterando, ut Avicenna dixit. Possunt etiam hæc ipsa instrumenta naturalia, superiori virtute elevare, ita ut hæc elevatio omnia naturalia superet auxilia; quantumvis causa sit pure naturalis: nam auxilium, seu removens morbi causam, morbo potest esse æqualis, sed non virtuti superiori dæmonis; ut tollatur quædam æquivocatio illorum, qui præsumunt posse morbos inductos veneficio, & etiam à dæmone illatos, ablata causa, qua dæmon ut instrumento utitur, solis auxiliis naturalibus mederi: quod sic perinde accidit, ubi dæmon elevatam actionem suspendit; non vero, ubi illam conservat.

C

D

De hoc tamen, pleraque libuit afferre Medicorum illustrium testimonia. *Alsaravius cap. de epilepsia: signa ex causa dæmonum*, inquit, *semper dubitavi, donec mihi nuper demonstrative patuit: vidi enim hanc ægritudinem multis modis, ut me docuit Hanen, filius Izac: inveni enim in hoc libro quod ægritudines accidunt quatuor modis: nempe ex malitia regiminis cibi & potus; ex peccatis & prævaricationibus; & ex maledictis dæmonibus qui dicuntur, Alabin, Ablis, in quorum curatione, si nostra ingeniatio defecerit, & ipsarum causæ à nobis decisæ sint, relinquite opus creatori eorum; & quia occulta est Medicis causa hujus ægritudinis, & eorum cognitio circa eam deficit: sed non est dubium penes me, quod hoc est de antiquis scientiis quæ hodie occultatæ sunt hominibus.* Hoc sequitur dictamen Serapio, dum etiam de hac loquitur epilepsia, ubi dixit, quod illa vocatur *Alchabeni*, quia provenit ex *opere dæmonum.*

E

Procopius, libro *de bello Persico* sub Justiniano Imperatore, inquit, grassatam pestilentiam quæ incipiebat hoc modo: *Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt; quot enim in ipsa inciderunt, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat.* Hoc etiam de eadem pestilentia enarrat Cœlius Rodiginus *lib. 2. antiquarum Lect. cap. 6.* Olaus Magnus, etiam libro 3. *suæ historiæ* refert, Bethnicos homines, septentrionis magicis incantationibus inimicos, etiam absentes ita petere, ut triduo oborto carcinomate, pereant. Hoc ipsum etiam variis in historiis in hoc Magico Theatro comprobatum passim videbimus. Nec Aristoteles; *Dæmones morbos inferre*, abnuit. Jamblichus Platonicus hoc etiam diffuse probat: & scimus ex sacro sancta fide, Christum Dominum, languentes à dæmone curasse, non corpore tantum, sed & animo patientes.

F

Benevenius etiam in suo libro *de abditis rerum causis cap.* 8. Duas profert historias de morbis à dæmone inductis, quæ plus certe merentur admirationis, quam fidei: Alias refert Langius *epistola* 38. sed longe certe admirabilem Cornelius Gemma, *lib. 2. de natura divinis characterismis cap.* 4. *De muliere, quæ dæmonis astu, seu morbo, à Dæmone inflicto, mirabilia & contraria passa est accidentia; dum inter illa ejiceret è ventre spitamos, lapides, & ligna perpolita, æris frustra & ossa, & capillos; & mille alia, quæ omnem pene superant fidem: & concludit, hanc lustrandam sacris, omnino & sacerdotum precibus asserebam; atque divinis missarum officiis rite peractis, collatisque eleemosynis, statim illæ portentosæ excretiones & tempestates conquieverunt.*

An vero inter hæc infausta veneficia, & morbos, qui illis producuntur, & inter morbos similes à natura productos, differentiæ ratio constituatur palam, & ad medentis captum, veluti inter tabem veneficam, & naturalem tabem, & inter alios, qui stigia lamiarum, & sagarum opera mentiuntur; mens agitat molem, sed fere victa cadit, velut ad impossibile: nos hoc dubium primo traximus in arenam, & propter hoc fortasse universas magiæ differentias.

Illud patet apud cautos & solertes in Medicina viros, esse de veneficio suspectum, dum morbus egreditur extra naturæ limites, & ultra vires exerit; si maxime illa fert accidentia, quæ nec morbo propria, nec naturæ congenea; nec formali morborum rationi congruentia: quoniam cum communem naturæ ordinem egreditur, aliud adorat principium altioris sphæræ; quia naturali principio consentit: in hoc casu, non sola est opinio veneficii, sed certa evidentia.

Si vero ægritudo, in qua de veneficio suspicamur, in illis tribus morborum speciebus continetur; & accidentia quantumvis confusa, naturalem magnitudinem non supergrediuntur; nec extra tres celebres accidentium differentias supersaliunt; nempe *in actione læsa, qualitate mutata, suppressis, aut solutis excrementis:* in hoc casu, quis nobis rationem differentiæ assignabit?

In hoc forte Hippocrates, in ancipiti anceps, obscuram illam sententiam produxit; *Et si quid divinum est in morbis, illius etiam oportet ediscere providentiam:* sed quid per *divinum* intelligat, nullo in loco postea declaravit: sed Galenus, fidelis Hippocratis interpres; *Non quod tibi verum videtur*, inquit, *debet semper in enarratione proferri, sed quod magis est consonum auctoris menti: non ignoro, divinum illud plerosque referre ad supremi Numinis iram: sed par non est, veram prænotionem tradere, de qua nulla ratio reddi potest; nec ex aliis libris comprobatio; itaque illud mihi probabilius videtur; per divinum, Hippocratem, aërem intelligere, quatenus variis affectionibus alteratur; seu ad morbos communes ut 3. Aph. morum* 11. & *lib. de aëre, aquis, & locis, cap. 6.* dixit; seu mutetur qualitate indicibili ad morbos pestilentes, ut 3. *epid.* 38. in variis constitutionibus adnotavit: *Et hæc mihi videtur*, inquit Galenus, *magis ad præ-*

ceptoris mentem enarratio: qui illos etiam arguit, qui amorem, epilepsiam & dierum decretoriorum rationem divinum quid existimabant.

A

In hujus prænotionis commentario; *Ego vero*, inquit Valesius, *rem aliter intelligo, per illam nempe dictionem.* Et si quid divinum est in morbis, *admiranda omnia Hippocratem voluisse recensere, seu à Deo, seu ab astris, aut denique ignota causa haberi possunt in morbis, quæ ad prænotionem faciant, &c.* Cui expositioni assentior libenter; quia in illa mihi videntur comprehendi etiam admiranda, quæ *à dæmone* in morbis producuntur, extra illa omnia quæ natura producit: ideo forte admirabilia, & quia ad prænotionem sunt utilia, & ad curationem congruentia: & quod nobis altiorem præstent notitiam rerum quæ contingunt rarissime: quod avidius expetit semper humanus intellectus.

B

Plures vidimus fascinatos perire, & plures ex tabe & atrophia: ex fatuitate, rabie & furore: & plures ex internis doloribus, & per chronicos morbos, omni pene auxilio destitutos; quos nec ratio, nec temeritas adjuvat; & plerosque cum suspitione veneficii, imo fere semper hujus adaugetur suspitio, quando exactissimæ curationi non cedunt; & nihilominus ratio differentiæ nec lynceis oculis innotescit: quia hujus veneficii operatio, (si forte datur) sub hac confusa similitudine, venefici & naturalis morbi delitescit; quando vires non exerit, extra morbi & accidentis naturalis virtutem; & dæmon operatur ut naturale agens, peculiari astu, ne ejus palam fiat iniquitas: ex supposito enim dæmon & morbus operantur ut quatuor, ad quod vis naturalis extenditur. In hoc statu nulla mihi videtur ratio differentiæ assignabilis; nihilominus tamen diffidimus ad hujus & illius differentiam, rationales conjecturas afferre, & conatus assumere, quibus ratio differentiæ innotescat.

C

D

Neque veneficii præsumptio rationalis erit, hoc solo argumento, quod morbus auxiliis naturalibus non cedit; quod dæmonis actio sit altioris ordinis; à qua si foveatur morbus, auxilio naturali non patitur. Hæc enim est futilis & inanis evasio; nam morbi contumaces, rebelles, & indomiti, ut etiam natura sua læthales, auxilio naturali non cedunt, absque ulla veneficii suspitione; veluti Zaratanes, & ulcera pulmonis, hectica confirmata, & marasmus Philippi, & ulcera cancrosa uterina.

E

Veneficii historiæ peregrinæ; ubi morbus naturalis mentitur.

Videamus an inter peculiares observationes, aliquid claritatis eluceat in re plane difficili, ne dicam impossibili, antequam ad alias conjecturas accedamus. Anno Domini 1634. mulier nobili civitate Carmonensi, neque noto neque publico genere, juvencula ex bis decem annorum, ignoto morbi genere, & fere desperato, hinc inde jactabatur; cum mater sedula diligentia nos ad ipsam vocavit: hanc primo ignava quædam fatuitas exercuit; insolita & profunda tristitia; inconcinne & parum loquebatur: hæc accidentia paucis post diebus, *anaudia* excepit, hoc est *vocis privatio*; & omnimoda surditas: sed hæc omnia, (dictu sane mirabile) postea sequebatur utriusque brachii simul perennis & indefessus motus, certa quadam harmonia & concentu libratus: utrinque enim bracchia simul æquali ita motu, ad dextram & sinistram movebantur, ut hæc motus proportio videretur; vel ad pondus librata: & hoc ita perenniter & universa die, ut nec paulum quiesceret; & si forte externa violentia comprimerentur brachia, tota mulier erat veluti tremula, & pavida: sed soluta, ad pristinam motus perennitatem vertebantur eadem porportione motus; haud ullo tempore, nec mora interrupti: sed noctem universam in lectulo sub placida quiete transigebat, pacato somno, & omnimoda cessatione motus: qui luce oriente redibat, velut ab ipsa luce convocatus: (nec in tali muliere ulla malitiæ, nec cavillationis erat suspicio) nec cibi, nec potus, illi cura erat, neque reluctabatur offerenti; sed oblati cibi suscipiebat parum: & bis septem diebus jam elapsis, absque ullo notabili præsidio, contentus levioribus, in hanc veni sententiam, ut hic morbi character, & symptomatum syndrome, à quacunque causa proveniret; (nulla enim antea nota fuit) essent extra naturæ metas, & aliquid divinum continere, quod pervium non esset Medicinæ arcanis. sed potissimum perennis ille motus brachiorum, quoniam neque soboles erat tremulæ motionis, neque convulsionem æmulabatur, neque paralysim; nulla enim ex istis perennem æqualitatem servat, sed motum inæqualem; neque dolor ægrotam exercebat; neque sensus, neque motus privatio.

F

Afflicta mater, & filiæ compatiens, arcano silentio & intempesta nocte, eam Hispali defert; & Trianam ingressa (celebre suburbanum Hispalense) inquirit habitaculum veneficæ famosæ, cujus fama jam erat late patens: & hujus piaculi supplicio notissima: hæc illam solita humanitate excepit, perinde consolatur, & filiam spe salutis lactat; & mercede jam pacta, dexteram ad aurem ægrotantis, lento susurramine obmurmurat, & paucis verbis alloquitur, quo cessit altissimæ quieti, & continuo subsistit motus ille brachiorum, antea indefessus & perennis; quo mater consolationem cœpit: & vespere obmurmurans, & secundo alloquitur; auris à contrario latere, quo illam incantavit, *anaudiam*, & vocem, & auditum restituit; & ad pristinam sanitatem mulierem solo ferali carmine ablato veneficio; quod intulit, (ut mihi postea relatum) malesuada mulier, quæ hujus laborantis maritum insano amore deperibat; hæc vidi & fideli diligentia observavi; ac ultimum hujus casus, à matre & filia revelatum audivi.

HISTORIA. II.

Dum postea animum altius attritum curis, varia inter medendum, in hac Hispalensi civitate exercent, anno Domini 1639. sese nobis obtulit alterius similis casus consideratio, morbi satis confusi, & inter mille dubia implicati, ut potius dixeris morborum labyrinthum; ubi fere naturalia gigantisant, & videntur mentita veneficio; nam ibi tantum scintillant acutissimi radii altioris naturæ, sed ita naturali actione fucati, ut

pene dixerim, *indigere Delio natatore*; nam lumen intellectus effugiunt tales morbi.

A Famosa mulier Hispalensis, & inter meretrices non inferior, juvencula habitu & colore venusta, temperie sanguinea, paulatim decidit de prospera salute, & fere apyretos, semper sibi & aliis implacida, profundissime mœsta; (misera fragilitatis humanæ conditio, quam nemo prope mortalium effugit: hæc enim omnibus natura est, ut sua cuique calamitas præcipue misera atque intoleranda videatur;) hoc accessit tali calamitati, ut repente ab hoc statu decideret in stoliditatem, tam simplicem & nudam ab omni ratione, ut nulla certe major: nec enim illi ulla erat memoria rerum præteritarum, ut proprii nominis adhuc esset oblita; & matrem non agnosceret: ut alta oblivio teneret mentem & rationem adeo occupatam, ut muliebrem apparatum; quem tantopere antea faciebat, omnino parvi faceret: inter hæc jacebat lectulo paraplectica, hoc est paralysi unius lateris occupata, & sub linguæ torpore erat dialecticæ articulationis omnimoda confusio, & voces medio interruptæ, alta oblivione: resipiscebat interdum repente sine causa, & clare loquebatur, & ad mentem redibat, cum integra memoria, & apte ad omnia quæsita respondebat; à paralysi repente levabatur, sensu & motu ad membra restituto: in die subsequenti, iterum paraplectica: interdum fatuus erat risus; ac in coloris mutatione frequens vicissitudo; sed ad tempus anxio cordis dolore premebatur; & tristissimo suspirio, ex imo pectore dolorem explicabat, adeo ut illi cor à visceribus avelli videretur, ac inde vitæ continuus amaror: hæc erant partim, altæ frigiditatis & torpidi humoris consectaria; partim succo à melancholico; sed à contrario, maculis repente rubris per corpus universum vexabatur; & tuberculosis eminentiis veluti vola manus; & pleræque illarum, subito vertebantur ad nigredinem, evanescentes aliæ; sed (mirabile dictu,) ex nigris, rupta cuticula quæ exurenti aqua scatebat, gangrænam, ex quaque ruptione videris pullulare: & ex his duo sordidiora ulcera relicta sunt in natibus, & hoc per longum tempus, vermibus scatentia; cum dolore isquiadis, jam dextro, jam sinistro; ciborum pene resupinato appetitu; interdum restituto sine causa: vomitus interdum citabatur; qui sine auxilio subsistebat; & hæc omnia versabantur perenniter, ad pejus, vel ad melius.

Hæc sunt mihi à matre fideliter narrata; multa à nobis fideli examine comprobata: & rogatus ut crisim interponerem, & nostram in re ancipiti sententiam, fateor quod pondus libenter validioribus humeris rejecissem; sed fretus in divino auxilio, non sum veritus curationem aggredi. Illud prius alta mente repositum cogitavi; an *hic esset aliqua veneficii suspitio*: de quo nulla erat fidelis conjectura: sed sola illa vitæ licentiosæ præsumptio: & communis hujus artis invidia, quæ nemini non invidet; quocunque in statu, vel etiam infelicissimo: sciscitor ab amasio, (qui me ad illam detulit,) de hac præsumptione, & aliquid præsumptioni addit, sed nugis Milesiis, & seriis fabellarum similimum; & erat forte clarioris inditii apud illos.

Revertamur ad casum. Bis, & ter, mitto sanguinem ex talo, (ventre exonerato) ac postea ex bracchio; postea sanguinem melancholicum pituitoso mixtum, sub prava cacochymia, tenuare, calfacere, ac coquere curavi; in medio venas hæmorrhoïdales, sanguisugis aperire mandavi; ac postea hos succos expurgare; quorum erat uberior proventus; non semel, sed repurgare jussi sæpius. postea per epicrasim, Fernelii apocimate, corpus expurgabatur, reserabantur viæ; tandem illi fonticulos in crure & in bracchio aperire curavi, ob timorem recursus; nec interim de capite oblitus; hoc enim topicis vacuare, ac postea roborare, non destiti.

Quid inter tot & tam magna præsidia, ad artem adapplicita? nos interim solatur desideratæ salutis spei modicum; & aliquantulum ægrota resipiscit, ut jam melius habere videretur, animalibus potentiis fere redintegratis, validiori & fere appetentia restituta: à paralysi nervis validioribus, sana mente constabat.

Quid ni? cum en subito morbus, velut hostis, (absque ulla nota causa) intrepide revertitur; & novas colligens copias, velut indignabundus pollicitæ salutis, omnes, ut antea, corporis potentias, & membra principalia aggreditur: mens obstupescit iterum, & interruptæ voces, paralysis revertitur, ac deleta memoria, sub inerti desidia, obliviosa, revertitur fatuitas, cordis dolor & anxius alismus; nec ideo in nobis extinguitur, sed amplius accenditur animosus conatus: non ut incendat plausus, sed commiserationis affectus; ac ad artis præcepta prolicere sudores, sarsæ & chinæ aqua, pia sedulitate præcepimus: sed nec inter ista moror; nam aliquot diebus elapsis, paulatim ægrotantem quieti, & naturæ subsidio committo; ut si forte natura suis etiam internis conatibus reviviscat; quod est etiam chronicis in morbis Præceptoris sententia; nam quod ars ob rebellem conditionem morborum non assequitur, natura consequitur, auxiliorum gnara.

Pluribus exinde diebus jam elapsis, spem & excubias subito, falsa salus mentitur, ac omnes præfati morbi intenduntur sponte; quin esset ulla erroris excusatio: ac subito paralysis dexterã corporis regionem adoritur; haud mediocris febris, altus sopor, & intensa oblivio, & maculis rubentibus grandioribus totum corpus inficitur; & ad nates ulcus sordidum vertitur in gangrænam: sed quod magis hujus historiæ mirabile illud extitit, quod hæc omnia intra bis decem horas evanescunt, præter ulcus & ischiæ dolores, absque ullo naturæ aut artis beneficio, subito recursu, ad pristinum statum, si non integræ moderatæ salutis.

Hoc nobis majorem veneficii suspitionem intulit; & quid ni, tam magna & tam cito ludentia, quid tam fallax & præceps rerum vicissitudo, in morbis diuturnis & radicatis, altius nisi infami veneficio adscribatur? quis unquam vidit paralysim ex atro aut frigido humore, quin imo nec ex crasso vapore; (hanc etiam nos vidimus) tam fugacis naturæ, quæ tam brevi sanetur? & inertis oblivionis frigidior conditio abolita tam breviter? omitto resistentiam magnis, etiam ipsius artis auxiliis, & loco & tempore applicitis, ac morborum contrarietatem, quæ saltem curationem protrahit, observatam in extremorum ultimo frigoris & caloris.

Dum talia in hoc statu erant, en mulier accedit curatrix, & fortasse venefica; quæ inter verba sacra, pleraque susurranter immiscet occultius prolata; nec interim auxiliis naturalibus uti abhorret: (quibus sane mentitur venefica suspicio, aut fallitur) & dum hæc exercentur, melicratum simplicissimum parat, sed nescio quot verbis super ipsum prolatis; & nescio quod conditum secum detulit; & de his ægrotantem parum accipere mandavit, vespere & mane; ac vomitibus aliqua violentia exinde concitatis, mulier melius habere cœpit, ac salus instaurari; & hæc omnia mala evanescere: ut sit plane mirabile, quam multa in tam brevi spatio peregerit; quoniam convalescere cœpit; & intra breves dies fatuitas medetur: aboletur paralysis: & ex gangræna pars ad perfectam sanitatem restituitur: quando solum sordidum ulcus, ad abstersionem, mundificationem, & cicatricem tam longa spatia desiderat; & tam longam curationem paralysis: & tam seriam & attentam fatuitas. Testor Deum, quod intra solos tres dies, mulierem vidi veluti ab orco ad lucem restitutam; qua vero arte talia gesta sint, non est nostri judicii; nec remur hoc humano auxilio consequutum.

Dum hæc iterum atque iterum cum torno & cothurno perpendo, ad limam & lineam reddo, quia tantum habet utilitas excusationis, quantum dignitas difficultatis, acrius horum differentiam extorquere desidero; nihilominus tamen, quantumvis dæmon in ipso veneficio satagat, oculatissime actionem naturalem mentiri, & exactissime imitari, intra naturæ limites, adhuc in hoc casu, radii invisibiles altioris naturæ, in ipsomet opere scintillant, quibus fere actio venefica detegitur; ut oculatissimis pateat veneficium.

Detur ergo, quod dæmon operetur illa omnia quæ valet per motum localem, & alterationis, aut activa passivis applicando, seu perstigio & illusione; quæ etiam ars & natura operatur; in hoc ipso opere, est singularis ratio differentiæ: quod pleraque ex istis, sola applicatione peculiaris modi, à dæmone præstantiora sive efficaciora redduntur, quam illa quæ ars, aut natura confingit: in quo talia adhuc in opere naturali, impio magiæ artificio fieri dignoscuntur: nam sunt quidam effectus in causis naturalibus, qui pendent ex applicatione quam ars non assequitur, nec valet attingere; quæ si non fieret, secundum communem cursum non producerentur. Hic tamen modus applicandi, dignoscitur in modo peculiari præter naturæ modum: nempe in superstitione applicandi, in numero determinato, & in aliis quæ excedunt communem naturæ cursum, quantumvis effectus sit solius causæ naturalis: in his enim non est solus considerandus effectus, sed illa applicatio, nec sola applicatio, sed vis naturalis applicata, si superat causæ naturalis facultatem; quoniam tunc est actio damnanda.

Sint nobis exempla perstigia illa, quæ sunt pervia dæmoni, & arti, & naturæ. Hæc tripliciter fiunt, vel mutatione objecti, vel aëris intermedii, vel organi: causas naturales scimus, posse jam operari, ut quatuor ex suppositione: sed hæc causa naturalis elevata, sæpe vincit naturalem affectum, & producit, ut sex aut octo, effectum prodigiosum vel supernaturalem, respectu nostri; & respectu elevationis, naturalem: quando in imaginatione & phantasia videntium, quædam repræsentantur quæ non sunt; aut si in mensa vasa mero plena moventur, alia locum mutant, vel alia figura videntur quam sint, quod plerosque legimus factitasse: vel si aliquis fiat invisibilis, seu appareat in figura brutorum, &c. Et in nostro casu, dum hæc mulier à gravissimis morbis oppressa subito ad sanitatem vertitur, à morbis, qui ne dum per longum tempus & exactissima curatione mederi valent; & quomodo ex simplici melicrato, & condito, sola actione naturali potuit, intra solos tres dies, instaurari? in tali auxilio magis elucet actio elevata, quam naturalis. Hæc omnia debemus in morborum syndrome adnotare, & in ipsa symptomatum sævitia, confusione & complicatione: an hæc ipsa sint effectus solius causæ naturalis, aut causæ naturalis elevatæ; aut modo supernaturali applicatæ: nam si communem naturæ cursum superant, prodigiosa sunt, & de maleficio suspecta; si non, forte inducta maleficio.

ARTICULUS II.

Hujus differentiæ argumentum prosequitur.

Videamus quid alii dixerint in hac confusione; plerique protulerunt inde maxime petenda veneficii signa, si accidentia in morbis altius à natura, secedant; & modo peregrino sese prodant: velut illa quæ nuper recitavimus; si maxime naturali contrario penitus reluctentur: quin imo, si morbi ad auxilii naturalis applicationem intenduntur. Hæc est juris Canonici sententia; hæc Cæsalpini crisis, & Codronchi. Illud tamen majorem lucem addit, si morbi à venefica inflicti, dissimiles sui, (dum plane naturales) & amant progressus & tempora ostentant: inopinato desinunt, pari facilitate revertuntur: altius radicata, in momento desistunt; evaporationes, excretiones, vomitus & dolores, si sunt dissimiles aliorum morborum, naturalium: gravissime enim præter solitum in his conflictantur ægroti, atque efflictim dolent: situm autem doloris indicare non valent; ac eorum mæstitia superat aliorum tristitiam; raptim suspiria emittunt, sine causa: ac viscera sibi comburi ac corrodi videntur, cor etiam de corpore evelli; vermium germina vomitu & secessu rejici, observatur; veluti in crumena interclusa; perpetui & intolerabiles sunt dolores supra quam dici potest; serpentes, & pleraque animalia varia, & monstrosa, è corpore rejici visa sunt; quarum generatio est semper extra virtutem corporis naturalem: cultros, & alia ferramenta & ligna perpolita rejici, plerique observarunt, ac varias metallorum substantias, veluti dum enascuntur bruta, aut arte expolita; crines rejectos, setas, spinas, ligni frusta, lapides, ossa ac vitrea fragmenta, suis temporibus, varii auctores varia retulerunt; veluti à veneficio & dæmonis magisterio excusa.

in cap. fraternitatis de frig. & malef. Cæsal. de invest. Dæm. c. 12. & sequenti. Codronch. 3. de morb. venef. cap. 9. 11. 12. & 13. Delrio 6. mag. part. 2. sect. 2. qu. 3. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. Raphaël de la Torre de vit. oppos. relig. quæst. 96. art. 2. disput. 11. Spring. in malleo part. 2. quæst. 1. cap. 13. Petrus Lolier de Dæmon. part. 1. c. 13. Spring. citato loco. Remig. l. 3. Dæmonol. cap. 1. Lang. lib. 1. qu. 38. Agrippa lib. de occult. Philosoph.

Nam quæ ars configit ferrea instrumenta, haud ulla vi natura valet ita polita reddere; &, si fas est nostrum etiam judicium proferre, neque bruta metalla; quidquid Lemnius dicat: nam illa longo ævo, in visceribus terræ cœlestis archite-

Card. lib. 11. Variar. lect. cap. 80. Grilland. de Sortileg. quæst. 3. n. 27. VVier. lib. de Perstig. cap. 7. & lib. 4. cap. 2.

ctatur calor, influxu invisibili, contingit, & purificat à sordibus incultis, determinato illo in patibili: neque ita in humana fornace apta semper materia invenitur, dispositiones, accidentia, & alia præcisa ad metalli formam introducendam, adesse, & coincidere, par est: & naturalis calor, artifex hujus determinati instrumenti, non est ita communis causa, veluti calor solis, nec tot continet virtutes imminenter, quatenus ad hoc opus, ut ille qui media luce & motu, suos mittit influxus invisibiles, ad tam multa & varia, quibus hoc indiget universum; seu ad pulcritudinem, seu conservationem; quare illa in corpore humano invenire, illa quibus fabrica indiget, impossibile judico; nec corpore humano viæ patent per quas communicetur, nisi ars diabolica has reddat tantæ molis capaces; ut rati sunt, Agrippa, Remigius, divus Thomas, Scotus, & Durandus: in his enim expulsis dæmon phantasiam vehementer illudit in colore & forma, uti sentit Cardanus & Grillandus: potest enim hæc omnia dæmon mira arte configere, tenuare, mentiri, præpolire, ad atomos redigere, ac postea solidiora reddere; ac horrida, per avia & inculta adigere; quorum semitas haud unquam satis notas, nec lynceus intellectus assequitur; ut de cultro, in os opilionis à latrone immisso, enarravit Pareus, quem post sex menses extraxisse, per quoddam latus inguinis testatur; & de villico agricola, qui sibi mortem præ dolore conscivit, cujus reperta sunt in ventre quatuor ferrea instrumenta, acuta & dentata, ut enarravit Langius & Majolus. & in illa mentita & falsa gravidatione mulieris, quæ dæmoni succubuit, cum instaret jam tempus pariendi, monstrosa sane peperit & bruta & arte præpolita, partes ensis confracti, clavos, cultros & ossa, & levigata ligna, lapides & stuparum globulos, ut dixit Zuingerius, & Rufus enarravit, & alii.

lib. 2. Chirurg. 17.

Epistol. 38. Majol. tom. 2. Canicul. colleg. 3. fol. 304.

Zuing. in Theatro vitæ hum. lib. 38. Ruf. lib. 5. de Inform. cap. 6. VVier. lib. 3. cap. 7. Binsfelt. quæst. 7. conclus. 7. Card. lib. 11. Variar. lect. cap. 8. Cæsar. Barisel in Hortulo genial. pag. 361. Schenck. lib. 7. Observ. Cornel. Gemma, lib. 2. de Divin. Charact. cap. 4.

ARTICULUS III.

Naturalium morborum exempla, quibus facile tributiur veneficii suspitio.

Ne tam facile, (ut vulgo solet,) rebelles & occulti morbi, de quibus ratio naturalis reddi nequit, dæmonis maleficio tribuantur; aut veneficii suspitione infamentur: nostri consilii dignum existimavimus, ut deceptionis lapsus præcaveatur, illorum exempla in Theatrum proferre; quoniam sunt plerique morbi adeo similes inductis maleficio, ut artificis animum acrioribus stimulis explorent.

de hoc Theophrast. de Hist. plant. lib. 9. Dioscorid. lib. 4. c. 32. Avicenna 2 Canon. Galen. 2. de Antid. fol. 330. Paul. lib. 1. cap. 43.

De præsentaneo & ad tempus veneno propinato, ad intus geniti etiam differentiam, late diximus; & de quaque singulari differentia: & inter tabefacientia numeravimus, quod insigniter siccat: & etiam quod corpus universum & obstruit, & siccat, quibus hominem tabefieri monstrat experientia, & ratio suadet; sed sub hac differentia, ut quæ tabem inducunt, cum calore & frigore dolorem semper inferunt; tabes vero, quæ sola siccitate consequitur, sine dolore est; quia lente inducitur.

Tabem etiam inducit hepar intemperatum ad calorem, & siccitatem maxime, dum alibilem substantiam dissipat, & exolvit; aut sanguinem alimento inutilem producit: & hinc fere accidere videmus, quod temperamento biliosissimi, in nativa corporis conformatione fere videntur tabidi.

Idem etiam & culpa cordis accidit, si in illo sanguis arterialis nutritioni, ob altam siccitatem, fit inutilis; & eo ipso magis, quod ad actum reducit sanguinem alimenti; qua certe siccitate eximia depravatur nutritio: & chylosa conversio in ventriculo. Neque minus illa tabes inducitur; si sanguis, aut spiritus, indicibili & prava fœdatur qualitate, qua corporis alimentum omnino corrumpatur.

Pectoris & pericardii tuberculo, totum corpus absumi, Galenus observavit, 5 *de Locis* 2. Idem pulmoni accidit, non ex hac causa tantum, sed illo suppurato, nec bene expurgato à derelicto ulcere; à puris acrimonia, seu vasorum ruptione contracto, seu à divulsione violenta, seu flava bile acriore, ut sanguine pulmone putrescente; seu ex abdito vitio interno, carnosæ substantiæ pulmonis, quod ex flaccida substantiæ corruptione accidit; mitto qui ex continua & exurenti febre contabescunt, hectica colliquantur, in insensilem halitum, ut marasmo Philippi morboso aut senili: hæc enim ita est nota causa, ut illa abdita & occulta.

Illud etiam est tabis consectarium, sputum nempe, quod grandinis globulos æmulatur, ubi æger per septem durat annos, per novem aliquando, nisi præveniatur sedula diligentia, ut Hippocrates tradidit observatum. *Hipp. 2 de Morb. text. 107. 108. 109. 111. 112. 115. 117. 119. 120. & 166.*

Est tabes alia sponsis gentilitia, quæ fere semper veneficii suspitione damnatur, nec justa ratione. Hæc ex medulla incipit recenter uxoratis, dum veneri extra metas rationis indulgent: in illis humido primigenio defraudatur medulla, & fere resiccatur: *Sunt autem isti sine febre*, dixit Hippocrates, *& lauta mensa in medio, & sub fœliciori appetitu, consumpti contabescunt, quoniam illis non prosunt alimenta; & illis per spinam veluti formicæ descendere videntur, acri distillatione vivificum nectar absumente, ac sponte semine prolabente.* Hos tandem febres lypiriæ consumunt, ac perdunt.

Tabes alia incipit ab sputo crasso, & fuliginoso, à succo nempe melancholico, pulmonis substantiam latenter corrodente; quod jam olim præceptor adnotavit: seu ulcere aspera sub arteria inflicto, ut corrodat substantiam ad bronchia pulmonis; nam ex levi & superficiali, facile vertitur ad corrodens & sordidum, cum macerata tabe.

Nec est minus obscura, quæ convulsis & solutis membranis comparatur, quibus pulmo thoraci alligatur; quo in affectu, spiritum incipit album, sed mox excipit cruentum; quod est certe deceptionis causa, quoniam falsam mentitur pleuritidem; & decipientiam febris sequitur, & in pectore dolor, qui vertitur ad dorsum & ad latus: & tussis convulsionem sequitur harum membranarum, & sternutatio; tandem in tabem desinit, nisi curetur sedula diligentia. Omnes has

tabis

tabis species invenies in Hippocrate, diligentissimo naturæ scrutatore, *lib. 2. de Morbis, text.* 107. 8. 9. 11. 12. 15. 17. & 29. 121. & 166.

In mulieribus etiam pleraque suo tempore observavit Hippocrates symptomata, de quibus vix ratio naturalis reddi potest; & hoc ex pura melancholia, absque ulla suspitione veneficii; quid ni? ut illæ videantur à dæmone obsessæ, hæc sunt prudentis senis verba, *libro de Virginum morbis: Fiunt tales,* inquit, *fastidiosæ, languentes, sitibundæ, tædiosæ, consilii inopes, desperatæ, mæstissimæ, timentes, lacrimosæ: animus mærens, anxius, malum trahit; sed & aliam horribiliter compellit, & in puteos prosilire, ac injicere jubet, & strangulari; tanquam meliora sint hæc: interdum mortem appetunt: & quibus adeo ferociter pavent homines, ut delirent, & dæmones quosdam videre se putent; ipsis noctu quandoque infestos, quandoque interdiu: aliquando vero utroque tempore;* en, Hippocrates, ex sola morbosa melancholia symptomata enarrat, quæ dæmonum obsessi patiuntur; ut quanta cautione sit in hac re judicandum, discamus & caveamus semper. *lib. de Virg. morb.*

In hoc etiam est aliqua ratio differentiæ assignanda: nam vere incantati, aut dæmone obsessi, enarrant mirabilia, & nomina dæmonum memorantur; disputant de scientiis, & in linguis loquuntur, quas nunquam didicere: hi occulta fatentur celebrare convivia; & his est torvus vultus, & fortasse sigillum in uno oculorum, aut utroque; ac dæmones adorant, saltem de illis magnifice loquuntur; & mussitant interdiu, aut noctu, quæ nullus audientium intelligit: & fere semper sunt isti hirsuti, macri, contabescentes, scintillantibus oculis.

Deinde maleficium à principio summos habet labores, contra naturalium morborum constitutionem, qui quatuor tempora percurrunt ex ordine naturæ: alii pondus in ventriculo portant, & cruciatus, ac si perforarentur, ut de Florentina muliere enarrat Benevenius *lib. 2. de Admirand. morborum causis*; quæ dum intolerabilibus doloribus divelleretur, nec Medici opem ferre valeret; en subito oblongos & recurvos clavos, æneasque lacus, una cum cera & capillis conglomeratos evomuit; frustum postea carnis, quale nec gigantis fauces deglutirent; frusta & fragmenta vitrorum, urceolorum, ossiumque de piscibus, quæ humana gula, nec stomachus capere, nec deglutire posset: pleraque alia alios evomuisse, refert Langius *Epistola* 38. sed illud fidem superat, quod de villico narrat, qui cum crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum conficeretur; subito clavum ferreum, sub illæsa cute apprehendit: nec cessarunt dolores; quin imo sæviebant crudelius. Quare cum sub illis jam mortem expectaret, impatiens & desperatus, cultello miser sibi guttur abscidit; cujus ventriculum chirurgi inciderunt, casus novitate perculsi, quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim instar serræ dentatos, ac duo ferramenta aspera reperta sunt; quorum singula spitami longitudinem excedebant: aderat etiam & capillorum instar globi veluti involucrum: quæ certe diabolica solis divinis carminibus curantur.

His etiam conditis maleficio res quædam per œsophagum ascendere videtur, & descendere, quando videbatur gravius adhæsisse: cor intra viscera dilaniari clamant, cum dolore punctorio: & in collo arterias manifeste pulsare, & tremore concuti, observatur: alii dolore sævissimo renum cruciantur; lumborum, ventris, & universi corporis absque ullo solatio: emittunt aliquando frigidissimum flatum, quo cito evanescunt dolores sed cito revertuntur: interdum vapores, veluti flamma ignis, visceribus ascendunt, & descendunt: attonitus stupor, ignavus mentis languor, ignota & peregrina deliria producit, interdum cum furore, & singulari odio, in viros maxime Christiana pietate devotos: in febrium confusione, motibus epilepticis, & in convulsionibus semper aliquid energiæ elucet; quæ videtur causas naturales elevare.

Facies his suffunditur flavo, aut citrino colore, & plumbeo; plerunque palpebræ aliis sunt adstrictæ, præter naturæ ordinem, oculi scintillantes, pellucidi & torvi: aliis velut nubes ante oculos volitat. Illud etiam observant exorcistæ, tales vix ferre posse faciem sacerdotis; & oculorum album in varios colores permutari: hoc tamen de obsessis à dæmone intellige.

Etsi forte veneficii instrumenta reperiantur, ægroti crudelius torquentur, & deterius degunt, & præ dolorum & impatientiæ sævitia, rugitus & clamores edere compelluntur: quod si tunc nullam novam læsionem percipiant, est de salute certius sperandum: at semper, maleficii instrumenta comburere, est tutior, securior, & brevior curatio, ut periti exorcistæ testantur.

Quod si forte venefica in conspectum ægrotantis accedat, angor subito totum corpus quatere compellit, & indicibilis mœstitia occupat, tremor concutit: & si puer existit fascinatus, subito exhorrescit, exterminata facie, & exulando plorat, & fusco colore oculi defœdantur: aut alia accidit insignis & subita mutatio: & ubi à sacerdote sacro, sacra lenimenta adaptantur, aut oculis, aut auribus, aut fronti, aut cuique parti corporis; si in illa sudor, aut alia conspicua mutatio compareat, ibi adesse maleficium certificat. Illud etiam plerique ut observatum tradunt, si decocto verbenæ abluatur ægrotus, & decoctio valde in colore mutatur, & capilli ægroti à capite descissi, decocto misceantur. Hoc etiam est veneficii argumentum; sed omnino nequissimi, si ad nigredinem color decocti permutetur: è contra vero, si pauci ægroti pili decocto misceantur, & colorem non mutet, brevi indicat revaliturum. *Codroneh. l. 3 de Morb. venef. c. 13.*

ARTICULUS IV.

Historiis maleficorum notitia illustratur.

Springerius fidelis veneficiorum inquisitor, hoc enarrat exemplum: *Objurgata malefica ab honesta matrona, inde acta in furias, cessit in ultionem maleficium; nam tertia die nobilis illa mulier, me sedente,* inquit, *tantus dolor incessit, ut corpus meum universum pervaderet, & primo in visceribus, ut non esset pars corporis, qua non punctiones horribiles sentirem: ac non mihi aliter videbatur, ac si capiti meo affatim igniti carbones super affunderentur: tertio loco universa cutis subito est affusa albis quibusdam pustulis, & scaturientibus pruriginosa sanie: & illis exulando & doloribus mortem* *in Malleo. part. 2. qu. 1. cap. 12.*

mortem in solatium expectabam, usque ad quartam diem; hæc omnia delevit petia involuta, stabuli sub limine inventa, & in ignem projecta: ubi erant recondita quædam alba grana quæ pustulas illas æmulabantur; semina & legumina cum ossibus serpentum; ac inaspectabilibus ossibus animalium; nam illis combustis, est momento recuperata salus.

Sic habet in secundo exemplo: *Indignata vicina cum murmure abscessit, dixit nobilis mulier: & verbis quæ protulit, licet audirem, intelligere tamen non valui; post paucos vero dies infirmitas mihi valida accessit, cum doloribus ventris acutissimis à latere sinistro, versus dextrum, & vice versa, quasi duo gladii aut cultri essent meo pectore infixi, & sic die noctuque, dies ac noctes clamoribus transegi, importunis & validis: ut hinc inde vicinis confluentibus, pro consolatione accessit forte figulus, maleficæ adulter, & mei valde compatiens, inter alia consolatoria hæc subjunxit; si vis experimentum, faciam, an ex maleficio vobis infirmitas accesserit; quod si repertum fuerit, sanitatem vobis recuperabo: accepto ergo plumbo liquefacto, & me in lecto decumbente, plumbū in scutellam aqua plenam, supra corpus meum appodiando infudit: & ubi quædam imago & figura diversarum rerum, ex plumbo congelato apparuissent; ecce, inquit, vobis ex maleficio infirmitas accessit, & super limen ostii domus una pars maleficii continetur; accedamus ergo, & illis amotis melius sentietis, & ostii limine elevato, primo extracta est imago quædam cerea, palmæ unius longitudine undique perforata, & habens duos acus, per latera transfusos admodum, quo ipsa punctiones, à sinistro latere ad dextrum & converso persenserat; quibus extractis, mox dolores cessarunt. Demum petias panniculorum diversas ac plurimas, tam granis, quam seminibus, & ossibus continentes: sed in ignem projectis, ego quidem convalui: non protinus ex toto, quod alia veneficis instrumenta reperiri fas non esset: & inquirens ab illo, quare illa protinus reperisset, respondit: ex amore quo amicus amico solet pleraque revelare, hæc cognovi.*

Sic enarrat in tertio exemplo: *Imprudens & cervicosa mulier, maritum provocavit ut in ipsam irrueret, ac ille expansis manibus, cum illam vel levissime tangeret, subito in terram collisus, omnem perdidit sensum, vitalitate omnino jam collapsa, ac per plures dies in lectulo decumbens, & ad vitæ periculum, per plures septimanas laboravit, donec illa tanta miseria compatiens, maritum persanavit.*

STATIO XII. ARTICUL. I.

De variis maleficarum instrumentis quibus variæ læsiones inducuntur.

Sub variis instrumentis varia maleficæ patrant maleficia, veluti visu, & tactu, & olfactu, per feralia carmina concitant tempestates, & homines incantant, & varias illius actiones, odium, amorem, livorem, & invidiam concitando: ac virtutem generandi impediunt: inducunt impotentiam, abortum & infanticidium procurant: horribiles læsiones in corpora inducunt: usum rationis aut revera, aut falso & apparente perstigio auferunt; ac tandem mortem inferunt. Hæc & plura alia, adducit Springerius, usu & ratione comprobata; ubi adducit veneficii comprobationem inter hæc ipsa dubia: *Sunt qui per certam practicam, inquit, rei sane experientiam desumunt in hunc modum; nam plumbum liquefactum super infirmum tenent, ac in scutellam aqua plenam infundunt, & si qua cernitur imago condensata, tunc ex maleficio accidisse infirmitatem, judicant: & an virtute dæmonis talis fiat imago, si ab illis quæratur, intrepide respondent, quod hoc accidit in virtute Saturni, qui super hoc metallum dominatur; qui malus cum existat, hæc producit: sicut Sol super aurum, ut peculiari efficacia, absconditum detegat maleficium.* *Citato loco.*

Illud etiam refert, confessione maleficarum constare, serpentibus pro instrumento uti, dum odium concitare intendunt. Antiquum & à longinquo ævo dæmonis instrumentum: symbolum ideo inimicitiæ, & maledictionis inter hanc & mulierem, ut est in *libro Genesis*; ideo forte dæmon serpentes odia criminatur ex capite, aut illius exuviis. *part. 2. qu. 2. cap. 4.*

Quare in veneficii suspitione, sunt sedulo perquirenda stabula, & omnes domus anguli, ut & omnia loca abstrusa, & abscondita, ut sub limine ostii, & portarum cardinibus; aut est altera domus inhabitanda.

ARTICULUS II.

De instrumento imaginum & idolorum; quibus maleficium inducitur.

Sub imaginibus & idolis, sub pacto fabrefactis, à maleficis homines dæmoni devoventur: Nobilis est illa Grillandi, de Magicis idolis, sententia: *Imagines fabricabant, inquit, quas spinis, acubus, clavis, vel aliis certe rebus acutis, in gutture, renibus, pectore, fœmore, costis, vel ventre, vel aliis in locis perforabant, deprecantes ut verum corpus, ex fœdere illius maleficii easdem patiantur puncturas, & pœnas, ac si in ejus corpore realiter perforare contigerit.* *de Sortileg. lib. 2. qu. 5. n. 11. Salicet. & Angel. in L. multi, C. de Malef. & Mathemat.*

Nec semper eadem deligitur materia pro idolorum fabrica; quoniam fit ex cera, fimo, pice, aut plumbo: ex stupa, aut lana, cum pice & resina conflatis, seu sulfure permixto, quæ ad ignem effingunt ferali ceremonia, sub nomine dæmonis, cui fœdus adscribitur: illa parte imaginis perforata quam magis in maleficato pati amant; vel ad tabem, vel mortem, vel noxam insignem inferendam, inexplicabili morborum cruciatu: ut in *Medea* introducit Ovidius: *Spring. part. 2. qu. 1. cap. 12. Codronch. lib. 3. de Morb. venef. cap. 3. Tolet. in Summ. l. 4. cap. 16. n. 17.*

Devovet absentes, simulacraque cerea finxit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Et secundo Fastorum:

Quodque pice adstringit, quod acu trajecit ahena,
Oblutum mentha torret in igne caput.

Quorum vim adhuc lacus stygios penetrare, auctor fuit Horatius. *l. 1. Satyr. 8.*

ARTICULUS III.

De Maleficio Sagittario.

Maleficium *Sagittarium* plerique cum maleficio idolorum confundunt. De illo est celebris memoria in jure Pontificio: de hoc late disseruit Martinus Delrio, & alii. In hoc enim non sola imaginis figura operatur; nam imagines illæ Sagittarii sub hac determinata figura sunt maleficæ, velut in signum fœderis. Fabricabant enim famosi necromantici cereum simulacrum, ac si arcum & sagittam intenderet, ut sub hac figura, ad maleficæ mentionem fabrefacta, læsio *lib. 3. Mag. part. 1. qu. 3. sect. 4.*

aut insignis alteratio in persona, cui maleficium dirigitur, infligitur, ex dæmonis concursu, & virtute fœderis, ut Zonaras & Majolus asseruit.

Zon. tom. 3. Glisias part. 4. Majol. tom. 2. Canicul. coll. 3. Delrio citato loco. Buleng. cap. 16. Petr. Greg. tom. 3.

Hoc maleficii genere ferunt gravissimi auctores, Dufum Regem Scotorum, periisse, inventumque illius morte *Sagittarii* simulacrum; ut legitur in ipsis Scotiæ annalibus. Plerisque aliis hoc idem accidisse, legimus variis nationibus, ut Gallia, Germania, & Italia; adeo ut nec hoc mortis genus magno cuidam Pontifici pepercerit Avenioni, ut auctor est Crespetus.

Syntax. lib. 34. cap. 11. ex n. 4. & cap. 1. n. 12. Crespet. de Odio Satanæ discurs. 10. Hect. Boet. de Rebus Scotorum, lib. 11. Card. lib. 15. Rerum variar. cap. 8. Tullius, lib. de Fato.

ARTICULUS IV.

De fatalium imaginum cultu & origine.

Ideo forte vetustas has magicas imagines inter fatales numerat, quod essent ultimi fati præsagæ; ut etiam Petrus Gregorius adnotavit: antiquis enim fatum pro morte fuit: pro ultima calamitate aliis: ut adnotavit Tullius: unde illæ fatidicæ mulieres erant honore habitæ, quod fati diem ultimum hominibus indicerent; inferrent animantibus; ut legitur in jure; ac ideo illi dies sunt in causa fatales, ubi finitur causa.

In cap. si per Sortiar. 33. quæst. 1. lib. 3. de Fund. instruct. Livius ab Vrbe condit. decad. 1.

Unde apud veteres etiam fuere fatalia simulacra, ex quibus augurabantur Regni fata; & metæ imperio fatales: quæ divinis coluerunt honoribus, ut Livius est auctor; non tantum dum Romanum Imperium viguit, floruitque, sed ab aliis antea nationibus; uti *parcas*, velut fati ministras, quas veteres Ægyptii designarunt per *Alpha* & *Omega*; ac si rerum omnium essent principium & finis. *Septem Planetas* etiam fatorum ministros æstimarunt, ex septemplici motu & influxu; quod res humanas sub illis & nasci & mori crediderit Vetustas: & ob id fortasse Dei imaginem per numerum *septenarium*, Ægyptiorum antiquissimi designarunt, utpote quo incipit & finitur harmonia perfectissima; ut auctor est Pythagoras & Plato; ac inde tres *Parcas*, fati arbitras, Platonica constituit Theologia; prima ut sustineat *colum*, & secunda ut *neat*; tertia fila ut forcipe *abscindat*; ut per hæc designarent rerum ortum, progressum, & interitum.

Pierius, lib. 37. fol. 352. & lib. 28. fol. 356. Hierolog.

Imago etiam *Caducei*, non tantum quod Mercurii sceptrum, sed quod sita esset in illo vis & potestas fati, divinos promeruit honores, quod quidem divinus videretur afflatus, ductusque, quo non modo mentes nostræ, verum creata omnia moverentur, starentque; & quod certe vinculum videretur inter Numen & nos; utpote ipsa fati necessitas; quæ omnia perstringit, peculiari lege; ut ille princeps cecinit Poëtarum *Caduceo* alludens.

Tum virgam capit, ille animas hac divocat Orco;
Palentesque alias sub tristia tartara mittit;
Dat somnos, adimitq; & lumina morte resignat,
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Mubila.

Sic etiam ab Ægyptiis *caduceus* describitur, ut observat Macrobius, in Draconis speciem, & utriusque sexus, ut sub perfecto circulo, ut extrema se ipsa complectantur, ut Cælius Aug. Curio adnotavit: ideo forte in Trojano excidio, pro fato fuit ille *equus Palladii*, quod fatalis imago Deæ Palladi Sacra, si non forte Neptuno; aut Apollini, ut voluerunt alii.

Apud Pierium, lib. 49. de Sacris Ægypt. rit. f. 429.

In Regni fatum etiam *Palladis* imaginem Romæ Trajanus Imperator erexit, ut Pierius dixit: inde fatales imagines erant inter penates Deos. Scutum fatale Numæ Pompilio è cœlo prolapsum celebratur; & Theseum caput fatale Medusæ secum vexisse; & Solis Rhodio simulacrum: ex his enim vetustas fata augurabatur; ut auctor est Majolus.

Tom. 2. Canicul. colleg. 2.

His etiam utebantur simulacris fatalibus antiqui Amorrhæi, & Græci vetustissimi, ut eventus & rerum vicissitudines portenderent, ceu Philon & Nicetas docuerunt. Et nostro Hispaniæ Imperio, ac fatali monarchia, velut apud alias Europæ nationes, repertæ sunt *imagines* à Dæmone aut magico confictæ, dum Regni jam exitium immineret, sub Roderico Rege: olim enim in Toletana urbe quodam in antro *area* inventa est *statua*, quæ malleo percutiens, armatos intuebatur homines, horrendo & feroci aspectu, in ipso pariete depictos; & hoc repertum est ante miseram cladem, ut bene adnotavit Rasis, hujus temporis auctor, in cladis Hispaniæ historia. Simile Byzantii obsidione accidisse, per *Magicas imagines*, auctor est Bulengerus, & adnotavit Delrio cum ad alias nationes translatum est Imperium, tunc fatales erutæ sunt statuæ, à magicis confictæ; quibus adscripta est misera Imperii translatio.

Philon. de Antiq. Babyloniæ. Nicet. in Annalibus ad fin.

in histor. Clad. Hispaniæ.

Bul. lib. 2. Mag. c. 16. Delrio lib. 3. Mag. part. 1. quæst. 3. sect. 4.

Has etiam *imagines* impii necromantici confingunt, in regnorum exitium à dæmone edocti, sub illa lege fœderis, cum paciscuntur dæmone; ab illo enim ad lineam & limam regnorum impotentia, morum corruptio, & hominum malitia, si non ultima desidies, fatali opulentia consequuta: Regis ignavia, (præcipua Monarchiæ debellandæ instrumenta) impetus, & vigor hostium invadentium, vel ad pondus libratur; & sic valet, prudenti conjectura, clades & regnorum exitia portendere; & Deo permittente infligere.

O leones Hispaniæ, olim cæteris nationibus horribiles, nunc domiti, non aliarum nationum ferocitate, non adversa fortuna, sed indigena morum corruptione & opulentia; si non barbaro cultu infœlicis arbitrii, ut ad summam paupertatem subditi reducantur, quo non potest esse aliud infœlicius; sola ferocitate Hispaniæ confisi! sed eo res devenit, ut quod ferocitatis defecit cæteris nationibus, suppleant cautissimo consilio: quo sæpius superare contingit, quam valore.

Per has certe *imagines Magicas* & fatales, videntur veneficia non tantum hominibus induci, sed regnis etiam & imperiis; si ob illas, ut vita hominis, sic regnorum ætates fatales experiuntur climacteras. Inde mihi videtur ortum traxisse *fatalium imaginum* traditio, quod primæ Deo inferorum, Plutoni, fuerint consecratæ: Parcæ enim fatales Plutoni dabant operam, ut Vincentius dixit in suis imaginibus Deorum; & in raptu Proserpinæ cecinit Claudianus.

de Imagin. Deorum, fol. 201. lib. 1. de Raptu Proserp.

— — maxime noctis
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina: qui finem cunctis, & semina præbes,
Nascendique vices, alterna morte rependis.
Qui vitam lathumque regis.

Ideo

Ideo enim *Parcas* vetustas Plutoni credidit ministrare, quod ea vitam humanam quasi è colo ducere credebantur: quæ erat certe brevis, aut diuturna, pro ut corpus solidiori aut infirmiori esset fabrefactum stamine; materiam autem Pluto repræsentabat: Parcas tres esse designarunt antiqui; prima quæ hominis generationi præesset; vitæ humanæ secunda; ferali morti tertia; ideo junior pensa trahit: colligit fila major: anus scindit collecta fila.

Altius philosophantes dicunt, Parcarum vim in res inferiores dominari; Plutonem terræ esse symbolum, ut Fulgentius dixit: multi philosophorum senserunt, divinam providentiam semel cunctas res hujus mundi ita disposuisse, ut ulla ratione amplius mutari nequeant: quandoquidem earum causæ ita inter se per seriem quandam sint connexæ, ut non possint non omnia necessario ab eis proficisci: hinc *Fati* nomen oritur apud illos, quod Poetæ, sub *Parcarum* fictione deumbrarunt; easque tres constituunt, à rerum principio, medio, & fine: & illas ex chao emersisse confingunt: sunt qui illas ab Erebo & Nocte voluerint progenitas, velut ex illa tenebrarum caligine.

lib. 10. de Rep. Plato illas fecit necessitatis filias, interque earum genua magnum illum fusum adamantinum collocat, qui ambos polos attingit, ut nulli mortalium pepercisse videantur: has Plato, in Throno æquali distantia sedentes constituit, vestibus albis, capite coronato, aureo diademate, canentes ad Sirenarum harmoniam: *Lachesis* quidem præterita: præsentia *Clotho*, *Atropos* vero futura prædicebat. quarum superior *Necessitas* stabat: ac ideo earum matri *Necessitati*, atque *Violentiæ* templum apud Corinthios dicatum esse, refert Pausanias, quod ingredi nulli fas erat hominum.

Homerus in Mercurii Hymno, Parcas tres sorores, virgines, alatasque facit, ac eas capita farina conspersa habere dixit. In Pausania legitur, *Venerem* à Græcis inter Parcas adnumeratam fuisse, ut ab Atheniensibus, qui huic Deæ simulacrum, ut *Hermæ* quadratum dicaverunt: ideo olim fertur Romanos, in *Veneris Libitinæ* templo, feretrum reposuisse, ut etiam refert Plutarchus: quod nempe Libitina Venus esset, in cujus templo sepulcralia insignia custodirentur; ut in illius Deæ templo, quæ vitæ principio & fini præesse credebatur. Hæc omnia Vincentii imaginibus leguntur exarata; & conspiciuntur depicta. Sic veteres Stygiæ familiæ descripserunt imagines, & has certe *fatales*; ad quarum exempla hodie similes nefarii necromantici confingunt, ad atrocia maleficia inferenda. *lib. de Imag. fol. 204.*

ARTICULUS V.

An futura præsagire, & alieno loqui idiomate, sit signum à dæmone possessi.

Non est protinus levi suspicione aggravandus insons, nec dæmonis maleficio damnandus, qui à naturæ majestate, & ejus inaspectabili sapientia (quæ omnibus momentis fide caret,) edoctus loquitur mirabilia; quæ eo solo titulo ab insipientibus damnantur, quod illorum notitiam non calleant, & causas arcanorum ignorent: mox enim illa quæ sub illorum judicium non cadunt, aut dæmonis maleficio, aut Numinis miraculo judicant apponenda.

Ideo nos ista, severiori calculo duximus collimanda; nam plura nobis restant, haud minus certe admiranda intra naturæ metas; (fortasse etiam communia energumenis, naturam enim dæmon conatur æmulari, ne ejus palam fiat calliditas) est enim quoddam melancholiæ genus, calidæ, flavæ, tenuis, & lucidæ substantiæ, quæ homines reddit collimando perennes, ac spiritus agiles & purissimos reddit, ex forti mixtione tenaces, minime resolubiles; cerebrum à lutulentis purgat, ac ejus substantiam puram ac diaphanam reddit. Cujus mira vis humores concitat, ac ex illa ardor modificatus mentem agitat; ac æstimativam & memoriam supra se ipsas elevat; ut proloqui faciat admiranda; producat vaticinia; & rerum altam cognitionem creet, ex iis quæ sub hominis mentem cadunt, & quæ rerum humanarum speciebus panduntur, animaque eminenter continet.

Hoc posse homini ex duplici principio evenire, constat & veterum testimonio, & alta philosophia; cœlesti nempe & sublunari, de hoc est illustris Jamblici Platonici sententia: *Verum*, inquit, *Deorum* (cœlorum intellige) *aspectus elargitur nobis, corporis sanitatem, animi virtutem, mentis puritatem, & ut summo conficiam, quidquid in nobis est, elevat in sua primordia propria; hoc est in primam animæ puritatem: si quid est intra nos frigidum, si quid tabificum, funditus delet: caloreminterea auget, robustiorem ac efficaciorem efficit; præstat & illud, ut omnia animi ac mentis modulo remetiamur; adde quod intelligibili harmonia lumen effundit; nam latio superna cum his infernis lationibus, est quædam colligatio & conjunctio individua, per actiones intellectuales suimet: est enim vinculum eorumdem commune, per quasdam communiones idearum: quoniam nihil intercipit, nihil interea medium intercolunium stat.* *de Myst. Ægypt. Segment. 1. cap. 1. & Segment. 2. cap. 6. Segment. 3. c. 9. & 27.*

Haud certe minor est cœlorum quam Musicæ virtus: hæc enim ex harmonia in corpus, quid motivum efficit & passivum, ut præversis medeatur affectibus, & transformet corporis temperaturas dispositionesve: nam quod aliis carminibus faciat debacchari; aliis vero sistat debacchantes; non sunt hæc divinæ afflationis, sed humanæ, & nostræ opis arte consequutæ: nec quidquam divinitatis his elucet.

Quædam est etiam præsensio animalibus, cum terræ motus & imbres augurantur: ad hoc enim animalia quædam concitantur portionibus quibusdam universi, ac viribus, ut membra corporis illius; vel quoties persentiunt ob aliquod sensuum acumen; præsentiunt enim res quæ jam circa aërem accidunt, non dum eas quæ simul feruntur, cum locis positis circa terram: est tamen illud futuræ palpitationis æmulatio. Nautica vero & Medicina probabilibus ventura colligit, & signis quibusdam conjicit; hisque non semper fidis.

Posse etiam futura naturaliter præsciri, Aretæus est auctor: hæc sunt illius verba *lib. 2. de signis & causis acut. cap. 3. de syncopa. Illi præterea*, inquit, *quibus cor laborat, sensus aciem exquisitiorem habent, ut videant aut audiant, plusquam antea, mente etiam sunt firmiore, & animo puriori: proinde non tantum* *lib. 2. de Sig. & caus. acut. cap. 3. & 4.*

tum præsentia declarant, verum etiam futura verißima divinatione prædicunt. Et *cap.* 4. *sequenti de febre ustoria* sic eloquitur. *In ultimo hujus febris*, inquit, *animus stabilis & constans est, sensus omnis purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primo quidem se ipsos de vita migraturos persentiunt; deinde præsentibus futura denuntiant; cum alibi non credantur: dictorum eventus homines in eorum admirationem concitat: alii præterea ex his, cum quibusdam vita defunctis sermonem habent, fortasse ipsi soli, præ sensus acumine & puritate eos adesse cernentes; aut forte ipsorum animo, viros, cum quibus versaturi sunt prænoscente, atque enarrante: quippe ante in lutulentis humoribus & caligine demersus erat: quos ubi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aëre fiunt, prædicant, exutoque sordibus animo, veracißimi vates efficiuntur: sed quorum succi & ingenium adeo extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites, cum vitalis potentia jamjam in aërem cesserit, atque abierit.*

Val. lib. 1. *cap.* 7. *Tull. lib.* 1. *de Divinat.* Non ab hoc argumento alienus Ludovicus Bonaciolus *in sua muliebri Æneade, cap.* 3. ex Valerii Maximi & Tullii sententia, in hæc prorupit verba; *Neque abs re est, cum Simonides, quod ignotum quendam humavisset, haberetque in animo navem conscendere, ne id faceret, ab eo quem humi dederat, moneri visus est: alioquin naufragio periturum: rediit Simonides, cæteri naufragio interempti fuere: magnus hic diversisque refertus documentis, locus obiter invitaret; utrum ne aliqua quiescentis animi præscita sint, quaque ratione fiant, an fortuita, (ut per quam multa) res sit; & hercule si exemplis agatur, illic & paria fient; & quamquam in unum, à vino, & à cibis proxima atque in dormitione, irrita esse visa, prope convenire palam sit, cæterum fortaßis contrariam esse rationem non eam inficias. quandoque & per somni quietem, & aliam quamvis à corpore alienationem, sensibus sopitis, phantasmatumque nubibus expulsis, animum aut sua natura, suique speculatione (quod Platonici facile dabunt) aut superiorum corporum impreßione, aut divinæ virtutis, angelorum ministerio illuminatione; (quod recentiores Theologi fatentur) pleraque futura, quasi tunc illa supernis numinibus præscripta, oculataque fide intueantur, vaticinari vel ex iis apertißime inclaret; tum quia Socrates, à falsis in judicium accusatoribus tractus, futuram primo judicibus pœnitentiam prædixerit, accusatoribus ruinam; civitati seditionem, exindeque suæ internecionis diem à Numine per quietem monstratum præsignaverit. Mille denique id genus vaticiniorum sunt, quæ iis quid ni in miraculo esse possunt; quibus intellectum (utpote corpori repugnantem) ultra corporalia sponteque sua despicere abditum est: etenim intellectus tunc sincere discernit claretque maxime, undeque sibi futurorum agnitionem asciverit, neque difficile, neque impoßibile arbitrandum, &c.*

2 *de Occult. nat. miracul. cap.* 2. Hoc Levinus Lemnius quamplurimis & variis confirmat argumentis: *Sunt enim humores*, inquit, *tam violenti atque atroces, ubi vel inflammati sint, vel corrupti, ut eorum fuligo in cerebrum delata, quod in meracißimo quoque vino affluenter hausto, observamus, peregrinam linguam extorqueant: quod si à malis geniis proficisceretur, non consilescerent morbi, purgantibus medicamentis, nec iis quæ somnum conciliant, discuterentur; iis enim restitutos illos vidimus: atque ad consuetum loquendi usum mentemque restitui, exacto morbo saniorem.* Cum itaque ferventissima sit humorum ebullitio, vehemens quoque & spirituum agitatio, mentisque humanæ concitatissimus motus & concussio, quæ voces quasdam inauditas, linguamque prius incognitam extundit, & secus ac attritu & collisione silicis, emicantes ignitasque scintillas elici videmus.

Quando igitur divina hæc potiorque hominis pars, anima nempe, concutitur, morbisque agitatur, ea profert, quæ in intimo recessu latitabant, insitasque vires palam exerit. Est enim illud homini insitum, ut mens sit humanarum & divinarum capax, ad percipiendam rerum cognitionem: illud tamen Deus indidit agenti intellectui, ut in scientiis adipiscendis postea laboraret: imbutus tamen nihilominus est artibus ante illarum usum, ob altissimam rerum cognitionem, capacitatemque, ut patet inventoribus artium.

Sic enim intelligitur illud Platonis dictum; *Nostrum scire nihil aliud est quam reminisci:* agens enim intellectus species concitat à memoria, & varia confingit, & quæ forte non vidit, nec sub particularem rerum cognitionem ceciderunt. Quis unquam montem aureum vidit? quis aspexit chimæram? species auri & montis, nullus non in memoria retinuit: nec partium singularum chymæræ, ut capitis, manus, & oculorum, alterius animalium. Ex illis ergo intellectus progreditur ad altam rerum cognitionem, quas nec vidit, nec ipsa mens concepit: & licet in sensu non fuerit mons auri, nec chymæræ effigies, fuere tamen partium illarum species, ex quibus hæc ipsa componuntur: & adhuc licet in actu nullæ essent species actuales, sufficit in animæ capacitate eas contineri; ut verum sit illud philosophi dictum; *Nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* saltem per species ab anima refusas, vel per se, vel per partes.

Sic ergo ex eisdemmet speciebus memoria reservatis, ex rebus ante actis; (non, ut voluit Plato, per transinutationem animarum) altissimis scientiis, vel saltem ex iis quæ unusquisque vidit, vel audivit, peculiari cerebri lumine illustratis; aut lucida & flava melancholia concitatis, æthera siccitate & lucido calore, ineffabili energia, poterit ope animæ varia intellectus effingere, & miscere; ut illa quæ ipsa mens concepit, quantumvis aliena proloquatur: & insperata forte vaticinia: si hæc aut illa causa violenter intellectum super se ipsum elevat: non enim sese proferunt facultates ingenitæ, nisi ulla extorqueantur, aut necessitate, aut arte; velut in cote, lapideque Lydio exploratur.

Musa Poëtas divino instinctu concitat, dixit Plato, veluti Eraclea annulos; ac ita omnes carminum Poëtæ insignes, non arte, sed divino afflatu, præclara canunt poëmata, ut Corybantes non sana mente saltant: res enim sacra Poëtica est; neque Poëta prius canere potest, quam intus illustratus & à mente alienus: ac ideo sunt Deorum interpretes dum furore correpti canunt. *Dialog.* 10. *& furore poëtico.* Quis non mirabilia in herbis, lapidibus, & plantis experitur, si de potentia ad actum reducantur; miro naturæ aut artis magisterio. Sic homines interdum aptiores sunt ad disserendum; & in arte, in hac aut illa die operantur fœlicius. *Acuti, sagaces, memoriosi, & dociles*, dixit Plato, *ut plurimum in iracundiam impetusque feruntur, atque ita raptantur, ut sine retinaculis naves, & furiosi potius quam fortes existere videantur. Ideo forte prodigiosa* *Dialog. Theatetus sen de Scientia.*

& rara

& rara consequuntur. Graves autem, sæpe cum ad disciplinas se conferunt, segnes, torpentes, & obliviosi sunt; & alii altißimas assequuntur scientias, velut inopinato, quando clarius redditur instrumentum; & alius ad lumen obcæcatur; confusis caligine spiritibus. Est enim dementia quædam animæ ignorantia, quæ dum ad veritatem nititur, intelligentia ipsa prævaricatur: ut idem Plato hujus rei auctor est.

Vbi supra *Vidimus enim*, dixit Levinus Lemnius, *non nullos æstuosis febribus copiosos promptosque in disserendo fuisse, & supra spem oratione & idiomate cultos, quod morbo perfuncti, exprimere haud ullo artificio potuerunt: quos ego pronuntiavi, non malo infestoque genio divexari, nec dæmonis instinctu, impulsuque illos ita peragere, sed vi morbi, humorumque ferocia; qua tanquam face subdita mens exardescit hominis inflammaturque: illos siquidem admotis capiti fomentis exhibitaque somnifera potione, à morbo mentisque errore, vendicavi; quos postea alta cœpit oblivio, ut adhuc illis recitatis erubesceret; fuisseque admiratum, in tantum sibi mentem excidisse.* Hoc etiam accidit moribundis, ut nuper ex Aretæo vidimus, cum in illis excitatur ardens animi vigor; quo mens à terrenis abstracta, vaticinari solet, & quæ eventura sunt, certo prædicere: idque ita diserte & ita oratione meditata, ut inde gravior prorumpat admiratio: anima enim est cœlestis originis, ac illius divinitatis particeps, & præsaga futuri: & cum ab iis lutulentis exuitur, adhuc in hac mortali vita, fit, non tantum vaticinii capax, sed admirabilium etiam actionum.

Quare non est protinus miraculo, nec dæmonis maleficio apponendum supra expectationem vaticinium, nec ultra capacitatem graviora proloquia, nisi his misceantur quæ certo dæmonem adesse contestantur: quorum signa pleraque antea proposuimus; alia mox dicemus, ne eadem repetere absque necessitate videamur.

ARTICULUS VI.

An quæ intra corpus monstrosa generantur, sint certa maleficii signa.

Marcell. Donat. l. 2. de hist. Mirabil. cap. 1. Quæ in arcanis naturæ non latent admiranda; quæ pene fidem superant, nec ullo modo redolent maleficia? Marcus Damascenus mulierem filiam peperisse enarrat, pilis camelorum hirsutam, habitu & colore silvestrem, quod sic fuerit imaginem *Baptistæ* in thalamo nuptiali intuita. Scaliger historiam de puero scribit, in Hispaniam ex India transvecto, qui totus erat candidis circundatus capillis, quod mater in conceptu illius pilosum quoddam imaginata fuerit. *Scalig. de Subtilit. Exerc. 14. Num. 2. & Exerc. 52.* Tanta est enim imaginationis efficacia, ut similitudinem calleat in corpus alienum sub debita distantia imprimere, dum corporis formatricem modificat, & certa commotione humores propriæ intentioni disponit: ideo in Scythia & Norvegia, passim aves & animalia reperiri albissima, quod fere semper nivem intueantur. *Mulier*, scribit Cornelius Gemma, *tres simul dedit in lucem filios, alterum ut Æthiopem, quod inter Magos Reges nigri coloris regem intueretur.* *de Admirand. spectac. cap. 6.* Et Erastus enarrat de generosa fœmina, solo felis timore, semel impresso à matre, quam dum illam ventre gestaret, perculsa cœpit, ut tam magno & subito pavore, animo penitus linqueretur: ac ideo characterem timoris *de Occult. pharmac. propriet. cap. 3.* in filiam impressam reliquisse: ut quoties filia felem videret, etiam animo subito pavore deficeret. Nec est novum, genitos matris etiam portare passiones; hoc enim est etiam à Præceptore traditum: *Quoniam si qua prægnans*, inquit, *terram edere concupiscat, aut carbones, eaque edit, in capite pueri, ubi natus fuerit, signum à talibus apparet.* *lib. de Superfœtat. ante med.* Si non dicimus quod auctores ut enarrent ostenta & prodigia, non dubitant adhuc creditu difficilima, ne dum nugis Milesiis similima ostentare, & quæ non tantum veritati, sed ipsimet naturæ videantur aperte gliscere.

Sed in hac rerum serie, pleraque sub maleficii opinione feruntur vulgatissime, quæ talia non sunt, veluti animalia ad intra corpus genita, ligni, ferri, & lapidis fragmenta; & illa quæ configere natura haud ulla lege posse, communiter jactatur. Inter ista differentiam oportet constituere: nam pleraque rarissimo miraculo componuntur; ad leges naturæ fœcundissimæ progerminant, proferuntur ad tempus, & se videntibus præbent naturalia in ostentationem majestatis & virium naturæ: ex his producit pleraque ex sordido aliquo excremento, ut vermes, non tantum communes, sed figuræ interdum peregrinæ: ex pituitæ speciebus aliqua melancholia aliquando permixta, ut durissimi lapides, si efficiens caloris causa materialem comprehendit æqualiter: ex quo certe infero, quod non est impossibile, naturam quæ durissimum producit lapidem, posse etiam brutum effingere metallum; licet mihi semper creditu difficilimum videatur, posse intra corpus humanum aurum purissimum effingi, ut Lemnius affirmat; *Citat. loco.* quoniam dispositiones causæ materialis, & gradus actionis causæ efficientis, sunt longe altioris ordinis in auro, omnium metallorum nobilissimo, quam in quovis alio bruto metallo.

Ex errante naturæ actione productiva, aut uberiori materiæ quantitate quam par sit, aut minore etiam moderata, si non forte inepta natura rudius quid effingit: dum enim perfectius non valet, quod assequitur, efficit: ideo monstrum aliquando producit: *Ego bis & ter vidi*, dicit Marcellus Donatus, *frustum carnis*, (de molæ speciebus loquebatur) *figuratum, & movebatur*; *de hist. Mirab. cap. 25.* sed horribiles sunt admirandæque magis animatæ molæ, & formatæ: quorum plura leguntur apud Scriptores exempla, veluti sunt bufones, lacertæ, aves, ranæ, & similia monstra, quod vitium agro Pisano & Apuliæ, familiarissimum esse, Savanarola dixit. *in cap. de Mola.* Mulierem serpentem enixam Romæ, Alexandrinus Appianus auctor est; *lib. 1. & 10. de Bello Civili Romanorum.* Matthæus de Gradi scribit se vidisse animal generatum in matrice, cum alis, quod cum jam ad auras & lucem prodiisset, evolarit. Enarrat Gatinaria animal peperisse Papiensem mulierem, ad tinconis piscis speciem, à tergo subviridis & obscuri coloris, ad ventrem valde rubri, prædurissimo corio, cum subsultante motu, ut palpitare omnino videretur. *cap. de Mola.* Amatus Lusitanus commemorat, mulierem quatuor animalia ranis similima peperisse. *Cent. 1. Cur. 27.* Et illud, quod longe admirabilius, Levinus Lemnius scripsit: *Mulier insularis ex Nautici generis homine concepit: in tantam tamque inusitatam molem illi venter intumuit, ut non videretur tanto oneri gestando suffectura: exactoque tempore pariendi, quod novem complet* *de Occul. naturæ miracul. c. 8.*

 mensest,

menses, accersita obstetrice, primo magno conatu informem carnem peperit, cui utrinque erant duæ ansæ annexæ in modum brachiorum exporrectæ, quæ moles palpitabat, ut marina spongia; postmodum vero monstrum dilapsum est ex utero, adunco rostro, tereteque collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate; & post primum lucis intuitum, conclave stridoribus implet, atque ultro citroque discurrens, latebras persequitur: tandem mulieres pulveres impetunt, ac suffocando perimunt; postremo mulier hac plus satis delassata, haud procul à discrimine prolem masculam edidit, à monstro ita excarnificatam, ut à sacra lotione quam minimum vitæ superesset.

lib. 5. Annalium Ianuensium anno 1491.

Hoc horribile monstrum aliud imitatur, quod Justinianus episcopus enarrat: dixit ille, Januæ, Margaritam, Laurensi Valestari uxorem, serpentem peperisse, alas eo habentem loco, quo manus esse consueverunt.

lib. 24. de Monst. & Prodig.

Quid moror in enarrandis monstris? est enim illorum prodigiosa series in Pareo & Schenckio, Medicis.

Hæc natura produxit ostenta, & prodigia, quæ etiam sunt *fatales imagines*, quia quando talia eveniunt, fere semper cedunt in ruinam Monarchiæ principis, aut imperii; quoniam interdum natura videtur esse saga. Anno 1254. sub Julio II, Ecclesiæ pontifice, & Ludovico Francorum Rege, legimus horribilia monstra fatalem ruinam ostentasse. Aliud etiam Veronæ accidisse, historiæ enarrant, cum bellum inter Turcas & Pisanos exarsit. *Cum Persæ Babylonem obsiderent*, enarrat Herodotus, *vigesimo quam vallati sunt mense, Sopiro Megabisi filio, hoc contigit portentum*; ut quædam mularum *ejus pepererit*: (licet Theophrastus passim parere mulas dicat in Cappadocia, auctoritate Plinii) *quod tam impossibile judicabant, ut miles quidam in obsidione diceret, istinc discedetis ô Persæ, tunc nos expugnaturi cum pepererint mulæ; & ita factum est, ut post illius partum Babylonem vastarent, quia tunc visum est, fatale esse jam Babylonem capi.*

lib. 3. Thalia.

lib. 3. Nat. Hist. c. 44.

12. Annalium c. 13.

Crebris prodigiis, dixit Tacitus, *mutationem rerum in deterius portendi cognitum est: signa enim ac tentoria militum igni cœlesti exarsere: fastigio Capitolii examen apum insedit: biformes hominum partus, & suis fœtus editos, cui accipitrum ungues erant, quod forte præoccuparent necem Claudii & Illustrium aliorum senatorum.* Pugnam Canensem prodigia etiam cecinerunt, ut Silius Italicus annotat.

lib. 8.

Obsedit frequens castrorum limina Bubo,
Nec densæ trepidis absunt, se involvere nubes,
Cessaruntque aquilis: non unus, crine corusco,
Regnorum cursor tribuit letale cometes.

Hic est vox illa corrigenda (*absunt*) & ejus loco legendum *apium* vel *apum*: nam *nubes apum* examina vocat.

Deus etiam omnipotens, Arcam, ut fatalem imaginem, Noæ, singulari suo amico, facere imperavit, ut portenderet totius universi ruinam: qua servavit posteritatem gentium, & animalium: ad cujus fabricam sequutum est diluvium aquarum in universam terram.

Hæc & illa prodigia & natura produxit, & valet dæmonis artificium imitari: ideo sunt oculatissima circunspectione discernenda, quia quanto magis abdita, majorem in artifice solertiam exoptant. Et ingenue fateor, quod quanto magis ad illorum nitimur differentiam, tanto profundior obscuritas quod eluceat.

lib. 8. hist. Scotiæ.

A Adhuc contra nostrum judicium, recitabimus quæ referuntur ab Hectore Boëtio, *lib. 8. de hist. Scotiæ*; ut aliquid differentiæ assequamur: *Monstrosos enim partus*, inquit, *quandoque nasci, observatum est; muliere à dæmone compressa, quod per dæmones incubos & succubos peragitur, seu furati seminis efficacia, seu ratione alia sub masculi, aut fœminæ specie: sic enim coire cum mortalibus solent: & licet illud sit à pluribus traditum, referam quod puellæ contigit, & forma conspicua & natalibus altis. Hæc cum plurium nobilium aversata connubium, in nefandam cum dæmone consuetudinem incidit: quæ cum uterum gereret, jam B palenter, & parentum rigore coacta stupratorem edere: dixit, adolescentulum miræ pulcritudinis frequentius secum nocte, interdiu nonnunquam, convenisse: sed unde venisset, quo vero abiisset, nescire se respondit; inde patres rem accuratius advertentes, explorandi consilio, ancillam præfecerunt; quæ tertio die, stupratorem jam adesse, renuntiavit, & foribus reclusis & tædibus accensis cubiculum ingressi, horrendum & terribile monstrum inter filiæ amplexus conspicantur: complures cucurrere ad fœdum spectaculum, quale fortasse antea nunquam C inter mortales visum: inter illos sacerdos probatæ vitæ, & sacræ disciplinæ haud ignarus, mox Ioannis Evangelium incœpit recitare super monstrum, & cum huc pervenisset;* (Verbum Caro Factum Est) *malus dæmon horrendo cum clamore cubiculi tectum secum portans, omni incensa abiit supellectile: fœmina vero periculo servata, post triduum, monstrum est enixa horrendum, nusquam tale inter mortales visum, quod ingenti pyra parentes jusserunt concremari.* Ex Dæmone etiam progenitum Merlinum Britannicum, historiæ affirmant: & Olympiadem Magni Alexandri D matrem à Dracone compressam, ut & Galerii armentarii genitricem, ac si esset à Jove sub serpentis figura, credidit fabulosa vetustas: & Quintus Curtius & alii tradiderunt. Quod si ita res esset, à dæmone incubo factum esse, est creditu facilius. Inter monstra; (naturalia nempe, & dæmonis magisterio producta) ratio differentiæ est potius petenda ex aliqua supernaturali actione, aut legali certe probatione; quam ex ipsa monstrorum rara & peregrina configuratione: quoniam nulla tam magna potest considera-E ri, quam ipsa natura non producat, si non absolute ordinem naturalem excedit.

ARTICULUS VII.

Pleraque alia proponuntur suspecta veneficii.

Nec sunt semper præsaga maleficii, & lapides, & vermes, & animalium species mirabiles, figuræ peregrinæ, quæ natura produxit, F ex putredine hujus aut illius corrupti alimenti, aut excrementi mille modis fœdati, aut mixtura seminis reptilium, serpentum, aut alterius impuri animalis, aut ex illis vescuntur, ut super panem, caseum, carnes, legumina, aut alia obsonia: quæ certe illorum impuro excremento maculata & à nostro calore actuata possunt sui similem in generatione effingere, ex innata virtute animalis. De hoc certe mihi videntur esse historiæ mirabiles, quas plerique referunt cum Marcello Donato, quas tu leges per otium, *lib. de med. hist. mirabili cap. 14. & 30.*

Neque

ARTICULUS VIII.

De sudore sanguinis.

Bond. lib. de Morb. cogn. cap. 11. & 18. Fernel. l. 6. Pathol. c. 4. Arist. 3 de Part. anim. 5. & 3 de Hist. anim. 18. Theophrast. l. de Sudor. Gal. de Vtil. respiration. Aretaus, 2 Chronic. cap. 6. Lev. Lem. de Occult. mirac. c. 7.

Neque prodigiosus ille sudor sanguineus, qui omnem videtur naturam superasse, prolicitur extra naturæ metas; nam illum prorsus naturalem fatetur Rondoletius & Fernelius, & evenisse ait, anno 1597. & ex antiquis Aristoteles, Theophrastus & Galenus, posse naturaliter evenire, profitentur. *Est hoc vitium familiare illis*, dixit Aretæus, *qui tenui & duriori victu coacti sunt uti: qui impensè & absque fine studiis laborant: quibus est divinæ* B *scientiæ inexhausta cupiditas: qui vigiliis & cibi parsimonia macerantur: qui semper gravia meditantur & seria: & qui famem pro alimento habent: pro potu aquam, vigiliam pro somno; à quo enim amor disciplinæ non revocat, à patria, à parentibus, & ab omni voluptate, ad mortem usque revocabit; continuata jejunia sanguinem tenuiorem reddiderunt; hi macie consumpti in juventa senescunt; nec illud est semper apponendum miraculo, nec semper maleficio.*

ARTICULUS IX.

An sanguis occisi petat naturaliter occisorem.

Visum & observatum est, (ut gravissimorum auctorum fide constat,) *in violenta morte interempto, sanguinem ab emortuo corpore ad occisorem cominus intuentem prosiliisse.* Sed quo genio illud accidisset, à nemine video comprobatum. Plerique rati sunt, quod si adhuc remanet in emortuo D corpore aliquid vegetantis virtutis, hostili quadam antipathia sanguinem faciat ebullire, ut in conspectu occisoris prosiliat; in facinoris aut sceleris patrati pœnam. Dixerunt alii, quod sicut dantur spiritus benevoli, qui oculis in ipsis gratitudinis benevolentiam, aut amorem ostentant, quod oculari patet experientia: sic etiam dantur spiritus hostiles, qui expirant per oculos, cum aliquem odio, horrore, aut inimicitia intuemur: quod torvo vultu, scintillantibus oculis, fere patet: quo posito, in illam devenere sententiam, ut E existimarent, quod in mortuo corpore, qui remanent spiritus hostiles, (antequam ex toto evanescant) dissensione tacitaque discordia, sanguinem faciunt effervescere, dum occisor incidit in conspectum, ut, quodam veluti impetu, compellant sanguinem jam jam ebullientem erumpere per vulnus, aut alia certe corporis parte.

Aliorum tamen sententia fuit; quod illi spiritus malefici odio fascinati, dum sub ira, impetu, & furore concitantur, irruentes ad invicem in hostem; hostiles illi ab occisore expulsi, in F corpus occisi recipiuntur, (ut etiam è contra potest accidere;) quare isti, dum in conspectum venit interemptor, ad suum veluti progenitorem facile revertuntur ut ad suammet causam & principium, seu ad cognatum centrum: cum vero jam sunt permixti & confusi, cum sanguine occisi, dum appetunt exire & reverti, secum movent & ferunt sanguinem cadaveris, sub illa motus ferali concitatione: & tunc maxime cum ex adverso sese ipsum ostentat adversarius; & cominus intuetur occisum.

A Non ab hac & illa sententia alieni, alii rati sunt, quod tam valida est imaginationis efficacia, ut quandam latentem energiam spiritibus imprimat; odii aut furoris, dum adhuc vita superest: ut si adhuc remanent animati spiritus, dum venit in conspectum interemptor; illi faciunt & corpus incalescere & ebullire sanguinem; bile, ira effervescente circa cor, ex ipso furore derelicta, ut sub id tempus faciat sanguinem petere occisorem; si non distat ab agentis sphæra: huc videtur alludere Lucretius, quando dixit:

> *Namque homines plerunque cadunt in vulnus, & illam*
> *Emicat in partem sanguis unde icimur ictu,*
> *Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.*

De hoc est celebris memoria in Nicolo Boëtio, & in Bipartita mirabili historia, *de Sanguine occisi, sepulti jam post 30 dies, qui subito peremptus occisorem damnavit.*

Plato, sententiam longe à pietate alienam sequutus, dixit, quod defunctorum animæ, in corpora nostra quid occultius agunt; ac illorum animas qui occisi sunt, hostiliter interfectores pete- C re: & inde forte existimabat, ut occisi hominis vulnus, jacente etiamnum cadavere, in eum qui vulnera inflixit, si cominus aspexerit, sanguinem subito faciat eructare vindictæ desiderio. Sed hæc sententia magis redolet magiam damnatam, quam justam naturæ actionem.

Hoc etiam *Vtroque Iure* video observatum, ac si esset inditiũ, quod legali probationi conduceret, & à jure peritis mille etiam historiis fulcitur, quibus evolvendis jam hoc loco mihi non datur otium: unicam tantum referam, quæ ut rara à Bonaciolo recitatur in sua *Æneade*, *cap.* 3. quæ duobus amicis in Megera contigit: quorum alter cum ad cauponem divertisset, interemptus ante obitus horam in somnis, ejus animam amico appulisse enarrat, & rogasse, ut ejus haud inultam mortem pateretur; seque à caupone interfectum, & in plaustrum conjectum, & desuper stercus; donec mane ad cauponis portam amicus divertisset; amici miseria perculsus: sic evenisse vidit, ut illi inter somnia est narratum: & cum quid in plaustro adesset, quæsisset; ille caupo perterritus, fugam cœpit; at eruto cadavere, sanguinem emittere cœpit; unde caupo re illa patefacta pœnas dedit. Hæc tamen abdita & occulta, sunt soli Deo gnara.

ARTICULUS X.

An animalia à corpore excreta sit certa veneficii comprobatio.

Grandiora animalia in corpore produci, semper apud vulgus maleficii extitit suspitiosa præsumptio, ut si bufones, serpentes, aut mures producantur; judicant enim & merito, animalia quæ ex semine amant produci, non posse aliter generari; de hoc aliquid paulo antea diximus, quod nunc prosequimur: illud enim certe admirabilius in hoc rerum concursu mihi semper est visum, naturali de causa serpentes, bufones, mures, & pleraque extranea animalia posse intra corpus humanum generationem sortiri; sed desinet mirari, qui sciverit hæc ipsa ex putredine

terræ,

terræ, aut excrementorum, aliquando produci; A & dato, quod apta excrementa ad talium generationem in corpore humano non darentur, (quod non omnes facile dabunt) hæc poterunt produci ex sordido aliquo excremento, in iis alimentis quibus alimur derelicto, quo erant inquinata & imbuta alimenta, dum super illa similia animalia vagarentur, aut comederent: calor siquidem nativus, in materia illa elaboranda occupatus, non aliter speciem, quam pro subjectæ materiæ ratione effingere potest.

Itaque insita vis naturæ, forte seminali excremento derelicta, suę speciei animalculū efformat, B humida illa substantia & sequaci calori architecto obsequente: compertum est enim, domestica hæc nostra animalia, feles nempe & catillos, mures, glires, bufones, & rubetas, cum passim oberrant promptuarias cellas, aliquando excremento seminali commaculasse esculenta quæ vescimur; quæ cum homines à sordibus non abluant, vel fructibus arbuteis putamina membranasque ambientes non adimant, ex illa uligine, quæ cibariis incumbit, dapesque polluit, ac fœdavit, C tale quidem certe progeneratur.

Quo fit ut si ex putredine limaces, cochleæ, mures, ex bubulo stercore scarabæi; & vespæ ex aëreo madore roscidoque humore, erucæ, formicæ, & locustæ, & cicadæ progerminant: cui absurdum videri poterit, in corporibus hominum ex simili causa, tale quidpiam etiam generari; si maxime subsit infectum seminarium? nam quæ in humani corporis latebris animantur, ex vitali humore vivoque animante profluxerunt: sicut illa ex cœlesti influxu, utpote à causa D universali æquivoca, ab his sane patibilibus determinata; nempe ex putrida materia, ad hoc, aut illud animal producendum.

lib. 2. de Occult. nat. miracul. cap. 40. *Observatum est enim nostra memoria*, dixit Levinus Lemnius, *dissecto cujusdam corpore, bestiolas exemptas, soricibus* (*quas glires* vocant) *muribusque non absimiles, quas natura ex sordido aliquo excremento, quo erant imbuta alimenta, produxisse, par est.* Cum itaque multa atque admiranda, natura rerum, cujus vis Dei munere, undique diffusa est, moliatur; nemo anile deliramentum existimabit, prodigiosa quædam in corporibus effigiari: cum rebus etiam inanimatis, ut in ligno vermiculi nascantur, & in caseo vermis, ex sordidis ulceribus & vomicis, unguium, pilorum, testarum, officulorum, & lapidum fragmenta eximantur, ex humorum putridorum, concretu coalita: quin & vermiculos caudatos atque insolita forma bestiolas vomitu ejectas, novimus, & per ventrem excretas: & in iis præsertim, qui morbis erant oppressi contagiosis; in quorum lotiis multoties innatare conspexi minuta animalia, & formicis similia.

Hæc sunt & ipsi naturæ naturalisanti gentilitia: & possunt esse magica confecta veneficio, seu dæmonum perstigio apposita: seu ab ipso realiter producta. Solet enim dæmon rerum species immutare, & res ad illam quam amat apparentiam ostentare; unde hujus perstigio mille metamorphoseis adnotantur; hominum, animaliumque conversiones, delationesque, ut homines illudat, aut fortius constringat cautissima solertia: quod si talia, ut agens naturale intra naturæ metas operatur, difficilimum judico, ne dicam impossibile, differentiæ rationem constituere inter illa quæ natura produxit, & quæ maleficio dæmon effinxit; nisi in ipsa actionis elevatione aut applicatione, ut dicebamus antea, aliqua ratio differentiæ innotescat: aut in veneficii ante acta præsumptione verisimili conjectura comprobata; pleraque enim & legimus & vidimus de maleficio suspecta vocari in judicium, neque posse ulla ratione comprobari; ad Romanos judices etiam hæc veneficii præsumptio delata est, nec ideo reum damnatum vidimus; nam Piso de Germanici morte accusatur, satis evidentibus veneficii signis, nec ideo damnatur: unde fortasse Numantina, prior Sylvani uxor, accusata injecisse carminibus & veneficiis vecordiam marito, insons judicatur, ut Tacitus est auctor. *4 Annal. cap. 6.*

Si vero fortioribus argumentis veneficii suspitioni credimus, vel etiam jam patet veneficium; hoc unum nobis restat auxilium, non ab nostra Medicina petitum, (hæc enim pares vires non habet) sed ab nostra Sacro-sancta Ecclesia Romana: quare mox debemus personam maleficio implicitam, sacris Sacerdotum precibus tradere lustrandam: atque divinis missarum officiis, rite peractis, collatisque eleemosynis, magna semper fiducia, & integra fide à Christo domino, ut à piissimo Salvatore, salutem expectare. Quod si contendat aliquis, quod dæmon aliquo corporis humore ut instrumento utitur, ut in illo conservet maleficium, non contra rationem existimo, & talem humorem vacuare, & contra productam intemperiem, aut aliam affectionem naturalibus auxiliis pugnare, ut contraria actione medeantur contrariis auxiliis; ut forte ablato instrumento, veneficium conservare desistat dæmon, qui illud ope veneficæ induxit.

STATIO XIII. ARTICUL. I.

Naturalis Necromantiæ eutrapelia, & veterum Philosophorum experimenta; an sint de veneficio suspecta.

E **N**ecromantia est magiæ species, quæ definitur, *Divinatio per mortuorum corpora*; impia est, & merito damnanda, quia sub dæmonis pacto celebratur: cum hoc tamen sub hac magiæ specie sunt pleraque abstrusa in arcanis naturæ; quæ incredibilia videntur imperitis, & secretorum insciis; quia damnatam magiam videntur redolere: at illa certe patent peritissimis qui abstrusa rimantur, & agnoscunt ut mere naturalia, absque ulla fœderis iniqui suspitione; quorum pleraque narrare non pigebit, ut quæ impie magica F ab eis quæ ars, aut natura magico artificio confingit, facile discernantur.

Hanc etiam Martinus Delrio, acerrimus hujus Magiæ censor, graviori censura designavit, & ab impia & damnata distinxit, *lib. 1. Mag. cap. 3. de Naturali magia: Hæc enim*, inquit, *nihil est aliud, quam exactior quædam arcanorum naturæ cognitio, qua cœlorum ac syderum cursu & influxu, & sympathiis atque antipathiis, rerum singularum observatis, suo tempore & loco, ac modo, res rebus applicantur, & mirifica hoc pacto quædam perficiuntur, quæ causarum ignaris perstigiosa, vel miraculosa videntur, ut cæcitas Tobiæ*

restituta felle piscis Calinomii, medio & virtute naturali: quod etiam mille probat exemplis.

A Magna est profecto humani intellectus ambitio, ardor vix satiabilis sapientiæ: ac ideo in naturæ arcana cæco impetu ruit: homines enim communi rerum notitia non contenti, aliam naturam rebus quærere inhiarunt: & materiali rerum sapientia satiati, immaterialem rerum ipsarum essentiam perquirentes, primas rerum qualitates quæ in elementis latent, pondus & levitatem, ac notas inclinationes nosse, non magni æstimarunt; ideo ad contemplationem essentiæ B abstrusæ, secundæ vitæ, viventis spiritus, formæ immaterialis rerum ipsarum; quam dixere cœlum Philosophorum, ignem cœlestem, cœlestem & vivificum nectar, calorem insitum, nunquam extinctum ignem, potabile aurum; ac tandem materiam primam universale dissolvens, insatiabili cupiditate exarserunt: ac inde invenerunt in rebus & formam specialem rei quæ informat materiam, & aliam vitam corpoream & sensibilem, quæ cum huic magis quam illi parti materiæ inhæreat, eaque delectetur, aliam essentiam, C aliam vitam constituit, non veram quidem qua mixta vivunt sibi, sed cujus causa nobis vivunt, & utili & vitæ communi serviunt; qua divina contemplatione invenerunt in rebus homines abstrusas sympathias, ignotas antipathias, notas nulli alteri sæculo; & virtutes lapidibus, herbis, plantis & animalibus quæsierunt, quæ inerti mortalium ignavia diu delituerunt; & nunc patent labori immortali; de rebus materialibus substraxerunt spiritus, & aliam certe in rebus ipsis naturam invenerunt.

D Ideo non est mirum, si tot eutrapeliæ, mirabiles effectus reconditæ & abstrusæ naturæ, tam varia, tamque mirabilia nobis quotidie obversentur, quæ impossibilia humano artificio videntur imperitis; aut saltem damnatam magiam redolere; iis maxime qui otio inerti, sub umbra vitam degunt, aut insulsis studiis distracta, vitæ fabulam agunt; nihil de Naturæ majestate promeriti, nihil de Nobili Rep. nec de rebus politicis; sed illud omnem superat nobilem patientiam, E quod isti inertes & stupidi, qui nec sibi, nec civibus suis prosunt, ambitiosa vanitate, damnare audeant pretiosa arcana, quæ nec extimis labiis degustarunt; dum, *Mithæcus cum sit, Agamenonem simulat*, ut est in parœmia Græcorum; nam omnia isti solo suo vano criterio metiuntur; sed illorum illud cedit in pœnam, quod perit memoria eorum cum gemitu, & in ipsa imperitia sepelitur; sed non est stultitia, supplicium æquale: deberent enim talione damnari, in pœnas nempe infamiæ, quam aliis intendunt.

F Hujus animæ peregrinæ extractio, pro rerum varietate à quibus elicitur, comparatur; alio enim modo ex plantis, alio ex animalibus, alio ex mineralibus educitur; alio tandem ex variis compositis activa passivis applicando, veluti in theriaca; & talia ex quibus hic aut ille effectus speratur, permiscendo ex arte, ut effectum impedientia separentur; metalla enim aliam vitam continent, in colore, sapore, & odore: animalia in modo substantiæ & applicationis, veluti in lucernis: & plantæ in odore, colore, sapore, & tinctura: partes enim unumquodque mixtum continet, longissime distantes: methodus autem essentias extrahendi, ignoratur: nam secretior ac nobilior adhuc desideratur; nec ideo involvere contendo cum arte naturali diabolicam. Absint profecto & illa certe absint à calamo, à cogitatione & à mente nostra, quæ absolute implicita & explicita sub pacto, prolata, aut quomodolibet aliter renunciamus: & sola & simpliciter naturalia proponimus, illa tantum, quæ ex secretioribus Philosophiæ arcanis eruenda curavimus.

Ut ergo magicum artificium consequamur, & sympathias rerum & effectus, absconditos & in causis naturalibus, pleraque in secretiori Philosophia abstrusa, contemplari ac rimari debemus.

Est veluti primum hujus magisterii principium, ut sicut validum agens, (si à fortiori impeditur,) in patiens recte dispositum imprimit actionem, & producit effectum: sic pariter in influxu cœlesti, & in forti imaginatione, ex animæ imperio, & virtute ab interno principio: in illis maxime quæ necessaria connexione, eorum causalitatem accipiunt; si enim corpus ubi habet producere, est in illa dispositione ut impressionem adæquate accipiat, producitur in integrum effectus: si vero dimidiam dispositionem sortitur, dimidius effectus comparatur; si penitus actioni agentis reluctatur, nihil inde producitur; & sicut efficacia auxilia, ubi agens supplet indispositionem patientis, ut accipiat actionem, elevant actione valida patientem, & quadam veluti violentia rapiunt, (nam supplent actionis magnitudine indispositionem patientis, aut illud celerius disponunt;) sic in fortissimo imperio influxus stellarum, aut etiam animæ imperantis, solent etiam producere effectum in corpora aliena & extranea, ad nutum imperii, plus minusve, prout est disposita materia, aut ex se, aut ex causalitate, cum magnitudo aut efficacia actionis suppleat indispositionem patientis; dummodo non sit inepta penitus.

Ideo cum materia primo sit subjecta corporibus cœlestibus, necesse est quod accipiat formam alicujus speciei determinatam, sed ligatam tali, aut tali nexu, ab illa parte speciali cœli, ut inde hæc aut illa proprietas resultet à tali mixtione, & non à toto cœlo, quod indifferenter respicit & formam & materiam: vel etiam ab illa portione quam accepit à parte determinata cœli, quam in prima formatione accepit; dummodo actionem liberi arbitrii immunem tueatur; hoc enim semper est sui juris, sub quolibet influxu, & qualibet dispositione materiæ, utcumque hominem deferat: non subjicitur enim spiritus corporeo influxui, ut impressionis impatiens peregrinę.

Forma tamen qua corpori ligata, suas etiam à cœlo impressiones recipit; ac inde variæ in rebus elucent sympathiæ, & permulti consensus; ut & antipathiæ in aliquibus: quibus non erit mirum, si variæ ad extra actiones producantur mirabiles, supra materiæ & formæ actiones communes, utpote ab alio principio orientes: ideo lapis Herculeus peculiari sympathia trahit ferrum, actionem ad extra producendo, in extractionis motu, & ab antartico polo non discedit: adamas & electrum trahit surculos & paleas: pixis navigatoria magnete temperata nativa proportione sese

ad polos vertit: Leo, animalium princeps, à pullo gallinaceo terretur: taurus fico alligatus, mansuescit: & inter homines, hos simplici intuitu aversamur, illos benevole diligimus: echenis parvus pisciculus, navem velis tumentem remoratur. Unde tam mirabiles naturæ actiones? ex communi principio; sunt enim in rebus consensus admirabiles, seu derivati ex illo communi universi consensu, in quo sunt corpora ita ad invicem connexa, fortiter inhærentia, ut nulla vi, quæ ad invicem extrema copulantur, separentur, ne locus vacuus inter illa intersit: levia & sursum feruntur, & gravia deorsum; quæ prius interire patientur, quam communi consensui deficere. hic enim est finis universi, *omnia esse ut sint, & conserventur*; conservantur autem per nexum & mutuum contactum extremorum inter se.

Alius consensus inter elementa invenitur; qui primum maximum præsupponit, qui est etiam nexus determinatus, & propria locatio elementorum, prout cuique debetur; quo fit ut cum propriis locis consensum habeant elementa; non enim tantum, qua talia, amant convenientem locum, sed certas sedes exposcunt, & certos quorundam corporum nexus: ac ideo unum quodque adhuc sub alterius mixtione suam appetit sedem, proprium locum petit, si valet consortem secum ducere. Quare duas sortiuntur inclinationes elementa: alteram, quatenus unumquodque una natura est: & alteram, qua partes universi, & naturæ totius. Quatenus una natura sunt, certum ubi, certumque locum habent, ad quem per se nativo appetitu feruntur: cum igitur ignis locus sit; (si in illa regione est ignis elementum, quod critici hujus temporis negant) linea media inter concavum orbis Lunæ, & convexam aëris superficiem, ad illum certe totus ignis, & pars quælibet ejus, & per se movetur, & illuc ut centrum petit: velut aër, cujus linea media inter ignem & aquam constituitur; ut & aqua & terra ad propria loca, ut ad centrum feruntur; non alia de causa, nisi quia sic melius collocantur elementa ad perfectionem sui & universi: ac ideo est in illis suus cuique consensus, ad conservationem.

Tertius adnotatur consensus inter illorum partes quatenus in toto sunt, quo fit ut rarefactæ partes, condensentur, & densæ rarefiant, donec ad eum situm veniant, qui toti pro natura debetur: quo fit ut partes ascendant aliæ, & aliæ descendant; & aliæ ut in latus ferantur: sic species quædam amant aëris rarum, & quædam lucis densum, ut auditus; hinc pulvis tormentarius maximum edit sonitum.

Inter ista quartus etiam observatur consensus, inter illa nempe, quæ in communi principio sunt affinia, & inter se similia; quo fit ut afficiantur sympathiis; nam unum quodque ad aliud movetur, ut unum fiat: hinc parva flamma, à magna velocissime trahitur: fumus ab igne: sed id maxime cernitur in electro, in herculeo lapide & adamante, & plerisque animalibus atque plantis: quod illis certe accidit per quandam ingenitam virtutem, à primis contractam elementis per species spirituales in agendo, (seu dixeris ignotas) quæ sunt ejusdem rationis cum formis, quarum sunt species: quæ à tota substantia operari

A est credendum, quatenus sunt affinia in communi principio: ac ideo dum à proprio principio moventur, in termino proportionato movent.

Est ultimus consensus elementis qualitatum contrariarum proprius: videmus enim certos unius contrarii gradus, cum certis alterius stare, & gaudere, cum aliis non posse, quasi non sint contraria: ut cum frigiditate caliditas refracta: & illud certe accidit, quod certus gradus certam ferunt harmoniam, & concentum, ut nulla ab alia separetur; tunc enim unum non est alteri contrarium, licet adsit communis contrarietas: B nam solus ille gradus, qui ut octo producitur, cæteris adversatur: qui vero ut septem, non cum omnibus pugnat, sed iis tantum qui supra unum sunt, cum uno autem & stat & concordat; qui vero est ut sex, cum duobus consentit, contrariatur reliquis, qui supra duos sunt: & sic in cæteris concordia aut dissensio observatur.

Sicut in elementis, sic in mixtis, peregrinæ observantur sympathiæ, mirabiles consensus, ex virtute fortasse elementorum in ipsis derelicta: C si non formæ tribuitur, aut agendi principio aut nexui, quo mixta copulantur; pleræque enim proprietates emergunt, ex illa mixtione, quæ sunt instrumentorum: aliæ totam substantiam insequuntur, quia nec sunt solius materiæ, neque formæ abstractæ, gentilitiæ: participant tamen de communi consensu, sicut elementa, ut in locatione & nexu universi; & de illo etiam participant quem habent partes inter se, & in toto: nam hæc etiam, plus minusve rarefacta, aut densata, ad loca elementorum in his prædominantium moventur; quo affinia sibi trahunt affinia, D similia, similia; & in coloribus hæc aut illa maxime repræsentant, de quo umbras accipiunt, seu de hac aut illa mixtione, plus aut minus, ut patet in coloribus, qui magis aut minus de extremis participant; sunt enim extrema album & nigrum, ex quorum mixtione diversa, cæruleus resultat viridis, aut alius ex mediis coloribus.

Unde quæ trahunt, ut adamas, magnes, & electrum, conveniunt in communi principio, per quod sunt actu talia; in spirituali virtute nempe E tractiva quæ est prorsus ignota; non enim talia operantur, per notas qualitates, sed per latens aliud in ipsis principium, quod hanc similitudinem attractionis parit, non in substantia, sed in eo principio: ideo forte ferrum non trahit ferrum, nec adamas adamantem, quantumvis sint in substantia similima; sic est philosophandum de mira eutrapeliæ sorte, mixtum nempe tale, aut tale, apparere, pro ut magis de hoc aut illo colore participat, in mixto aut in medio, per quam repræsentatur, sub hac aut illa locatione; sic viride F vitrum omnia viridia repræsentat; idem facit elychnium in oleo viridi accensum, & ex varia albi & nigri mixtione, & varii colores, sicut ex varia gravium & levium proportione, eutrapeliæ variæ & diversæ.

Pleraque etiam præter generalem consensum, & peculiarem sympathiam, ad actionem eliciendam prærequiruntur, si maxime alterius gratia fiant: ut facultas agentis, materiæ aptitudo, & debita & conveniens applicatio, ac justa miscibilium permixtio: nam si plura, aut unum horum deficiat, actio quidem frustratur, aut simpliciter,

aut

aut pro fine proposito; & aliquando major est agentis potentia, interdum minor quam postulat necessitas: ut prius quam inducat formam intentam, aut subjectum absumit aut liquat, aut in vaporem vertit, ut in magia chrysopoeia notavimus; ideo magna flamma pabulum moderatum in se ipsam convertit, aquam moderatam absorbet, aut in fumum vertit.

Impediunt etiam actionem quæ sunt natura aut ex eventu contraria, aut aliena: talia sunt quæ ob qualitates contrarias longe distant, aut ob spirituales & occultas, quæ contrariæ sunt; quæ refugere animam faciunt, ut quædam singularis aversio hujus aut illius cibi nobis monstrat: quare oportet illud non ignorare, quod contrariarum mixtionum, contrariæ quoque sunt formæ, & contrariarum formarum, contrariæ quoque sunt spirituales species in repræsentando. Deinde alia inepta sunt, ob substantiæ modum, ut durities, crassities, & mollities, & lentor; quæ certe tractionem aut expulsionem impediunt; & fortasse mixtionem: cumque conveniunt inter se, & agens & materia, sæpe applicationis modus deficit, seu quia ignoratur, aut ob figuram, vias aut foramina impeditur, aut laxa aut angusta; interdum contactum prohibet spiritualis contraria species aut vacui necessitas: mora interdum contactum impedit, & transit actionis occasio: sæpe actioni obstat partium situs, cum applicari nequeunt: propter hæc igitur, non omnia patiuntur.

Mirabiles tamen eutropeliæ ex debita agentis applicatione emergunt; mira est vis argenti vivi, & aëris inclusi in stricto: liquidorum nulli miscetur hydrargyrium, ob pondus fortasse, sed tantum durioribus, & non omnibus illis, sed auro, argento, plumbo, & stanno, quæ sola penetratione liquidiora reddit, de liquidis non curat, sed propter pondus residet: est enim tam fortis mixtionis, ut ad minima reduci queat, quod est plane necesse, ut continuum cum aliis fiat; est enim mirabilis illius compositio & mixtio; in illo enim partes calidissimæ, & urentes, cum frigidissimis, ita inter se in illa mixtione fermentantur, ut possibilem faciant unionem extremorum inter se dissimilium; nam reductis ad tam minimam quantitatem, & ita ordinatis, ut pene sese omnia tangant, & similia juxta similia, & juxta dissimilia sint: quod valde ad continendam mixtionem conducit; & propter ista durioribus miscetur argentum vivum, non liquidis: nam validam duritiem liquefaciunt partes calidissimæ, & penetrationem operantur; pondus autem frigidorum liquidis permisceri non permittit: quare natura symbolisat in communi principio cum auro, & argento, & plumbo, & in eorum poros, & minimas particulas inseritur: & insito & naturali motu & agitatione & movet, & movetur interclusis in stricto.

Ex hoc ipso principio, sanguis hirci mollescere facit adamantem; penetrat enim & se inserit in illius foramina stricta usque ad partes minimas: si non certa analogia, aut spiritu, qui est in ipso principio communi, aut in aëre qui in foraminibus continetur; nam etiam adamas habet aliam sympathiam in eodem principio, qua paleas & surculos trahit: hæc tamen spiritualis virtus in mixtis latet, forte ex mixtione, aut mirabili stellarum influxu, aliis in actu, aliis in potentia.

ARTICULUS II.

Horum consensuum exempla expenduntur.

Postquam ergo philosophis innotuit, quod universæ species rerum movent & inclinant ad se ipsas, ulterius progredientes, experti sunt, quod virtus activa in eis agit, & movet, tam ad se ipsas, quam ad diversas, ut cum ignis movet ad ignem, aqua ad aquam; ex quo Avicenna infert, quod dum aliquid stat in sale, fit sal, & quod stat cum aliquo audace, fit audax, si cum timido, timidus: & animal cum hominum conversatione fit humanum, & domesticum; & generaliter verificatum est, ratione & experimento comprobatum, quod omnis natura movet ad suam speciem: & harum rerum fit nota specificatio in qualitatibus primis, in secundis, & tertiis, & in omnibus dispositionibus; nihil enim quod non movet ad se ipsum, potest secundum totum esse suum; & hæc est radix & principium rerum, & est causa omnium secretorum; quod postquam in mentibus philosophorum fuit insitum, & invenerunt dispositiones entium naturalium, invenerunt postea quod quibusdam entibus inest; insita frigiditas excellens, aliis iracundia, timor aliis, & plerisque audacia, aliis sterilitas, multis innatus amoris ardor; & omnibus innata aliqua virtus, aut secundum totam speciem, aut totum individuum; velut in meretricibus audacia, non per totam speciem humanam. Ex hoc philosophi venerunt super secreta, & grandia mirabilia, cum viderent quod simile simili gaudet, & ad illud movetur, diligit & amplectitur illud; ideo dicunt Medici, quod hepar juvat hepatem, & quodlibet membrum suum simile; & Chymici illud manifeste invenerunt, quomodo natura suo simili gaudet, & illi condolet, & conspirat; & in hoc stat naturæ major mirabilitas operum.

Hoc etiam experimento & scientia constat, quod omnis species naturalis, & omnis tam generalis, quam specifica natura amicitiam aut inimicitiam cum aliis sortitur: & quod omnis species habet aliquid timendum, aut horribile inimicum, vel destructivum: similiter & aliquid exultans vel lætificans, & concordans; nam ovis lupum agnoscit, non tantum vivum sed mortuum, non tantum per visum, sed per tactum: lepus canem, cata murem: & omnia quadrupedia leonem timent, aquilam volatilia, & omnia animalia hominem; homo etiam, serpente repente viso, exhorrescit: & illud est natura comparatum, ut quædam secundum totam speciem, & secundum omne tempus, & alia tantum secundum individuum, & secundum certum tempus; & nativa antipathia est etiam ad totum, & ad partem, in vita & in morte, ut patet in pelle ovis & lupi: nam lupi tympanum, facit tympanum ovis obmutescere, & raucum edere sonitum: & lupi pellis pellem ovis consumit.

Illud etiam patet in illo generali consensu, in quo finis rerum omnium naturalium est homo, propter quem omnia facta sunt, & ipse vincit omnia: ideo homini habent insitam obedientiam omnia naturalia: quia totus homo est mirabilis:

in eo enim ſunt omnes conditiones harmoniæ,& calidi & frigidi elementorum temperati; in eo imperat anima immortalis, in qua reſidet prope divina mens: ideo continet imminenter omnes virtutes rerum, quas ad tempora profert; & adhuc dæmones humanam naturam venerantur; & in humano corpore operantur, omnes ſecretæ artes,& omne mirabile eſt in ipſo; ſed non habet homo omnia ſecundum idem tempus, ſed diverſis temporibus, ac diverſis individuis; ideo invenitur in eo efficacia omnium rerum naturalium, inſenſibilium & vegetabilium, quarum virtutes continet imminenter, in verbis,operibus,& imaginationis efficacia; ſed quæ ſunt partis ad partem, non declarantur ratione, ſed experientia; illa tamen quæ poteſt operari, non operatur, quia neſcit quando illam diligenter mens certificat; & ideo rem contemnit de qua uſum non habet; nec omnis ſapiens omnes rerum proprietates callet: tot enim mirabilia ſunt in aqua quot in terra,ſed ſunt plane diverſa;& tot in hyoſchiamo, quot in pipere.

Eſt etiam mirabilitas rerum ab ſtellis,& aſpectibus, à quibus virtutes occultas contrahunt admirabiles ſecundum diverſas mixtiones patibilium,& interdum efficaciam operandi rem mirabilem; nam res omnis habet propriam figuram cœleſtem ſibi convenientem, ex qua ei mirabilitas accidit operandi; inde eſt amicitia & diſſenſio rerum; inde philoſophis cœperunt omnes experientiæ; ſed non omnibus, dixit Plato, ſed clariſſimo ingenio expeditis, & entium naturalium ſcientibus,& figuris ſtellarum peritiſſimis. Nam qui doctus non fuerit ſcientia naturali, Necromantiæ, qua immaterialis ſubſtantiæ,& ſpirituales proprietates & ſpecies noſcuntur,quod eſt in rebus de bono & de malo, artem nequibit intelligere, neque philoſophorum experimenta verificare. quia hæc omnia pendent à figura cœleſti, quæ cuique correſpondet; in hora generationis & interitus, ſecundum victoriam, gaudium, aut triſtitiam rerum; jubent enim iſti viri omnia iſta fieri certis diebus, certis conjunctionibus & ſeparationibus aut aſcendentibus, à quibus virtutis efficacia, ſermonibus & præparationibus herbarum, impartitur: quin etiam & imaginationis imperio.

Plato, mirabilitas rerum,dixit,exit à rebus ſecundum modos valde diverſos: plerunq; per utilitates cœleſtes, ipſis rebus impreſſas: interdum per calidum & frigidum, amicum & contrarium: interdum per dæmonum virtutes & geniorum; aliquando per artem Necromantiarum naturalium; per artem, nempe, applicandi eas ad opus neceſſarium: plerunque per virtutes alias rebus inſitas, cum ſuis formis ſubſtantialibus; ac tandem per relationes, quæ ſunt in rebus invicem, veluti per ſpecula, certa lege oppoſita, & per opus mirabile Teleſcopii; per quæ in rebus apparent mirabilia: & verum æmulantes eutropoliæ: quæ res plerunque per ſe faciunt unum: per accidens, contrarium: aliquando directe, interdum indirecte, per veram dialecticam & aſtrologiam; quas qui ignorat, philoſophorum theſaurum non communicat, ut aſſeruit Plato: debet enim arcanas agnoſcere virtutes, quæ conſiſtunt in mobilitate, conſtructione, in modo ſubſtantiæ, & in convenientia cum aliis; ex quibus rebus naturalibus eſt principium mirabilis effectus; hæc ſi teneas, tibi patebit aditus ad mirabilia Medicinæ, ad arcana magica & Necromantica; & ſecundum diverſum modum tuæ excogitationis & ſolertiæ, varia etiam tu poteris effingere; & intromittam te ut te ipſum adjuves, & præpares ad recipienda quæ dicam, aggregata & collecta ex philoſophis & diverſis antiquis. Et illa mente tene, gnarus, quod res calida calidas paſſiones per ſe movet, & adjuvat, & per accidens & indirecte, frigidas.

Quare ut varia tibi innoteſcant experimenta, primo illud attendas decet, de rebus quæ parantur an calida, an frigida ſint: & quæ proprietas & diſpoſitio illis ſit naturalis & coæva; & utrum in agente ſit audacia, timiditas,amor,odium,fœcunditas, aut ſterilitas; quia qualem naturam unum quodque entium ſortitur, talem actionem imprimit, & communicat iis quibus aſſociatur; nam illa ſibi aſſimilat:ut leo,qui habet audaciam naturalem, & maxime in fronte & in corde; ideo qui aſſociat ſibi oculos leonis,aut cor, aut pellem quæ eſt inter duos oculos; vadit ubique audax & intimidus: & incutit timorem cæteris animalibus; nam in leone eſt virtus communicandi audaciam, & magnanimitatem; ſimiliter in meretrice eſt audacia interminata individui ratione, non ex natura: ideo dicunt philoſophi, quod ſi quis induat camiſiam meretricis publicæ, aut ſe inſpexerit ſpeculo, aut illum ſecum duxerit, quo ſe ipſam ſpeculatur, quod mirabili audacia fulcitur, & omnem timiditatem excutit: ſimiliter in gallo eſt audacia magna, ut philoſophi dicunt, quod leo in illius aſpectu obſtupeſcit,& pavet,& ideo ſi quis illius cor portet, vadit audax: idem conſidera in quocunque animali audaci: idem etiam ſuo modo communicat & ſterile animal per naturam, & eſt efficax ad ſterilitatem inducendam, aut per ſe, aut per accidens: ideo pellis muli aut mulæ, aſſociata, ſteriles facit & viros & mulieres: idem parit & fœtus abortivus, & homo ex natura aut eventu eunuchus; quoniam omnibus his eſt inſita & nativa ſterilitas; & aſſimilant ſibi in hoc aut virum aut mulierem,quam aſſociant ſibi, ſeu intus ſumpta, ſeu ad extra ſuppoſita; veluti ſi corio muli renes, aut corpus per tranſverſum alligatur, aut pulvis renum maſculi, aut matricis fœminæ in aqua propinentur.

Si vero eſt animus amorem concitare, philoſophi attendunt quod maxime diligit animalium; & qua maxime hora, aut tempore ſtimulis incitatur concupiſcentiæ, quia in ea eſt potentior vigor, ut illum, cui aſſociatur ad amorem, provocet; & ſic ex illo animali accipiunt teſticulos, aut partem in qua maxime viget appetitus amoris, ſeu ſit cor, teſticuli aut matrix; & de his partem exhibent illis, in quibus intendunt amorem provocare; ex maſculo ad fœminam, ex fœmina ad virum, ut fœminæ maſculi teſticulos; cor & matricem viris: alii exhibent menſtrua & ſecundinas; (fœda ſane auxilia, & non à veneni ſuſpitione aliena.) Et ſi quæras, an virtus mortuo animali remaneat; illud non dubitabis,ſi conſideras, quod proprietas illa ſequitur mixtionem elementorum, cœleſti influxu coagmentatam, quæ remanet in mixto mortuo animali. Patet, nam

hepar

hepar juvat hepatem, pulmo pulmonem mortuo animali; chelidonia juvat oculos è terra avulsa,& exsiccata: & morsis à crocodilo, est auxilium adeps ipsius animalis, & à phalangio emortuum applicitum phalangium, si credimus Galeno *de Theriaca ad Pisonem*, 10. quia etiam hirundo multum diligit, ut dixere philosophi,ideo quoque ad amorem concitandum deligitur, ut turtur & columba; sed omnium maxime passer, in illa maxime hora quando illa capiuntur amore; tunc enim maxime provocant, & inserunt amorem, forte ex influxu cœlesti, qui tunc temporis species, quas in prima mixtione inseruit, concitat, & ad actum deducit.

Idem etiam considerant in herbis, nam illas evellunt & propinari imperant, cum vigorem potiorem accipiunt ab influxu cælesti, qui illis correspondet ex motu peculiari stellæ, aut planetæ in exaltatione: & hoc per tempus noscitur, quo hujus herbæ virtus, vigor, & splendor, elucet; habent enim sua tempora herbæ: & hinc forte ortum traxit, ut Hypericon, verbena, & filicis semen, (nostro idiomate *el grano de helecho*) in die Sancti Joannis Baptistæ, apud omnes nationes festivo colligantur, & ad amorem inducendum propinentur.

In hac linea etiam illud experimentum protulerunt: ut faciant loquacem hominem, de corde, aut de lingua canis parum bibere imperant: ut faciant delectabilem, & fœcundum, philomelam associant: judicant enim virtutem seu proprietatem naturalem, quæ in aliquo entium reperitur, secundum excessum naturalem assimilare, promovere aut inclinare dispositum ad illud, ad quod vigor naturalis inclinat; & illud posse magis juvare quam nocere, si hora exultationis & influxus applicentur:est enim illud insitum à natura, & omnis virtus quantum est in se, movet ad simile, quando fortiores exerit vires.

Dixit Plato *lib.* 1. *regiminis*, quædam sunt, sensibus manifesta, de quibus non est ratio inquirenda; & quædam sic rationi patent, à contrario, ut sensuum adminiculo non indigeant: in primo genere entium, nulli nisi experientiæ est credendum; nec ibi est inquirenda ratio, nec experientiæ satisfactio deneganda: in secundo entium genere, sensuum suffragia non expecta, quia neque possunt, nec valent persentiri: quare quæ sola monstrat experientia, illis sine ratione est credendum, cum omnes humanos sensus lateant; & quæ sola ratio demonstravit, soli est credendum rationi, quia illa omnem superat sensum. Hoc patet in magnetis exemplo; ita enim manifeste trahit ferrum, ut nulla hæc experientia ratione indigeat. Sic pariter in aliis debemus judicare, quantumvis mirabilia videantur, nec omnino negare quod videtur extra nostram capacitatem exultare; licet nulla sit ratio assignabilis: quia causæ omnium mirabilium sunt latentes; nec omnes patent humano intellectui: videmus quod magnes trahit ferrum, charabe paleas, alius quidam lapis trahit vitrum: sic in aliis entibus sunt sua mirabilia, jam per experientiam comprobata, quæ nullus prudens negabit, & tamen illorum causas ignoramus: in palma est masculus & fœmina; & si prope ferantur, fœmina ad masculum inclinat, & certo tempore folia cum ramis molliora, redduntur, certa amoris lege: & si per funes ad invicem ligantur, erecta supra seipsam fœmina mascula adaptatur, quasi per funis continuationem ad illam communicetur virtus masculi: hoc etiam in omni vegetabili considera; quis hæc mirabilia negabit; si vel ad sensum patent; quædam tibi narrabo ut credas quæ nulla ratio comprehendere valet, & alia quæ nullus sensus non percipit.

Dixit filius Mesue, *libro de animalibus* Si induit vestimentum viri mulier fœta, deinde induat ipsum vir, antequam ipsum abluat, recedit ab ipso febris quartana: & si qua mulier te ligavit veneficiis, inquit, ad amorem suum, & vis illud dissolvere, accipe camisiam suam, & per capitium ejus minge foras, & per manicam ejus dexteram: & non curabis de ea; hæc Mesues. si quis illa de superstitione suspecta judicaverit, pactum renuntiando, (ut nos antea fecimus) peregit partes suas; & in eodem libro de animalibus legitur, quod leopardus fugit ab hominis cranio ut ab hoste, & *in lib.* Galeni *de Theriaca* legimus, quod regulus, (serpens venenosus,) solo visu & sibilo, omne animal & hominem interficit. Rhabarbarum scimus trahere bilem; agaricus pituitam singulari sympathia & analogia: parvus pisciculus echenis navem detinet: chelidonia juvat oculos; Galenus *lib. de Simpl. facult. cap.* 4. mirabilem historiam enarrat de quadam herba, quæ singulari analogia sanguinem attrahebat, quod nullum antea nec postea expertum legimus. Auctor est Aristoteles, ut qui sedet super pellem leonis, quod recedunt ab eo hæmorrhoïdes: & si tumentes adhuc mero vino lavantur, & pulvere priapi & testium tauri aspergantur, quod desiccantur adeo, ut brevi persanentur; non sola siccitate, sed peculiari etiam analogia.

Plerique philosophi dixerunt, si annularem digitum abortivi pueri suspendat super se mulier, quod non concipit, donec super ipsam permaneat: nec etiam concipiet, si bibit arietis urinam; aut leporis sanguinem; & si stercus leporis suspendatur super mulierem, non concipiet donec permaneat super eam: dixerunt alii, si caput capræ super habentem scrophulas suspendatur, quod sanatur per ipsam; & si rarum arsenicum accipias, & alumen, & bene triturata cum succo sempervivæ, & felle taurino excipiantur, & hoc manus illinas, ignem sine læsione tractare, & portare facile poteris; ut & ferrum ignitum, ita illæsa carne, ut illud manus tuas non comburat.

Ex principiis naturalibus etiam mirabiles necromantiæ eutrapeliæ, sub variis apparentiis tibi videre dabitur. Et primo ut homines in domo sedentes, aut stantes sine capitibus appareant; accipe sulfur citrinum cum oleo, & pone ipsum in lampade, & illumina cum eo in medio hominum, & videbis mirabilia. Dixit Balbinus, qui posuerit portulacam super lectum suum, non videbit somnia nec visiones. Dixit Tabariensis, si lingua upupæ suspendatur super patientem oblivionem, quod reddit illum memoriosum. Et legitur in libro Cleopatræ; Si mulier non delectatur viro suo, accipe medullam lupi, de pede sinistro, & portet eam vir, & nullam diliget præter eum. Ibi etiam legitur, quod si accipitur coxa strutionis masculi, sinistra, & bulletur cum oleo, deinde

deinde liniuntur cum eo origines pilorum, quod nunquam renascentur: deinde si spolium serpentis stringatur super ancham mulieris fœtæ; quod accelerat partum. dicunt alii, quod si quis gerit oculum lupi, hoc juvet ad victoriam & audaciam; & ad debellationem & timorem contrarii.

Si vis ut tibi referat, quod fecit vigilans mulier, aut puella, inter somnia; accipe cor columbæ, & caput ranæ, & exsicca illa, & ad pulverem redige, & pulveres sparge super pectus dormientis; & narrabit tibi omnia. Scripserunt philosophi, quod si quis ponit adamantem super caput dormientis mulieris, quod manifestat si sit adultera: quoniam si ita est, resilit territa de lecto, & non amplexatur virum suum cum gaudio. Et si suspendatur cor upupæ, aut oculus, aut cerebrum supra se ad collum, confert oblivioni, & hominis intellectum subtiliat. Et si suffummigetur domus cum ungula muli sinistra, fugiunt muscæ è domo.

Si mulier non valet concipere, accipiat de cornu corvino pulverisato, & misceatur cum felle vaccino, & teneat mulier in actu matrimonii, & statim concipiet. Si vis scribere literas quæ non leguntur nisi nocte, scribe cum felle testudinis aut lacte ficus, aut cum aqua vermis illius quæ in nocte & in obscuro lucet; & pone cartam ad ignem, & leges illam.

Si te delectant Eutropeliæ & has velis effingere, ut homines sine capitibus appareant, accipe spolium serpentis, auripigmentum & picem græcam, reuponticum, & ceram novam apum, & sanguine asini, tere omnia & mitte in rudi olla & aqua plena, & ebullire facies ad lentum ignem, & postea demitte frigescere, aqua consumpta, & facies cereum ex illis quæ in fundo ollæ relinquuntur, & accende illud; nam omnes quos illuminat, apparent sine capite.

Ut homines capita animalium habere videantur, accipe sulfur vivum & lithargyrium, & istis simul pulverisatis, sparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virgine quæ permixta sit cum felle illius animalis, cujus caput vis ut appareat, & qui habent candelas, accendant de lampadis igne; & capita illius animalis habere videbuntur.

Præpara vinum cum valdimonia, infusione nempe, per horas 24. de quo vino qui biberint, suadentur se habere capita animalis. Ut homines videantur habere vultum canis, accipe adipem de aure canis, unge ex eo parum de bombicino novo, pone in lampade nova de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernent vultum canis. Si vis ut ampulla saltet, aut vas stricti oris; accipe argentum vivum, & pulverem calamintæ, & mitte in ampullam vitream, ligatam & sigillatam, & illam pone intra rem calidam, & mox argentum se movet, & facit ampullam saltare.

In nido upupæ invenitur lapis diversorum colorum, hanc, dixere veteres sapientes, si tecum deferas, quod te reddat omnino invisibilem. Ut homo invalidus reddatur, & eunuchus, accipe vermiculum qui noctu in æstate lucet, & in aqua & succo limonum dissolutum da ei bibere. Ut mulier loquatur totum quod die fecit; ranam aquaticam comprehende vivam, & tolle ejus linguam, & demitte illam ut ad aquam suam revertatur, & pone illam linguam super latus cordis fœminæ dormientis, & interroga illam, & omnia narrabit quæ in die peregit. Si vis aliquem in somno expavescere, capiti ejus impone pellem simiæ.

Ut homines videantur elephantes, aut equi, accipe de alchechengi parum, & tere & misce cum pinguedine delphini, & fac ex eo grana ficut citri; Deinde suffumiga ex eis super ignem stercoris vaccæ quæ mulgetur, & non sit in domo locus per quem egrediatur fumus, nisi porta, & sit larga de intus; nam omnes qui sunt in mansione, quasi elephantes videbuntur, aut equi. Ut videantur formæ multiformes & alia mirabilia appareant; accipe tima, id est, vermilium & lapidem lasuli; & pulegium montanum, & pulverisa totum, & cribilare facies, & confice cum pinguedine delphini, vel equi, vel elephantis, & fac grana in modum ciceris, & in umbra exsiccari permittes, & suffumiga, quando volueris apparentias videre.

Ad prænoscenda quæ ventura sunt, alia suffumigatio imperatur: accipe sanguinem asini coagulatum, & pinguedinem lupi cervini, & stiracem calaminthaın, & misce ponderibus æqualibus, & confice grana, & suffumigetur cum eis domus, & in somno, mira videbis de futuro ventura.

Lichinium, ad videndum homines in alia figura, & qua forma desideras, accipe oculos bubonis, oculos etiam piscis qui dicitur *asseres*, & oculos piscis qui dicitur *libinitis*, & fel luporum, contrita illa omnia manibus commisce, & pone ea in vase vitreo, & cum vis operari, accipe pinguedinem cujuscunque bestiæ, quod fiat hoc in forma ejus: liquefac eam & permisce cum ea medicina, & inunge ea elychinium quodcunque vis; deinde accende ipsum in medio domus, & videbuntur homines in forma bestiæ cujus pinguedinem accepisti.

Lichinium aliud ut homines appareant in forma angelorum; accipe oculos piscis, & oculos *siloë*, id est frangentis ossa; & contrita eos in manibus malaxando, & pone eos in vase vitreo septem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi, & pone ipsum coram hominibus qui sunt in cubiculo, & apparebunt angeli. Ut appareant homines nigræ faciei, accipe lampadem nigram & in funde in illa oleum sambucinum, vel argentum vivuum, & infunde in isto aut in illa parum de sanguine phlebotomantium, & accende lampadem cum pannis nigris intinctis in illo, & videbis mirabilia cum se ad invicem aspiciant. Ut appareat homo terribilis cum virga in manu sua, accipe ranam vivam, & decolla eam super pannum exequiarum viridem, madefac ipsum in oleo sambucino, & pone ipsum elychnium, & illumina cum eo in lampade viridi, & videbis nigrum infantem, inter cujus manus sit lampas.

Lampas alia, faciens apparere homines in forma horrenda, quæ terrorem incutiat; Sic conficies: accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non sit albedo, & aliquid ex pinguedine ejus, liquefac pinguedinem, deinde accipe pannum exequiarum, & fac ex eo lychinium, & illine ipsum cum eo quod fecisti; & illumina cum illo in lampade

pade viridi, cum oleo sambucino: & accende ipsam in domo, & videbis magna.

Aliud ut videatur tota domus plena serpentibus, & imaginibus, accipe pinguedinem serpentis nigri, & spolium serpentis nigri, & pannum exequiarum, & fac lichinium ex illo, deinde line ipsum cum illa pinguedine, & pone spolium serpentis in concavo lichinii, & illumina cum oleo sambucino, in lampade viridi, aut nigra.

Lampas alia quæ accenditur & oleo extinguitur; accipe calcem vivam, & æquali pondere ex cera, & medietatis ejus ex oleo balsami, & nepeta citrina, cum æquali portione sulfuris, & fac lichinium, & desuper irorabis cum aqua, & accendetur ignis; postea projice super illud oleum, & extinguetur.

Ut omnia alba vel argentea videantur, accipe lacertam, abscinde caudam ejus, & accipe quod exit simile argenti vivi, deinde accipe lichinium & madefac cum oleo, & pone ipsum in lampade nova & accende; & domus tota argentea videbitur.

Lampas quam quis tenuerit non cessabit pedere, dum eam tenet: accipe sanguinem testudinis, & exsicca illum super pannum lichinii, & fac ex ipso lichinium, & accende ipsum in lampade, & dabis ipsum cui vis, dicens *illumina*, & non cessabit pedere, donec tenuerit.

Si vis ut ranę omnes sileant, in stagno aut fluvio, accipe pinguedinem crocodili & confice ipsum cum cera ad solem, alba, & fac ex eo lichnium, & in lampade illumina cum illo in loco ranarum, & tacebunt omnes.

Ut appareant homines ceu imagines & lampades, accipe Zimat, & tere bene, & accipe pannum funeris & madefac ipsum in pinguedine piscis, cum oleo sesamino puro, & pone ipsum in lampade viridi, & pone super ipsum ex illo medicamine contrito rem parvam, & fit mirabile.

Aliud ut cum accenditur, faciat stantes saltare, exultare, & prę gaudio insanire, accipe sanguinem leporis, & avis quæ dicitur *Solon*, & est similis turturi, & æquale medietatis ejus, de sanguine turturis maris, infunde in eum lichinium, & illumina cum eo in medio domus, ubi sint cantatrices puellæ.

Ut stantes & sedentes in domo, extenuati ac macilenti appareant; accipe locustam citrinam, & exsicca ipsam, & pone in panno exequiarum, & incende ipsum oleo sambucino, in domo ubi sunt omnes illi.

Ut domus universa, aut corpus, aut pars illius ignis flamma accendatur, absque ulla læsione, accipe malvaviscum album, confice cum albumine ovorum, deinde line cum eo aut corpus aut partem aliquam, & demitte donec exsiccetur; deinde line te cum albumine, & postea pulverisa super ipsum sulfur subtile, cum igne accende: & non comburetur corpus, nec te lædet: vel accipe gluten piscis, partem unam aluminis æqualem, misceantur, & fundatur super illa acetum vini, & conficiatur cum eo quod vis; & cum hoc lenimento leniatur, & non comburetur in igne; vel addito etiam de sanguine Salamandræ, & in vola manus ignem portabis absque læsione, neque res ad ignem projecta comburetur.

Ut lampadem aperta manu extinguas, & clausa accendas super illam; accipe speciem quæ dicitur spuma inda, tere eam, & confice cum aqua camphuræ, & line cum ea manus tuas, deinde aperi eam in facie lampadis accensæ, in debita distantia, & extinguetur lumen ejus; claude deinde manum, & reaccendetur.

Si vis libros clarissime legere in nocte obscurissima, & quæcunque aspicere clara distinctione, unge faciem tuam cum sanguine vespertilionis.

Si vis ut fructus sponte sua decidant de arbore sua, ut de citro, aut alio: accipe sulfuris citrini quinque partes, totidem nigri, duas albi, hæc omnia cum cinabrio misce, & contere, & fiat suffumigium, & ad truncum arboris suppone, & omnes cadent fructus.

Si vis manu tua portare ignem sine damno, & ferrum ardens tractare; accipe calcem dissolutam in aqua fabarum, calida malvacisci parum cum albumine ovi, & aliquantulum magrunculis, line volam manus, permitte exsiccare & pone ignem super eam, & non tibi nocebit: vel accipe gluten piscis, alumen jumenum, sanguinem salamandræ, foliginem furni, vel lebetis, & cum albumine ovorum & malvivisco permisce, aut ejus succo, ut fiat lenimentum, quo ungatur pars, & non nocebit ignis.

Ut domus aut cubiculum appareant serpentibus plena, accipe de pinguedine serpentis, & parum salis pone in ea, & accipe pannum exequiarum, & scinde ipsum in quatuor frusta, & in totidem pinguedinem, & pone ipsam in omni panno; & sic facies quatuor lichinia; quæ accendes in quatuor angulis domus cum oleo sambucino in lampade nova, & fiet quod dixi.

Ut res mirabiles appareant in domo, veluti viridaria, res virides, & passeres, & aves: accipe pannum exequiarum recentem, & pone eo cerebrum avis & pennas caudæ avis, & involvendo, fac ex eis lichinium, & pone ipsum in lampade nova viridi, accende ipsam in domo, cum oleo olivæ, & res domi fient virides, & nigræ.

Ut domus plena imaginibus terrificis, & serpentibus plena videatur; accipe cutem serpentis, & sanguinem alterius serpentis masculi, & adipem alterius serpentis, & aggrega illa tria, & pone ea in panno exequiarum, & accende ipsa in lucerna nova & videbis magna.

Ut facias lucem ambulantem, accipe cutem lupi & cutem canis, & fac ex utrisque lichinium, & accende ipsum cum oleo olivæ, & statim movebitur.

Aliud pene mirabile, ut ferrum ignitum portes, & super ambules sine læsione; accipe succum bis malvæ, albumen ovi, semen psylii, & calcem, & pulverisa, & confice cum succo rafani, ad modum lenimenti; quo totum corpus illine aut volam manus, aut pedum plantas, & permitte siccari; & postea iterum illines, & audacter poteris ignem, aut ignitum ferrum sustinere: & si vis ut videatur ardere illud ignitum, sparge supra de sulfure vivo bene pulverisato, & videbis comburi sine noxa: vel cum aqua fabarum calida calx dissolvatur, & modicum terræ rubræ de Mesina, postea parum malvavisci adjicies, quibus simul mixtis, palmam illines, & siccari permittes; & ignem portare poteris.

Si vis ignem Græcum parare qui non extinguitur, nisi urina, aceto, aut arena: accipe, sulfur vivum, tartarum, sarcocolam, picolam, sal coctum, petreolum, & oleum commune, fac bullire bene; & postea quidquid in eo imposueris, accendetur, seu lignum, seu ferrum sit.

Ad varios usus, aquam ardentem hoc modo parare facies; accipe vinum nigris potens, & vetus, & in quarta parte ipsius distempera calcis vivæ, sulfuris vivi, pulverisati, tartari, vini albi, salis communis grossi, cujusque parum pone in cucurbita bene obturata cum luto, & desuper posito alambico, aquam ardentissimam distillabis, quam vase serva vitreo.

Libri omnes, in membranis scripti, in quibus rerum naturalium mirabilia ab Adamo, ut infusa sapientia adornato, posteritati erant deposita; omnes pene diluvio universali periere: si quos postea Noa filiis commendavit, qui potius in orbe reparando studuit, hos temporum & cladium ruina alta oblivione sepelivit: postea Philosophi, & clariores viri, in rerum naturalium contemplatione defessi, ciciderunt; ex illis parvæ tantum quædam luces, veluti à longinquo scintillant; ex quibus hæc haud certe mediocri labore colligere decrevimus; & qualia ab illis accepimus damus talia: nec in illis deficit ratio naturalis: nam maxima radix experimentorum naturalium stat in hoc, ut eligatur materia paratissima ad illum quem optamus effectum, & agnoscatur agens aut debilis, aut fortis, ut etiam rerum proprietates & analogiæ; agentis & patientis efficacia, & debita distantia: ut cum videmus quod aqua accendit ignem, causam talis effectus debemus perpendere; ut activitatem agentis & passi dispositionem, ut talem actionem recipiat, aut per se, aut per accidens. quod si prius attendas, non miraberis.

Hæc omnia mirabilia hoc unico exemplo palam fient; si vis facere carbunculum aut rem lucentem in nocte; accipe de rebus quæ majorem lucem participant, ut nocticulas lucentes multas, & ipsas contritas pone in ampulla vitrea, & claude & sepeli illam in fimo equino calido, & demitte per 15 dies, postea distillabis ex illis aquam, per alambicũ, quam in vitro chrystallino depone; hæc aqua talem claritatem affert, ut in noctis obscuro, & legere & scribere possis illius sola luce. Similis fit etiam ex nocticulis felle testudinis, felle mustelæ, furonis & canis aquatici, & in fimo distillantur. Volans ignis sic agitur; accipe sulfuris, carbonis, salis communis & petrosi, & in tunica de papyro volanti in pulvere ponantur; sed hæc omnia mirabilius facit tormentarius pulvis. Multa excogitavit Paracelsus; & tam nova quotidie videntur pullulare, ab hujus fœlicissimi sæculi studiorum ingeniis; ut hæc jam pene obsoleta videantur.

ARTICULUS III.

De admirabili imaginationis efficacia, & potentiarum magica sympathia.

Mira est etiam imaginationis vis & efficacia, non tantum ad producendos mirabiles effectus ad intus, sed etiam ad extra; omnis illius cognitio per spirituales species celebratur; spirituales dico respective, respectu aliarum, quæ sunt magis corporeæ; repræsentant enim illæ non tantum res quarum sunt species, sed etiam rerum modos & figuram, situm, locum, magnitudinem, motum, & quietem, simile aut dissimile: sed inter modos illos, sunt maxime intrinseci, convenientia & disconvenientia ejus quod animæ offertur: res enim oblata in anima recipitur, ut amica & conveniens, seu veluti ingrata & disconveniens: & hi sunt primi & simplicissimi consensus, & dissensus phantasiæ, & imaginationis: è quibus duo etiam effectus primi & simplicissimi producuntur in anima; rationes nempe convenientiæ, aut disconvenientiæ.

Ex quibus etiam duo alii effectus ab anima in corpus producuntur: constrictionem nempe & dilatationem; quippe recepta ingrati & disconvenientis specie, fit animæ constrictio, & in membro ex animæ imperio, quod magis ab illa disconvenientia lacessitur, eadem experitur; recepta vero grati, & convenientis specie, laxatio & dilatatio animæ accidit & in membris maxime, quæ illi delectationi serviunt; sed hi motus ab anima incipiunt, & in membris certe recipiuntur; anima enim est principium motus, quia forma; & illi est coævus, quod spiritualis, in Platonis doctrina: *Nam quidquid à se movetur*, inquit, *& principium motus ab alio non sortitur, spirituale est: quo anima immortalitatem probare nititur.* Non ergo repugnat habere varias habitudines ad motum; continet enim virtute & imminentia, quod in prædominio elementum; & qua forma cognoscens dirigit, ad cognitionem motus, semper ad conservationem, seu fugiat, seu amplectatur, conveniens, seu disconveniens.

Dilatatio autem, & constrictio membri, seu quomodolibet motus imperetur ab anima, debet fieri mediis spiritibus ad noxam fugiendam, seu amplexandum utile; quo in opere est certe concitanda irascibilis, aut concupiscibilis potentia, quæ corpora conservant & tuentur, in quarum concitatione, & sanguis & cæteri corporis humores commoventur; quo cernimus miras in corpore passiones concitari, tristitiæ, gaudii, odii, aut amoris: & inde varias ægritudines ab anima in corpus refluere, ut etiam animadvertit Plato, temperiem everti: ac varias fieri transmutationes in rebus, varii docuerunt eventus, & enarrant historiæ, quibus otium non suppetit: tu vero has per otium leges in Marcello Donato, *lib. 2. de Hist. mirabil. cap. 1.*

Omnis species quæ in anima recipitur, aut est sub ratione convenientis, aut disconvenientis: ad has autem, aut constrictione aut dilatatione corpus movetur: ab his etiam & alii deinceps fiunt, & admirandi motus, in eodem membro aut aliis annexis, quibus maxime species dirigitur; quippe accepta nocentis specie, & facta constrictione, sæpe paulo post dilatatio quoque fit, & sæpe tam vehemens & subita, ut inde admirandi & sæpe contrarii effectus pariantur; siquidem constrictione fit, ut tangatur nocens, secundum minimum quod potest: dilatatio vero mox fit, quoniam illud quod tangit, diu ferre non valet illum contactum: tum quia ut mixtum vim patitur nimis adstrictum, tum quia ut sentiens eo

in situ persistere non potest; quibus de causis repentina laxatio fit, & sæpe tanta, ut excutiatur nocens: quod si excuti non datur, sed necessario instet & insistat, tunc alternatim fit nunc dilatatio, nunc constrictio: & sic aut membrum movetur, & quiescit, aut motu tremulo agitatur, composito ex dilatatione & constrictione; ac ideo mirabilia in timore observantur: & varia in delectatione: diversa in verecundia; quibus & sanguis & spiritus, & cæteri humores quadam veluti necessaria consequentia, aut foras expanduntur: aut ad intus repulsi in cordis involucris, in sinubus,& vasis coërcentur; ut non sit mirum, si sibi miseram asciscat mortem, aut noxam inferat, qui rem cogitat miserabilem, aut futuram prævideat miseriam,aut mortem, ad vehementis passionis excessum.

Pleraque etiam phantasia confingit, ex animæ imperio, veluti in vehementis passionis, aut desiderii excessu, ut prægnantibus accidit, quarum in filiis delinquuntur veteris vestigia mali, ante desiderati: & signa rerum quas vehementer cupierunt: sic enim perinde accidisse adnotavit Hippocrates; (horum nec vana fides) *libro de Superfœtatione* ante medium; *si qua prægnans*, inquit, ***terram edere concupiscat, aut carbones, eaque vehementer edat, in capite pueri, ubi natus fuerit, signum à talibus apparet.*** Videtur enim labem in sanguine contractam, in pueri membra medio facultatis formatricis descendere. Siquidem percepta à cogitatrice convenientia, anima imperat appetitui, is, ex illis quæ in corpore sunt, quod novit proportionatum, movet, præcipue in sanguine, ex quo cum nutriatur fœtus, signa infecti alimenti relinquuntur,& maxime coloris, quo fit, ut signa maxime rubentia in corpore supersint: ut & alia signa ex patre, aut ex matre, in forma aut figura, aut forte rei conceptæ vehementer, quam facultas formatrix, in hoc aut illo semine derelicta, ex forma appetitus delineat; & impressa demittit ex animæ imperio.

Nec illud erit mirum sapienti, cum videat, ex sola imaginationis efficacia, castissimam mulierem intuentem Æthiopem depictũ, filium veluti Æthiopem genuisse: nam hæc,& pleraque alia mirabilia, formatrix facultas delineat in semine deposita in virtute parentum, prout excessus imperat, & intenta cogit imaginatio; hæc enim videtur in corpore talem mixtionem producere in sanguine, & cæteris humoribus, ut non ad colorem tantum, sed ad formam & figuram, quam intendit, disponat; non in proprio subjecto tantum, ubi anima imperat, sed actiones ad extra producendo: hæc enim omnia habent præexistentiam in naturæ arcanis, sub hac aut illa mixtione, prout enti producendo conducit; naturæ enim vis atque majestas in omnibus momentis fide caret.

Nec est minus mirabile quomodo phantasia cæteris membris imperet, & consentiat; sub convenientia aut disconvenientia rei perceptæ: hoc enim accidit non tantum ex generali & communi consensu, sed ex peculiari hujus animæ in hoc corpore, cujus conservationem intendit: est enim hic consensus, quædam veluti invitantia potentiarum, & maxime cum corde & cum cerebro; cor enim eisdem speciebus afficitur, quibus ipsa phantasia movetur; non quod illas agnoscat, sed quod ab anima cognoscitiva ab illis informata imperetur; cui certe imperio, cor, convocatis spiritibus cum propria attractiva potentia, aut expulsis ab expellente, supra quam credi potest, consentit, & ad opus imperatum concurrit, atque iis, uti suo ministerio famulantibus, utitur: intellectus enim actiones, cordis actionibus consentire, ac illas peculiari consensu movere, quatenus propriæ conservationi conducit, manifestum est. Patet enim, iræ aut odii manifesto exemplo; concitatur ex suppositione intellectus, vindictæ desiderio, ex cognitione injuriæ illatæ; mox cordi communicat species inferentis injuriam, quo protinus sanguis circa cor effervescit,& ira concitatur,& odio vindictæ desiderium;cognito ab intellectu objecto ut disconveniente: nam illa solo consensu cor bona aut mala æstimat, quæ intellectus novit: & auderem asserere, in iis quæ vitæ & cordis necessitati serviunt, phantasiam & intellectum cordi obediri; nam intellectus & cæteræ corporis facultates,in cor velut in finem ultimum ordinatæ sunt, ut Aristoteli placuit & Platoni: videmus enim cum cor à timore terretur, intellectum, & cæteras cerebri facultates, trahere in consensum,& velut ad consilium; ut præcaveatur periculum convocare; nam in suis partibus totum animal & corpus universum movetur variis & contrariis motibus: & tunc intellectus & omnes intellectuales potentiæ in cæca confusione fluctuant, consilii inopes & egenæ: ac nulla interdum operatur, cum vita est in dubio.

Potens est etiam cogitatrix potentia, cum phantasia fascinum inferre,& ad extra producere dispositiones tali humorum commotione, ut potentissime producantur in alio, sub debita distantia, sed non à quocunque subjecto, sed à certis quibusdam viris & mulieribus, quibus à natura datum est tales succos in corpore producere, quorum natura ad venenum inclinat, seu ex corruptione, seu ustione prava; seu indicibili maligna qualitate; nam tales sola vehementia imaginationis succos movent, quibus spiritus ipsi coinquinati, simplici oculorum intuitu, per aërem alteratione per continuum facta venenum deferunt, & imprimunt in corpus alienum; seu visio per intus susceptionem, seu per extra missionem celebretur; seu ex corpore toto (quod vero similius est) spiritus quidam expirent, veneni consortio inquinati, ut facile conceptam labem imprimant, & in corpus dispositum producant; sed magis & valentius odio aut amore intuentes; nam illa intentione longius & intentius spiritus emittunt, & in corpore suo exagitant venenum, ut facile ad actum secundum illa commotione reducatur; nam tales spiritus infecti, certa cognatione & sympathia, alienos spiritus inficiunt, quo elucent, (fere inopinato) in alieno corpore venenosi fascini effectus; in corporis pallore repentina virium concidentia, & invicta tristitia, & in subito & præcipiti casu à prospera salute; quo fataliter postea contabescunt, frustra medicinæ auxiliis tentatis.

Et si adhuc dubitas, posse spiritus contagium deferre, attende quod venenosus aër tempore pestilentiæ, spiritus primo inficit, dum inspira-

tur, quia prima per os defertur ad pulmonem, inde per arterias leves ad cor ducitur, quo primo in spiritibus cordis concipitur contagium; ac ad humores inde communicatur; si non dicimus, non tantum per oculos, sed ex corpore toto venenum exhalare, per insensibilia corpuscula & exhalationes, quæ per poros expirant quibus aër inficitur, inde ad cor pervadit; quorum primum patet experientia in speculo, in quo se intuentur menstruatæ mulieres, quorum intuitu, nitidissimus splendor maculatur; & virentes herbæ menstrui contactu exarescunt; quasdam familias esse in Creta refert Plinius, quæ fascinum *laudando* inferebant, & subito necabant.

Posse etiam virtutes rerum ligari sola imaginationis efficacia, dixit Avicenna, *lib. 6. Natural. parte* 4. quod etiam clare sentit Alguaseli; quod hominum animis inesset quædam virtus, res ipsas immutandi, & quando res aliæ essent obedientes ei, quando nempe hominis animus, fertur in magnum amoris, aut odii, excessum, alicujus talium; *Cum igitur*, inquit, *anima alicujus fertur in grandem excessum alicujus passionis, invenitur experimento manifesto, quod ipsa ligat res, & alterat ad idem quod desiderat*; idem constanter Albertus Magnus, & affirmat & probat, *libro de Mirabilibus mundi in principio*; quem nos totum perlegimus: *Et diu non credidi illud*, inquit, *sed postquam legi libros imaginum, inveni, quod affectio animæ hominis est radix maxima omnium harum rerum; seu propter grandem affectionem alteret suum corpus, & alia quæ intendit: sive propter dignitatem ejus obediant ei res illæ viliores: seu cum tali affectione exterminata concurrat hora conveniens, aut ordo cœlestis: aut alia virtus, quæ quamvis faciat illud, reputamus tamen animam facere.*

Hoc enim facile observavimus, iratos, animæ impetu, homines videmus alios ad iram provocare: & concitatum populum, cæteros in suam opinionem trahere, communi veluti spirituum, aut specierum contagio: & fascinantes mulieres solo intuitu, amore, vel odio, fascinare, ut faciunt *laudantes*; infœlicitas virtute quadam insita misericordiam conciliat: pavor pavorem movet, metus metum; & sicut spiritus benevolos nobis natura dedit in amore, ut amatum moveant ad amandum; sic contrarios in odio produxit, qui contrarias concitant passiones.

Quare clare patet, ligationes, incantationes, promotiones ad iram, amorem, odium, amicitiam, gaudium, aut mærorem, esse consequentes ad grandes affectiones, quas sola interdum parit imaginatio, ex animæ imperio: quod patet vel ad sensum. Videmus enim quod vulgus naturaliter fertur, vel refugit, super res maxime electarum personarum, seu benedictiones, aut maledictiones, tanquam in eis sit virtus, aut qualitas virtuti annexa, quam fugit, aut prosequitur: *Quis ergo, vult scire hujus rei secretum*, (dixit Albertus) *ut operetur illud & dissolvat, intelligat quod ligare potest omnis omnia quæ veniunt in grandem excessum, & ultimatum illius, in tantum, ut superet eos quos ligat; & debet facere hoc in illa hora, in qua invadit eum ille excessus, & cum illis rebus quas tunc sibi dictat anima.* Ipsa enim anima cum sic est avida rei, quam vult operari accipit ex se super horam majorem & meliorem, quæ est super res magis convenientes, ad illud. Ligari maxime possunt, quicunque minus

A sunt invicem fervidi in amore; si quis sit invicem ligans eos in odio: tunc enim anima ligantis non potest subvincere animum illorum, cum fortius trahant in contrarium quam ipsa: solvunt enim omnia hæc illi qui sunt fortiores in contrario, quam fuerit ligans eos; & hoc in illa hora in qua invadit ipsum appetitus extraneus, & cum illis rebus quas tunc dictat animus; quia semper major excessus animorum ligat, & prohibet alium minorem, aut solvit: quod patet interdum cum electis personis quæ alios inferiores ligant, ut fere illorum in conspectu obstupescant in animo &

B verbis, ut sæpius legimus accidisse cum Philippo II. severissimo Rege; cum personis inferioris sortis.

Scimus tamen ex hoc, quod quidam ligari non valent, quando sunt magis fervidi invicem, quam aliquis contra eos. Quidam autem solvi non possunt, cum sit contra eos ligantis major excessus, interdum maximus: quidam autem ligantur atque solvuntur, quia inveniuntur aliqui maximi excessus in ligando; quidam vero maximi in solvendo; & universaliter ille potior est in ligando,

C qui avidius ardet, & ille magis solvit, qui fortius capitur; sive intendit se in illud: faciunt ergo hoc cum iis quæ sibi dictat animus, & tunc in illa hora, & ad illos. Et tu nota illud ad omnia maleficia dissolvenda, sive facienda; nullus tamen ad hoc aptus existit, nisi quem instigat ad hoc faciendum inclinatio naturalis, aut aliquod urgens in eo: ii sunt magis apti ad hoc, quam alii: hoc enim nobis monstravit scientia & experientia, dixit Albertus Magnus.

D Hæc enim nos edocuit characterum quinque, & sermonum efficaciam, ad omnem rem quam vult homo, & sunt secundum duos modos: uno nempe jam dicto, scilicet secundum affectionem animæ operantis & ipsius horæ in qua fiunt: & virtutis cœlestis, quæ tunc fit, de necessitate habent efficaciam ad similitudinem animi: & movent quod animus desiderat. Sunt ergo characterum quinque sermones, & omnia juvantia opus animæ: ipsa sunt quæ animus in illa hora, quæ fortius appetit, dictat fieri.

E Quidquid igitur dictat animus, fortissime amantis in illa hora de loquelis, de characteribus quinque, & habent efficaciam ad illud. similiter quidquid instigat animus ferociter audientis in illa hora, sive cum consilio & deliberatione, est habens efficaciam destructionis, & discordiæ; & acquirit illud ab anima facientis, seu ab hora, seu à signo cœlesti illius horæ: quia penitus omnis hora in qua tractatur alicui malum, est illi mala & nociva; & quod in ea fit contra ipsum, offendit eum: & econtra in bonis. At tu in hoc caute delibera, in iis quæ pro te, & pro aliis agere vo-

F lueris; omnia enim super quæ arripit animus inebriatus, destructio rei sunt acquirendæ ad illud, secundum desideria animæ operantis: & secundum hoc est artificium characterum quinque sermonum mirabilium: & iste est modus in quo inventa est efficacia ipsorum omnium.

Mens enim affectat grandi desiderio, sicut arripitur super multiplices sermones, colores & gestus; sic & super characteres & figuras diversas; unde nec ad idem inveniuntur similes omnes characteres, secundum diversam affectionem facientium

cientium eos: & ideo parum aut nihil, nisi auctori eorum, aut ei qui jam incipit inebriari in illo, si esset auctor illorum, prosunt; aut saltem nisi scribatur, super eis intentio operantis ipsorum.

Secundus vero characterum quinque modus, est intendens secundum viam naturalem & probabilem, & habet quandam similitudinem cum eo quod quærit operans: ut si velit amorem, facit figuras amplectentes se, invicem mixtas, invicem aspicientes, se humiliantes, invicem applicatas: sicut anima desiderat res applicare, & unire per amorem: & si desiderat odium, per eas facit ipsas avertentes se, invicem dispares, dissolutas & in contrarium trahentes; quia semper ipsę correspondent intentioni operantis cujus sunt effigies, & vestigia animæ. Et sic anima quæ est magis desiderans rem ipsam, facit eas magis efficaces; & magis habentes similitudinem ejus quod quærit: nam scientia est factio characteris; sunt enim quinque male dearticulatæ, quinque vero sunt characteres bene complexæ & dearticulatæ; unde virtuosiores sunt, magis scientiales atque rationales.

Similiter eorum operatio est in omnibus quæ desiderat anima forti desiderio: omnia enim quæ tunc agit, illud intendens, movent, & efficaciam habent ad id quod anima desiderat. Et secundum hoc verificantur experimenta multorum auctorum, quæ cum audiuntur, reputantur incredibilia; omnino, quæ illi per scientiam didicerunt indefesso labore. Quid simile Festus Pompejus de Sabinis scripsit, *de verborum significatione fol.* 230. verba *Sabini*; quod optant, nempe somniare: unde vetus proverbium; *Sabini quod volunt somniant:* & inde manasse, ait Sinnius Capito, quod quotiescunque sacrificium propter viam fieret, hominem Sabinum ad illud adhibere solebant: nam is promittebat se pro eis somniare; idemque postquam e vigilasset, sacra facientibus enarrabat, omne quidquid in quiete vidisset; quod quidem esse ex sacrificii religione: ideo forte Sabini à *Cultura Deorum* dicti sunt: unde venisse videtur in proverbium; *Sabinos solitos quod velint somniare:* sed quia propter aviditatem bibendi, quædam anus mulieres id somnium captabant, vulgatum est illud, quod *anus vult somniat:* fere enim quod vigilantes animo voluimus, id dormientibus parere solet. Hæc nobis tradiderunt auctores æternæ famæ desiderio: quæ nisi vera ipsis viderentur, hæc potius illis essent vituperationi, quam nullus libenter intendit; & ubi nulla cogit scribendi necessitas; & eo quod hæc non assequamur, non protinus damnemus: sæpe enim nostrum est vitium, non in rebus, *nec omnibus datur adire Corinthum*, ut est in parœmia. Ignorantia enim causarum, sæpe parit effectus ignorantiæ: ideo tales sæpe negant effectus: rerum tamen difficilium aliquid scire, nulli potest nocere; multum tamen illis abuti. Neque Marcelli Donati rationes aliquid concludunt contra tam ratam experimentisque confirmatam philosophiam, nec contra viros in naturæ arcanis peritissimos. Et dato quod hæc non facile possent ad practicam reduci, non ideo sunt veneficii suspitione damnanda, quando nulla in illis iniqui fœderis suspitio elucet.

ARTICULUS IV.

An characteres & imagines, ab imaginationis efficacia, seu à cœli influxu, operandi efficaciam sortiantur.

Figuras, imagines, & characteres, magicam virtutem sortiri non à sola imaginationis efficacia, sed à superiori influxu, radio invisibili, plerique rati sunt; quos merito Martinus Delrio, vir doctus in sacra Theologia, refutavit: quod pura accidentia influxum recipere non valeant, seu ab imaginatione, seu ab aliqua stella, aut planetarum aliquo: neque cœli influant quid aliud, præter primas qualitates medio motu & luce. Neque enim anima pollet quod cœlum, cujus medio ad nos veniat radius invisibilis, nec ulla alia analogia: nam omnia quæ de cœlis dicuntur, per metaphoram, vel ob aliquam analogiam dici, intelligenda sunt.

lib. 1. Mag. cap. 3. qu. 1. & 2.

Fateor, profecto fateor, quod superstitio de infidelitate periclitatur; ac ideo est omnino de medio tollenda: nec inficior inventores characterum periculosis scopulis allidere; sed Martinus Delrio hos de superstione convincit, nec de impossibilitate efficaciæ; dicendo, quod cœlestes influxus non recipiuntur in puro accidenti, velut in figura, charactere, aut imagine, quibus cœlestis virtus impressa maneat; aut ulla ex arte fabricæ analogia, seu occulta virtus, ex qua mirabiles proveniant effectus, quos auctores promittunt.

Illud est receptum inter Medicinæ patres, & communi doctrina, dies criticos virtutem morbos discernendi accipere ab influxu cœlesti, quibus luna maxime præsidet, radio invisibili, ad bonum vel ad malum judicium, legite Galenum, 3. *de diebus decretoriis* 6. sic dicentem: *Porro illud denuo repetendum est, quod nos quoque observantes verissimum semper esse comperimus ab Ægyptiis Astronomis inventum, lunam non modo ægris, sed etiam sanis dies quales tandem futuri sint, posse prænuntiare; si etenim ad planetas temperatos steterit, faustos, aut bonos dies producere, si ad intemperatos, graves molestosque.* Quamobrem Hippocrates etiam damnat maxime immutationes quæ in diebus decretoriis ad pejora declinant; quippe quod læthalis morbi symptoma sit, ut benigni, contrarium; & in *cap.* 3. *antecedenti: Vehementiores itaque,* (inquit) *mutationes eveniunt, ubi ipsa cum sole coit; insuper in apparitionibus plenilunii, minores his contingunt:* Hoc idem *capite* 4. prosequitur, & usque ad *caput septimum*; manifeste confirmat: Et tamen dies est quantitas discreta, seu pars temporis, & certus numerus, motus hominis ad libitum impositus; nec ideo nos hanc actionem in puro recipi accidenti existimamus: sed quod virtus cœlestis à rebus quæ hoc numero fiunt, determinatur, ad bonum vel ad malum, ut in septimo fœlix accidat crisis, & in sexto infœlix, saltem recidivæ periculo, à materia nempe morbifica, quæ in hac aut illa die commovetur; seu propria irritatione naturam impellente; seu naturæ impulsu & magisterio, jam super illam materiam, pro ut cum benevolo Planeta copulatur, aut aliter, ut ex Galeno antea vidimus. Quoniam tunc cœlestis influxus qui dominatur super talem humorem, qui movetur,

1. epid. sect. 2. text. 25.

determinatur ad talem actionem, non à virtute numeri, septimi aut octavi, sed rei quæ tunc agitur in tali numero; ut etiam determinatur à patibili, sub illa certa materiæ putredine, ex qua vermis producitur; seu à certa elementorum mixtione, ex qua aurum resultat, aut virtus in magnete & echenide; quas non tantum produci æstimamus ex virtute patibilis sed influxus cœlestis, ut ex causa communi & æquivoca.

Nec ideo putamus corpora cœlestia, anima moventi informari, sed forma informanti, hanc incorruptibilem materiam; quæ sit principium & causa hujus peculiaris & invisibilis influxus, præter calorem, lucem, & motum. Qui de hac influxus à patibili determinatione velit ampliorem notitiam, legat *titulum de Natura*, & *de causa dierum criticorum in libro nostro de prognosis fallacia*: ideo enim fausti aut infœlices dies hominibus contingunt, ab influxu cœlesti, ut à causa secunda, quæ à divina providentia hoc accepit; non quod certus dierum numerus quid conferat ad talem actionem, sed quod influxus determinatur à mala aut bona dispositione rerum, quæ his diebus accidunt: nec est omnino Astrologiæ derogandum, quod corpora cœlestia super hæc inferiora dominentur & influant: nec quod illud contingat fortius, aut debilius sub variis figuris, aut conjunctionibus Planetarum, faustis aut infœlicibus in hac aut illa Domo exaltationis, aut detrimenti, in figura, aut trina, aut sextili, aut aliis, sub quibus virtutem invisibilem ad res humanas diffundi, aperte probant. Nec est ulla in hac figura virtus, sed in rebus quæ sub illa figurantur; verum tunc fortiorem virtutem accipit, cum plures sub illa figura syderum configurationes copulantur, felices, aut infaustæ.

Pythagoras & Plato, mirabilem virtutem Musicæ consonantiæ detulerunt, propter numeros: ad hoc etiam hominis climacteras reduxere; fatali lege occidua: morbos nempe inducere, ac illos sanare æstimarunt. Plutarchus & Empedocles iram contemperare tradiderunt, & plura alia, quæ *nostro* in *Theseo* adnotavimus: virtutem tamen in numero harmoniæ præfinito non esse, demonstravimus: sed in ipsa harmoniæ dulcedine, quæ varios affectus in hominum corpora inducit, ut etiam probat Marcilius Ficinus.

Quare si non solus cœlestis influxus ad hanc communicandam virtutem sat esse visum sit; saltem artem & cœlestem influxum, in hora magis convenienti & electa, posse imagines & characteres conficere, ex quibus producantur mirabilia, probabile videtur: ut ex certa fabrica mixtionis resultet, in tempore & hora convenienti, sympathia, quæ ad amandum inclinet, vel ad odium antipathia; ut in fabrica naturali experimur, in qua ex determinata mixtione elementorum, cum influxus cœlestis radio invisibili, talis interdum resultat sympathia, quæ hunc reddit amabilem naturaliter, alium odibilem; fœlicem unum, alium infœlicem: ex hac lapis herculeus trahit ferrum, charabe paleas; ideo ille sine causa deligitur adhuc repente visus: alius aversione intuetur. Cujus rei non potest alia reddi causa: quare ergo ars hoc etiam non valebit conficere, ut ex opere suo ad naturæ imitationem, hæc qualitas mirabilis resultet; hoc nec probari, nec improbari potest à priori; à posteriori tamen videmus mirabiles effectus, ab artis solertia, mirabili artificio productos, quorum non penitus causa ignoratur.

Nec tibi obstet, in imagine, figura, & charactere, solas lineas reperiri, ut sonitus in voce, aut hæc aut illa forma; nam in solis lineis chiromanticis, ipsa natura docuit: (sub vario & diverso influxu planetarum, fausto aut infœlici aspectu,) felicitatem aut infelicitatem, & varios vitæ humanæ casus, artem prædicere, quos illa sub istis lineis deputavit; ut chiromantiam edocti viri non vulgares docuerunt: sic enim de hac loquitur, *Robertus de Fluctibus, Armiger. Hæc est*, inquit, *scientia naturalis per quam, ex docta manuum inspectione, de rebus præsentibus, præteritis, & futuris divinatio fieri solet*; *vel est scientia ex qua per manuum lineamenta felicitatem, aut infelicitatem præsagiunt artistæ, sicut astrologia & physionomia, per oris figuram: est enim natura & complexionis geniti quasi tabula, in qua occulto magisterio nativitatis mysteria sculpuntur, & delineantur*; *cum sub physionomiæ & hujus artis characteribus à natura formatis fatalia hominis, tam in bonis quam in malis, referantur, ut manifeste & luculenter doctis revelentur.* Hæc Robertus. *tom. 2. lib. 2. Microcosmi sect. 2. part. 5. cap. 1.*

Quare principiis philosophiæ non repugnat, virtutes cœlestes, recipi ac terminari, à figuris, imaginibus, & characteribus, non qua sunt accidentia, sed res quædam arte & scientia fabrefactæ, ad ipsius naturæ imitationem: & si à simili valet argumentum, eo jam dudum ars majestatis pervenit, ut non tantum naturam imitetur, sed superet in multis. Mirabilis est natura in avium harmonia & locutione; seu articulatione dialectica: sed ars est mirabilior, dum illam imitatur: si mutas statuas, & aves ligneas, loqui & ambulare facit, & artificiales feras sibilare: in musicis instrumentis mirabilem harmoniam ars invenit; & qui ex naturæ arcanis sympathias & antipathias rerum novit, tot mirabilia patrabit arte, quot vidistis in nostris eutropeliis Necromanticis, quæ pene fidem superant. In Optica scientia & Geometrica, & adhuc Astrologica, quæ non inventa? quæ plus habent admirationis, quam fidei, & vidimus & legimus. Non ergo repugnat altissimo Artis magisterio, figuras, characteres, & imagines, mirabili artificio conficere, quæ peculiarem & mirabilem virtutem sortiantur; patibilibus taliter ad influxus cœlestes dispositis, ut illorum actiones, non tantum accipiant, sed terminent, ad peculiarem quam ars intendit sympathiam, aut aliam actionem inducendam, amoris, nempe, aut odii, si non benevolentiæ.

Non est in hoc maxima difficultas, sed supposito, quod sub arte & magisterio cœlestes accipiant influxus, ad talem actionem producendam, an illam possint inducere in alienas potentias naturaliter, ut concitent odium, aut amorem; quoniam amor aut odium fiunt, non tantum per cognitionem rei amabilis, quo voluntas ad amandum inclinat, sed per reflexionem potentiarum, super species, rem amabilem aut odibilem, repræsentantes: hæ enim in memoria reservantur, & continuo à phantasia percipiuntur, ab æstimativa judicantur, ac inde ad spiritualem intellectum referuntur, quo ille rem ut amabilem, aut odibilem

odibilem judicat, mox voluntas cæca diligit, & amplectitur, aut forte aversatur, quod intellectus odio, aut amore, dignum existimavit, & continua reflexione, seu speciebus novo advenientibus intenditur, aut minuitur amor.

Videamus nunc an imagines, figuræ, & characteres, ullam habeant naturalem virtutem ex arte aut figura cœlesti, ut suggerant species continuo rei amabilis, aut odibilis, potentiis, corporibus, aut spiritualibus: quod si accidat, tunc credemus posse fieri.

Illud mihi semper extitit maxima ratio dubitandi: quod species sunt simulacra rerum, & objectorum repræsentativa, à quibus illæ objiciuntur: neque possunt aliud per se repræsentare, sed in figura & charactere, nec in actu, nec in potentia est amor, aut odium alterius rei, cujus gratia fiunt; ergo non poterunt imprimere quod in se non habent. Patet, nam amor fit ex repræsentatione rei amabilis, pulcritudinis nempe, aut alterius rei, quæ amorem meretur, sed in charactere nulla est identitas cum persona, in qua est pulcritudo; ergo non potest ad amorem inclinare: quod nec possit illud etiam arte consequi, aut influxu cœlesti, patet etiam: quoniam ars, nec cœlestis influxus, nullam habet virtutem imprimendi species amabiles in corpus alienum, nec illud immutandi; (hoc enim est proprium objectorum;) quoniam species sunt repræsentativæ individualis pulcritudinis; & in hoc essentia illarum consistit: ergo immediate debent procedere ab objecto amabili; & non ab arte nec influxu cœlesti; quantum vis ista sympathiam ad amandum producant. Si ergo immutatio essentialiter speciebus competit, non poterit hæc eadem essentialis actio, arti, nec influxui competere; quoniam inde sequeretur, quod essentia unius, possit esse essentialiter in alio contra omnem rationalem Philosophiam, quod non est admittendum: ergo non est dicendum, quod ars in hac fabrica valeat per imagines, figuras, & characteres, odium aut amorem inducere.

Ergo saltem, (dicet aliquis) ex virtute imaginationis hoc posse consequi, rationabile videtur; cum ex imaginationis vehementia, posse immutationes accidere, antea probatum reliquerimus. Hanc illationem Martinus Delrio improbare non audet, in secunda conclusione loci in margine citati; quæ talis est: *Satis verisimile est, inquit, per accidens posse aliquid imaginationem in corpus vicinum & alienum, arcta quapiam conjunctione, & contactu ei copulatum; si tamen imaginatio sit valde intensa, & vicinum corpus ad eam affectionem valde dispositum.* De quo etiam postea varia producit exempla. Albertus Magnus, *libro de mirabilibus*, non

lib. 1. Mag. part. 3. qu. 3. conclus. 2.

A tantum multa posse imaginationis efficaciam producere æstimavit, sed si illa hora concitetur, qua ad fabricam characteris impellitur, & sub illo cœli ordine, qui fortiter ad talem actionem inclinet, posse judicat tales characteres & imagines ad amorem aut odium inclinare, & alia mirabilia producere. Nec illud est tantum Alberti Magni inventum, quando illud viri gravissimi, & testantur & probant, non tantum ut possibile, sed de facto mirabile; ut probat *Michaël de Medina; Marsilius Ficinus, Benedictus Pereira, Mirandulanus,*
B *Tostatus, Vairus, Valles, Cæsalpinus, Avicenna & Alchindus, Pomponatius, Paracelsus, Andreas Cataneus, Augerius, Ferrer, Tomas Morus, Cajetanus, Divus Thomas*, & alii, quos citat *Martinus Delrio.*

Mich. lib. 2. de recta fide. cap. 7. Mars. lib. 1. Theolog. Platonica, & in comment. Prisciani. Per. cap. 3. Genes. Mirand. lib. 29. de singul. certamine. Vair. lib. 2. de Fascinat. cap. 3. Vall. de Sacra Philos. c. 1. Cæsalpin. lib. 5. quæst. peripat. cap. ult. Avicenn. citato. Alchind. libro de Imaginibus. Paracel. libro de Imagin. Pompon. lib. de Incant. cap. 3. & 4. Catan. de mirabil effectuum causis Sibyllarum c. 8. quæst. 3. Ferr. lib. 2. Meth. c. 11. Mart. Delrio citato loco.

Quare cum tales imagines & characteres in alicujus gratia fiunt, in hora electa & influxu convenienti, videntur ex imaginationis efficacia species repræsentativas accidere rei desideratæ, aut aversæ, aut aliam virtutem, occultam licet, ex qua hos affectus mirabiles producant, aut quandam naturalem sympathiam, aut antipa-
C thiam; illud certe videtur posse consequi, per medium characteris & imaginis; hoc, unico demonstrabo exemplo, in avibus, aut statuis, aut ligneis, aut æreis, arte fabrefactis; quibus virtutes mirabiles ars mirabili artificio impressit, ad saltum & ad cantum; quibus etiam nostras potentias immutant, per occultas species, ad admirationem, ad amorem, aut horrorem talium actionum; hoc illud invenitur. Et antea hominum mirabiles historias vidimus, qui perdite mutas statuas deperibant, forte ex harmonia occul-
D ta virtute, in fabrica artificiosa latitante. Scimus etiam fœlicem ex natura, in prima formatione, ex virtute ultimę individuationis, virtutem quandam occultam contraxisse, qua non tantum in occasione & tempore fœlicitatis commovetur, sed alios etiam ad extra movet, ut illius fœlicitatem augeat aut nobilitet: commoti ex illa sympathia, seu quodam naturali consensu, quo sunt membra hujus corporis universi connexa: quod invenire in artificiosa fabrica non repugnat. Imaginationem etiam antea vidimus, Alberti Magni
E testimonio, seu per spiritus, aut species, aut occultam virtutem, corpus alienum immutare, & conturbare, per quandam mirabilem virtutem, quæ à corpore exit, radio invisibili.

Hæc omnia, metaphysico ordine excessus passionum, & potentiarum, possibilia esse, non dubito: sed in opere practico simul concurrere, animus nempe inebriatus fortiter imperans, hora electa, & influxus cœlestis, omnino impossibile; si eliciendæ actioni, omnia simul concurrere tenentur.

FINIS TRIBUNALIS MEDICO-MAGICI.

CASPARIS CALDERÆ DE HEREDIA,

Civitatis Hispalensis Medici Ordinarii,

TRIBVNAL POLITICVM.

Omnibus ingenuis ingeniis, scitu utilissimum, & lectu perquam jucundum.

TRIBVNAL POLITICVM, ET APOLLINI SACRUM.

In Publico orbis Scientiarum Theatro ATHENIENSI.

LIBER PRIMVS.

Cornelii Taciti Oratio, in Parnassi Consilio.

Non Apollo tantum, sed omnes Academiæ, & Principes, æque Zoroastis libertatem, ut scientiarum principium admirantur, à primo veluti orbis initio deductum; sed tunc Admeti Pastor, majestuoso Imperio Cornelio Tacito imperavit, ut POLITICÆ *principia & præcepta, à* MEDICINÆ *principiis deducta, in hoc orbis Theatro, suo critico & imperioso magisterio, in medium proferret: cum* TACITUS *solita libertate, compta oratione & conciso stylo, sic incæpit:*

Vnicum est hominibus negotium, (ô clarissimi Principes, & viri Purpurati, & Vos ô Laureatæ Academiæ,) sua cuique utilitas: quod si bene dirigitur, in hoc consistit omnis summa Politicæ Reip. status, honoris, & vitæ conservatio, divitiarum, & æstimationis comparatio: & quando fortuna Dea, cæcis oculis promiscue largitur beneficia, vigilanti solertia, & valore audaci fit Fortuna.

In hoc Medicinæ scientia, & Magica Politica conveniunt, ut hac & illa hominis; aut Reip. sanitas conservetur, aut perdita valetudo instauretur: & sicut sanitas conservatur similibus, contraria contrariis medentur, in statu morboso: ita in Politica præmia sunt auxilia conservantia, supplicia contraria, medentia. Ideo forte fœlicius æstimabatur, ut præmia sub principe essent, & sub judice pœnæ, æqua lance librata, *Annalium 17.*

MEDICINA versatur circa corpus humanum, qua morbis est obnoxium: circa corpus Reip. POLITICA, quatenus alterabile: quare utraque medendo exercetur, dum altera corporibus, & animis altera medeatur. Et hoc primum Deorum fuisse curæ, (si nos non fallit apocrypha Traditio) Plato docuit, *Dialogo Protagoras.* Te, nempe (Phœbe Pater,) Æsculapium & Platonem genuisse, hic, ut animis, & corporibus ille mederetur: ac Socratem

cratem pro animis purgandis missum fuisse. Leges Græcorum, Lycurgi, Solonis, & Platonis, ac postea Romanæ, ambitioso imperio, pro languoribus Reip. medendis, ab omnibus fere nationibus leguntur. Quid aliud fuere legislatores isti, & prætores postea Tribunalium, quam Reip. Medici?

Nec moror in Reip. morbis numerandis. Quis enim dubitat, ambitionem & secreta colloquia, in corpus Reip. tyrannidem inducere, & odium in principem ministri insolentiam; ignaviam in cives, opulentiam? quæ non induxit latrocinia, male in Reip. meriti supplicii impunitas: plures enim ad nefaria seduxit scelerum toleratio, quo plures exemplo, quam ingenio peccant: nulli tandem non est gratior potestate libertas; bellorum licentia vix numerabiles morbos in corpus Reip. induxit. Quantum hoc sibi negotium facesserit in sui imperii principio, dicat Augustus Cæsar: ad ossium medullas penetravit, otium & ignavia, vanitas, ambitio, luxuria, auri sacra cupiditas, ac ex illis infinita pene accidentia emersere; quæ impossibilem curationem postea reddiderunt; dum in supplicio, ac sceleris tolerantia æque periclitatur.

Lege Suetonium in Octaviano.

Hæc sunt, ô Purpurati viri, Reip. vitia, quæ mederi exoptant contrariis auxiliis. hanc nos docuit artem sapiens Medicina, illo communi sed nobili principio, *contraria contrariis medentur*. Illud tamen alta mente explicari optat, longa experientia & observatione præteritarum rerum; (ne magis periclitemur in auxiliis, quam in morbi discrimine.) hæc sumitur curatio ex tempore, morbi conditione, quantitate auxilii, qualitate contraria, sed ad pondus librata: ac tandem ab ipsa virtutis tolerantia: in hoc enim stat omne pondus Politicæ, ut sit plus virium in latore, quam in onere; tempus occasionem operandi præscribit: est enim præceps & rapida occasio, qua elapsa, redduntur auxilia invalida, & validior morbus; morbi magnitudo auxilii quantitatem præmonstrat: periculi urgentia in auxiliando properantiam, ad pondus morbo & viribus libratis: cujus certe præcepti negligentia, parœmiam invexit Hispaniæ auxilium: in auxilio tamen illa major adhibeatur cautio, ut si non prosit, saltem non noceat; nam virtutis tolerantia est prima omnium indicatio, quod ea sit vitalis, unde vitæ principium: quid enim proderit, languoribus Reip. mederi, si vitalis vigor una cum ipso auxilio exhalet?

At illa contrarietatis cognitio maxime artificem nobilitat, quando æqua lance libratur; nempe demere superfluum & defectum supplere: hæc enim principis officium, aut perdit aut commendat, ne subditorum divitiæ, & imperiosa libertas ita crescant, ut principi & regno curæ sint, aut ita graviter atterantur, ut principis indigeant patrimonio: ideo forte in Pallante Claudii liberto, & Seneca magistro, Nero Imperator, scissis corporis venis, sanguinem effluere permisit, ut cum illo divitiarum superfluum hauriret. Tyrannidem non laudo, nec avaritiam, actionem, cum res poscit, imitandam non improbo; sed in electione auxiliorum, nec principia valent, nec præcepta; hæc enim aut medentis prudentia invexit, aut temporum conditio monstravit: ideo forte luxus Reip. magis exemplis, quam legibus coërcetur. Inde Romæ præcipuus stricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque, obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metu; econtra in delicto-

rum

rum proſcriptione leges debent excedere ſupplicia; quoniam in hoc miſero Reip. ſtatu, ſupplicii defectus & patientia ſceleris inſolentiores efficit impunitos, audacia contumaces. Sit vobis exemplum Seianus, qui ubi vidit mortem Druſi inultam interfectoribus, ſine mærore publico eſſe, ferox ſcelerum volutare cœpit, quomodo Germanici filios præverteret.

Demitto varias rerum confuſiones inter ſe complicatas, quando æqualiter medentis animum acrioribus ſtimulis explorant: hæc enim raro valent ſub his præceptis comprehendi, ſed ſub animo valore præmunito, longa experientia confirmato: & ſi fas eſt dicere, in hoc rerum ſtatu, plus ſemper experimur fortunæ auxilia, valore præmunita, quam prudentiæ, cujus præmeditatam occaſionem auxilia effugiunt: ad hoc enim non ſat eſt illud Hippocratis præceptum; *Ad id quod magis urget, curantis conſilium dirigi debet;* quoniam ſolent duo magna negotia æqualiter urgere: quorum illud eſſe noveris potioris urgentiæ, quod citius & brevius periculum minatur: & huic eſt profecto citius ſuccurrendum, utcunque methodus prævertatur: extrema enim deſperatio ultimam temeritatem promeretur; ut Celſi Medici notum fuit conſilium; nam quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat.

Brevius tamen & ſecurius Plato exiſtimavit, ſi prius Reip. corpori mederetur: hoc enim etiam nos Medicina docet: *Nam,* inquit, *ſicut caput ſolum curari nequit, niſi totius corporis præcedat Medicina: ideo dicebat Xamolxis, Medicus Thracius, ita neque ſine anima corpus; eaque cauſa eſt, cur Medicos Græcos morbi corporis multi lateant, quia totum ipſum ignorant, quod imprimis curari oporteret: quo male affecto impoſſibile eſt partem aliquam bene valere; animæ vero medelas, incantationes quaſdam eſſe dicebat, eaſque præclaris rationibus contineri, quibus animæ temperantia tribuatur: ſed non prius caput eſſe medendum, niſi prius animam incantationibus purgandam commiſerit: & ſi verum eſt dicere, illud temperantiam eſſe arbitror. Eſt enim temperantia, cognoſcendi ſcientia qua ſapimus, & quæ ignoramus, ſine errore vitam tranſigere, & nos & alios gubernare: hæc Plato in Dialogo Carmides;* ſed nos temporum ſeries, & principum ſine fine dominandi ambitio, aliam Politicam edocuit, ſemper nempe ambire aliena, & utilia cæteris omnibus anteferre: illud enim regiam laudem eſſe, ipſi Reges exclamant; nam privatam domum cuſtodire, privati & incurioſi hominis eſſe: quoniam bellum & armorum potentia ſemper fuit ultima Regum ratio; nam jus civium viduis & pupillis legibus continetur: ut homines enim, ita mores & leges, ad tempora mutantur: nec ſit mirum, ſi mundi in ſimplici infantia eſſent ſimplices leges, quia in illa unuſquiſque ſibi moderabatur: at in hoc noſtro ſæculo, neque immenſæ leges valent unius intemperantiam coërcere. Hoc eſt, ô Clariſſimi principes, hujus operis nobile argumentum.

OPERIS INTRODUCTIO.

Non vagas quæstiones, quibus eruditissimorum hominum ingenia defessa ceciderunt, agitare decrevi, cum in disputatione cæca vagarentur, loquacibus magis quam certis argumentis: sed Hispaniæ *mores, pericula, & scandala in hoc rerum statu. Necessitas enim nostri sæculi, in procelloso invidiosi lucri, ambitionis sacræ, domesticæ Rebellionis, & luxuriæ mari tumultuantis, (inevitabilis externæ, & civilis seditionis occasio) ab indoctis erroribus animum abductum, intima conditionis humanæ, ac in secessu pectoris repositos affectus scrutari coëgit: ut virtus Belli occasione lacerata, opulentia obruta, per se ipsam æstimetur, & splendorem consequatur obliteratus valor; non per fraudes Politicas, sophistico splendore fucatas, ex impia Machiavelli officina, verbis repulsa, operibus amplexa; & Taciti, non satis ab impiis laudata: quas vastissimæ Monarchiæ, lucrum,* auri sacra fames, *luxus & opulentia fatali necessitati invexit: ut nostra discat caveatque posteritas; nec eisdem scopulis allidat.*

Non sunt hæc velut in Theatrum producta, sed aut, ut à vitiis deterreant, seu ad virtutis studium extimulent non omnino deplorata ingenia, & si quæ sunt hujus mensæ bellaria: attende Lector, quod quædam proponuntur ut tollas, quædam ut gustes, pleraque ut spectes tantum, non nulla ut mireris, ceu quædam facta nec Scythis, nec Cyclopibus digna, quæ referimus, ut sæculi hujus portenta in aliquibus, quibus summa rerum commissa erat, seu quod talia temeritas acciret, aut immodica dominandi libido, aut præceps dignitatis ambitio: licet adhuc in rebus prodigiose malis non desit excusatio, nec adhuc injusta imitatio. Hæc servient ut cautos reddant principes, subditos obsequentes. Hæc & illa brevi asterisco notabo: malo enim te suaviter affectum, quam saturum onustumque dimittere; & si quæ tibi videantur minus gravia, quam virum prudentem deceant, talia certe promitto quæ nemo sapiens contemnat.

Ad UTOPIAM *constituendam, Politicæ præcepta plerique tradiderunt, ad utile proprium, non commune, (lucri, an naturæ peccato:) & omnes fere publicam salutem despexere, quæ est unica* UTOPIÆ *imago, in quo salus, vita, & hominum societas consistit, & communis & propria. Sagacitatem propriæ convenientiæ,* POLITICAM *dixere: nulli enim pro rebus gerendis deest convenientia; facile aliorum vitia imitanda censemus, non virtutes, si nos à proprio utili deterrent. Hæc naturæ ambitio in ambitu totius universi, est omnium artium nobilissima, & maxime plausibilis; nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius quam eam artem discere, qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero & inimicis metum & terrorem ultro feras, ipse securus? speciosa sane erit ista Politica, imo si non ipsius impietatis vitiis inquinetur.*

Sunt certe (fateor) Politica consilia ad temporum mutationem, hominum varietatem, & principum studia, & ad necessitatem permutanda, nec semper antiqua imitanda, si excipias fundamenta Reip. quoniam hæc semper in ipsa virtute jaciuntur: nam sicut leges quæ olim videbantur justissimæ, ad hominum & studiorum mutationem mutantur; sic hominum consilia & studia solet numerosa Resp. & temporum varietas mutare.

Eo tamen nostra & aliorum consilia dirigantur, ut effrænem cupiditatem temperent,

perent, ambitionem frænent, lucri cupiditatem moderentur; ac tandem fortunam fugientem alliciant, prudentia, æquitate, justitia & solertia. Libros omnes, quos variis è provinciis indefesso labore, & liberali pecunia comparavi, pro unico tantum commutarem; quid dicam libros, nobilem supellectilem, & lectulum, (vitæ unica requies) & omne quod possideo, pro illo nempe, qui doceat operationes fœliciter dirigere, & in summa, qui propriam fœlicitatem doceat. Hæc enim sola humana dirigit auxilia, operatur salutem, occasionem præstat, plausum comparat, auctoritatem conciliat, & venerationem: humilem & abjectum erigit, ignavum docet, erudit imperitum, in angulo sedentem promovet, ac promeretur præconia: non est enim opus præmii capax, nisi illius quem fœlicitas dirigit: sed ubi est talis liber? illum adhuc desidero.

TITULUS I.

Quid Vtopia.

3 Polit. 4. Vtopia, dixit Aristoteles, *est ordinatio civitatis, & circa magistratus alios, & maxime circa id quod summam in civitate auctoritatem habet, seu sit principalissimum: tale autem erit, quod ubique gubernat & regit civitatem: seu in populari quidem, populus: in potentia vero paucorum, pauci, sicut Rex in*
8 Ethic. 10. *Monarchia. Harum optima*, porro dixit idem, *est Regnum, deterrima vero censu potestas: transgressio autem regni, Tyrannis est.* Rex tamen ex se ipso, non constituit optimum dominatum, nec imperium fœlicius, nisi regiis virtutibus ornatus; non est enim Rex, dixit ille, nisi sit ex sese sufficiens, & bonis moribus antecellat; quoniam talis nullius rei indigus est: ac ideo non suas ipse, sed eorum qui regendi sunt, utilitates considerat: qui namque talis non est, sorte potius quidam est princeps, quam Rex; ac ideo facile decidit in tyrannidem; qui eo tantum à Rege differt, quod tyrannus quidem suam; Rex autem eorum qui ab ipso reguntur, utilitatem appendit: ac ideo vitio principum, ad paucorum potentiam fit transgressio; & ad defectiones: quia res civitatis præter dignitatem tribuunt; & cuncta bona sibi vel suis attribuunt: & eisdem semper magistratus, quos favor erexit, extulit adulatio: tributa supra vires imponunt: ac fœdera pro levi delictorum imagine rescindunt: plurimi divitias facientes, pro nihilo justitiam & auctoritatem Reip. quo in statu, pravi, & pauci pro optimis dominantur: nec interest an principis ignavia, an privi amici Regis ambitione, & solertia id eveniat: ab utroque est enim par fortuna: exempla reticere majorum consulit veneratio; in his attamen discat caveatque posteritas.

Illud alte perpende, quod in filios imperium, Regni repræsentat imaginem. Hinc Homerus Jovem, non Regem, Patrem appellat; quippe regnum imperium est suapte natura paternum.

Vtopia ergo seu bene constituta Resp. forma & materia constat, ceu quoddam corpus vivens. Res ipsæ publicæ, magistratus, purpurati & populus, circa quæ versatur gubernatio & imperium, sunt materia; princeps est anima regni, non

A quod homo, sed quia viva lex; sub divina & naturali lege: si ergo princeps deficit in principis officio; regnum non erit corpus vivens, sed cadaver; quod morum corruptione facilime corrumpitur; & novas formas appetit; ut materia prima. Plura docet hæc alta Philosophia.

Res circa quas versatur Gubernatio, aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ, divinæ & humanæ; civitates, oppida, imperia, & Regna, & quæ ista componunt, sunt corporea: res publicæ, leges, religio, mores civium & jura civitatis, incorporea.
B Circa omnia versatur & principis prudentia & solertia; nam hæc omnia amplectitur imperium. Si placet, attendamus quod est Regi possibile; nam omnia complecti, divinæ potius, quam humanæ capacitatis est.

Prudentia est opinionis habitus, dixit Aristoteles, *qui circa res illas versatur quæ possunt aliter evenire: Et prudens est*, inquit, *qui est ad consultandum aptus:* 6 Ethic. 5.
Forte quia procul videns; nemo enim consultat de iis quæ aliter evenire non possunt; nec de iis quæ ipse agere nequit. Si ergo Prudentia non
C est ars, quod comes actionis non sit; neque scientia; quia non demonstratur à principiis; seu quia quod sub actionem non cadit, aliter sese habere potest; restat esse agendi habitum vera cum ratione circa ea quæ homini aut sunt bona aut mala. Nullus ergo mortalium poterit exactam gubernationem instituere, in tam vaga rerum, & hominum differentia: nam pondus rerum non ita exacte libratur, ut penitus sub humana concidat providentia: pleraque enim gentilitia rerum mutatione, aliter evenire possunt & eve-
D niunt: ac non pauca, hominum nativæ passiones confundunt, veluti amor, timor, libido & ambitio: *Omnia colit, præter Deum, humanus intellectus*, dixit Tertullianus, cum videret proprium cujusque utile veluti Deum colere.

Rerum ergo eventus sub principis prudentia non cadit; sed tenetur vera cum ratione, circa res dubias, utrinque libratis rationibus, opinionem rerum quæ subditis aut sunt bona, vel mala, prudentia perpendere: quod si & ipse fecit, peregit partes suas: non sunt enim omnia reip. & civium,
F aliis deleganda judiciis: operandi exempla facile imitanda proponimus in *titulo de consultandi ratione*, quæ nemo sapiens contemnat. *Quare si non scientia*, dixit Plato, *restat ut opinione recta utentes, civiles viri civitates gubernent, haud secus ad prudentiam se habentes, ac vates divinoque furore correpti:* Dialog. Carmides. Dialog. Alcibiades.

nec enim mænibus, nec navibus triremibusque, nec multitudine, nec amplitudine, sine virtute, civitas ad fœlicitatem indiget: nec recte imperabit, sine virtute prudens: quod si eventus sit bene consulenti contrarius, nihilominus bene consultum est; quoniam in fortunæ libidinem, & naturæ necessitatem nullum, nisi parendi jus, habemus.

TITULUS II.

Vtopia, in vera Politicæ, & Poliatriæ notione consistit.

Sub obedientia, & imperio tota moles Utopiæ consistit: est enim inter principem & subditum fœdus initum: ille tenetur subditum tueri in pace & justitia, sub illa conditione fœderis, qua se illi commisit: subditus autem & legum & principis imperio tenetur: & regalem principis majestatem tributis conservare, sub illa lege fœderis.

Hæc omnia Politica conservat, evertit Poliatria. Est enim *Politica* rerum præsentium connexio cum rebus transactis & futuris, prudenti solertia. Hanc scientiam cautioni & exemplo commendavit Natura. Hæc ars stabilibus etiam constat præceptis, & veluti scientia, principiis: & circa objectum versatur propriæ conservationis, aut Reip. nempe circa corpus gubernandum: ad vitam in communi degendam. Est illius principium: *Quod tibi non vis, alteri ne facias:* Illa vere dicitur ars, cujus facultas illius cujus tractat objectum, & naturam, considerat, & eorum quæ agit, reddit causam; potestque omnium quæ sub illa continentur, reddere rationem: sed pleraque quæ ex præmissis necessaria videbantur, rerum fatalis & necessaria transmutatio, aut liberi arbitrii invertit libertas.

Quare oportet per multiplices rerum vicissitudines pervagari; nam alia Politica propriæ conservationi conducit, in regno, in statu, aut propria cujusque sorte; aut alienis alliciendis voluntatibus, seu illustrium, sive inferiorum aut variis expeditionibus; aut in subsidium necessitatis propriæ; seu ad domesticas turbationes coërcendas: aut ut cujusque affectus, & maxime proprii, temperentur, veluti ira, avaritia, & ambitio; aut demulceantur alieni; aut ut in alios temperetur ambitio: ut virtutes exerceantur, maxime necessariæ ad hoc aut illud utile: & uno verbo, ut media proprio fini necessaria comparentur, pro ut petit urgentia in negotio, aut exigit celeritas; ob cujus defectum jam cessit in parœmiam, ***Hispania auxilium.***

Necessitas suam etiam attentionem petit: est enim sæpe licentiosa, quæ multa licere cogit; & si est vera necessitas, legem mutat, & ut est in parœmia, *lege caret:* non quod sit extra legem; nam liberum agens est homo, nihil illum necessitat, sed compellit externa violentia: at in hoc casu necessitatem, quæ à lege absolvitur, lex fecit, cum sit illa necessaria consequentia, ex suppositione, deducta ex præmissis conditionalibus; sed illa non valent præsupposita, quæ lex non authenticat: aliter enim omnes humanæ actiones licerent, quia omnes necessariæ, & ab antecedenti conditionali possint dimanare, ex quo necessaria consequentia oriatur: falso ergo deducitur, quod omnis *necessitas lege caret:* & illa quæ lege non caruerit, est inimica legi; nam qui ex necessitate petit injusta, prius à necessitate patitur violentiam.

Impie tibi dico Machiavelle, quod *lex authenticat, impietas non derogat.* Patrem nulla cogit necessitas ut interimat filium, nec adhuc in honore deperdito: quoniam est patris supra filium disciplinoticum, non absolutum jus, in vita civili & politica, non autem in vita naturali; quoniam anima non cadit sub potestatem hujus juris politici; si ergo non potest in jure naturali, neque jure divino (nam jus divinum adimplet naturale) nullo in jure poterit interimere filium.

Pleraque tamen necessitas excusat impossibilitatis lege; velut in his exemplis: cum Græci, Thessalis ut Persis obsisterent, postularent, (in invasione Artaxeris) libenter obsistemus dixerunt, sed non possumus; vos copias mittite; non enim licet solos pro vobis occumbere; quibus opem ferre si recusatis, nullam potestis injungere necessitatem; nulla namque fortior necessitas est, quam imbecillitatis. *Herodot. lib. 8. Vrania.*

Primi ex Insulanis Andrii (in eadem expeditione) pecunias poscenti Themistocli, eadem necessitate, denegarunt: eique alleganti, Athenienses illuc ire, duobus maxime numinibus fretos, Suadela nempe & Necessitate; & ita sibi dandas utique pecunias: responderunt, Athenas proportione magnas esse atque fœlices, & Diis propitiis bene processisse, & se esse ad maximam soli tenuitatem redactos: Andriorumque insulam, totidem propitia numina numquam derelinquere, imo semper incolere, inopiam & impossibilitatem, quibus Diis obnoxios, Andros pecunias non daturos; nunquam enim Andriorum impossibilitate, validiorem fore Atheniensium potentiam, sperabant.

Quare qui necessitatis legem violat, jus naturæ convellit, & homines immerita violentia præcipitat; & contra jus & fas gentium, subditorum arcum patientiæ abrumpit; inde etenim seditiones, tumultus, defectiones parant, principis amorem minuunt, aut abolent ex toto. Sint posteris exempla, Barchinonenses viri, Lusitanorum proceres; quorum illi coacti, patriis institutis violatis; isti vero ad summam inopiam redacti, impia infidelitatis nota, & quod immeritis præmia largirentur, defecerunt; non Catholici & piissimi principis, sed privi amici Regis solita violentia; qui principem velut alter Seianus, variis artibus devinxit: adeo ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret; si non (quod propius veritati accedit) gentis malignitati id tribuitur.

Et si dicas quod subditi in principis necessitate etiam servire tenentur lege fœderis: & si libenter non obsequuntur, coacti debent cedere; vera dicis: utilia tamen media non proponis: hæc enim fini proportionata debent esse, non semper violenta; sed omnium quæ in hoc rerum statu contigerunt, reddere rationem, nec est facile, neque forte possibile; illud tantum dicam, quod non est Politica incomprehensibilis Metaphysica, nec quinta intellectus substantia, per sublimationem

mationem extracta, de illarum sorte, quarum virtutem ignis vanissimi ingenii vertit in fumum; hæc enim medicamenta sublimata in hoc differunt ab comprobatis usu, & experientia; quod licet apparenter in usum & necessitatem operentur; latenter humidum radicale, & vivificum nectar depascuntur: & morbus & vita una concidunt; ut paucissimis hercle, hæc medicamenta veneni conditionem effugerint: quod in nostra Hispania hodie experimur, attritis patrimoniis & hominibus ad extremam soli tenuitatem redactis.

Haud sane aliter operatur empyricus, qui extra communes regulas operatur, extra quatuor notas qualitates: hoc enim dicit quinta essentia quintum esse. Quod si foret apprime necessarium, hoc natura produceret, & quintum simul ad conservationem elementorum; quod si illa non fecit, uti nos remediis naturalibus consulit, non violentis: quæ quantitate, qualitate, temperie, gradu, intentione, celeritate, aut mora, contraria, amica, & refracta dissonantia pugnent & operentur; studeantque conservationi & vitæ; & morbum debellando, & fovendo naturam: morbus enim debellatur contrariis; natura similibus servatur & fovetur.

Sic enim scientiæ concordiam sapiens operatur contrariis auxiliis; nam ab inæquali consonantia diapason in musica resultat: proportio ex inæquali numero, in arithmetica: ex qualitatum inæqualium refracta actione, pullulat animata temperies, bene dixit Eraclitus: *Universum discordi harmonia conservatur.* Contrariis motibus, admirabili consonantia, & concentu, agitantur sphæræ: inter contraria fluctuant elementa, ac æterna perennitate conservantur; ut variis sympathiis & antipathiis animantia; in fluxu & refluxu mare turget: & intra seipsum homo contrariis passionibus agitatur; & inter contraria alitur conservatio: corporis utriusque, hominis & Reip.

Quare temeraria auxilia, non nisi extremis & desperatis morbis, & aliis prius pertentatis auxiliis, sapiens experitur: caute ideo remedia sublimata considera, nam vi ignis intus latet venenum, ex quo prius considera, an in omnibus partibus vis, quam in quolibet medicamento quærimus, insit; an aliquibus tantum: & an in parte terrea, aquea, vel aërea: multa namque sic habent facultates suas per omnes partes diffusas, ut eas vi ignis, vel omnino, vel magna ex parte amittant, si separentur: multa in succo proficuam virtutem possident, & quovis ingenio elicita, vix vestigium retinent operandi. Multa chimicam virtutem non requirunt, imo viribus ab ea suis spoliantur; ex quibus sola maceratione vires extrahuntur; nam ab uno ignis gradu, pati solitum, à majori deperditur; & aliud non patitur; ac ideo alia auxilia exhauriunt terram populi, & illius humidum radicale depascuntur: alia nobilium aquam nempe, divitias, quibus aluntur; alia, extraneum calorem inducunt, quæ si vitam non perdunt, agunt in furias auxilii eupyreumate efferatos humores, quo forte corpus universum Reip. retorrido marasmo consumitur.

Ego sane plerisque morbis ægris minus nocere judico, qui pharmacis consueto modo ap- A paratis utitur; quam qui virtute ignis extenuata & ex calfacta parat: sententiam nostram confirmat omnium sæculorum experientia: nam fœliciter curati sunt omnes morbi sanabiles usitatis auxiliis; extincti pene omnes infirmi, qui novis illis chimicis uti maluerunt; nam vi ignis extracta, à calore nostro non vincuntur, ac ideo parum tuta, si non forte hostilia redduntur ex contracto veneno, & forte veneficio.

Hæc non per Theoriam Politica docetur, sed in plateis inter ipsa discrimina ediscitur. Politici discursus fere nihil ad practicam conducunt. Non B possum non mirari quod apud nostros, belli & pacis discrimina Bartolo & Baldo commendentur promiscue. In hoc stat major Utopiæ confusio: Metellis & Scipionibus apud Romanos bella commendabantur; Curiis, Fabiis & Coruncanis pacis discrimina; quo ita æquissimis legibus temperata Resp. atque plebe omnium rerum in societatem vocata, magna Italiæ pars devicta est. Cum Tharentinis & cum Pyrrho Rege bellum susceptum est; ex quo tempore præ- C clara atque ad omnis posteritatis famam, illustria abstinentiæ, modestiæ, justitiæ, fortitudinis civilis denique concordiæ, usque ad tertium bellum Punicum, exempla edita sunt. Hinc fœlix status (labente veteri disciplina) incœpit declinare. Caveant igitur posteri nostris periculis, & discant exemplis alienis mirabilis Reip. Romanæ.

Politicam animantium potius, quam chimicæ rationis docent exempla; rerum continua & indefessa series; & uniuscujusque in proprio statu D experientia; (nam Remp. ambitiosis ministris commendare, est perdere Remp.) multa per tempora mutantur, & ad tempus: politicorum multa antiquæ rationi non parent: multa gliscunt antiquorum præceptis: nam illa, (Rep. ad naturam composita) edita sunt: hæc morum corruptione lacerata non patitur; neque nostris temporibus, nec hominibus sunt utilia.

Quare omnia metiri debemus ad prudentiam, non ad leges antiquas, pro ut nostrum fert sæculum; id Platonem consuluisse remur, quando di- E xit, *opinione recta utentes civiles viri civitates gubernent, haud secus ad prudentiam se habentes ac vates, divinoque furore correpti.* *Dialog. Carmides.*

Nec priscis sæculis defuit nova rerum accretio, quam humana prudentia à solis naturalibus principiis eduxit, rectisque regulis gubernationis à propria cujusque experientia.

Hanc artem commendavit natura, exemplo, cautioni, experientiæ, & rerum providentiæ.

Hominis institutioni Deus talem rerum varietatem creavit: tot animalium species, tot pecu- F liares rerum conditiones: tot antipathias & sympathias rerum; alia in exemplum, & in doctrinam alia.

Pastor peculiari providentia gregem pascit, & ad fluenta ducit, ne siti exarescant: & noctu in abdita & tuta loca recondit; & ad securitatem & tutelam, alit familiares canes: & si illi lupinos mores induunt, cedit fustibus: & si hoc sine fructu experitur, ut lupos, sine misericordia extremo supplicio destinat.

Lanam tondet ex pecude, sed pellem non evellit, in futuræ liberalitatis expectationem: trans-

transacto rigore hiemis, lac emulget, non ad sanguinem usque, ut sit reliquiarum fomes, & fœturæ sufficiat; quod sane alacri spe pastorem consolatur.

Humeris fert pecudem labentem, & invalidam, ne lupis cedat in prædam.

Terram scindit ruricola, & colit & recolit; in terram frumenta liberaliter projicit; glebas scindit, noxias evellit herbas, ne obruant segetem, in spem futuræ retributionis generosus.

Hortorum cultor, optimi consiliarii exemplar, in principis gloriam semina fœcundiora eligit; & arbores transponit in utilius & fœcundius solum: vites amputat ne in immensum crescant; & à vermibus & horrida tinea expurgat, quia fructus absumunt, vel detinent: arboris peregrini stipites, quia rari, & mirabiles, ingerit in suo peculiari hortulo; mira securitate in herbam falcem mittit, sine germinationis timore.

Mercator & nauta, negotio & vita simile, usuris & jactura in eo tantum differunt; quod vela is per aërem dedit, per aquam ille; æquale tamen illos vexat periculum: forte quia communes egrediuntur regulas quintum esse, aut quintum elementum perquirendo.

Has propriæ conservationis natura docet regulas: plures experimenta, non paucas necessitas invexit: *Præcipitis necessitatis morsus, acutissimi sunt*, dixit Porcius, acuminat inopia ignaviam, erudit paupertas mentem: ac ita plura homini denegavit natura, ut necessitas industriam ad melius excitaret: ideo forte Spartæ indumenta negabant filiis, ut necessitas extorqueret industriam, compensante arte curas & officia pietatis.

Hæc possunt prævideri quæ sunt in manu hominis, nam ab insperato impetu, nec fortitudo defendit nec prudentia: sola enim divina providentia, in oppositis & contrariis elucet: quæ faxit ut experrecti dormiant, confundantur prudentes, & timeant fortissimi: in hoc enim lyncei oculi divinam potentiam agnovere: quia in ordinaria providentia causis naturalibus utitur: quando enim decrevit perdere domum, familiam, gubernationem, & regnum, fortissimos, & prudentes transtulit, ne divino obsisterent decreto; vel ipsos suismet passionibus confundit, ut propriæ necessitati, vel regni conservationi contraria operentur; ac si error esset prima intentio; ut apud nostros hodie experimur; seu ira Numinis, seu scelerum vindicta, noveris Deum assistere, non ex magna prudentia aut valore, sed ex oblatis auxiliis, à rebus naturalibus: ut ex nebula, aëre, igne, grandine, pluvia & tempestate: hæc enim divina mandata exequuntur; cum media proportionata in medio exactissimæ prudentiæ deficiunt.

Jamjam aggredimur Poliatriam: *Iusque datum sceleri canimus populumque potentem.* Est hæc falsa Politica, procellosum mare & tempestas, quæ omnes fere principes ad Syrtes allidit; est genus quoddam architecturæ & fabricæ peccatum; quod ut molem universi sustineat, necessariam semper comitatur ruinam: & adhuc in medio auxiliorum periclitatur, justa Dei vindicta: est hujus sæculi prudentia, quæ vero & honesto fidem dempsit, est lex sub necessitatis specie, divinæ & humanæ contraria; est falsa hypocrisis sub pallio virtutis, quæ apparenti alitur splendore; & occulta tyrannis, Babylonis scientia: est lex imperio utilis, sed omnibus in aliis gentium juri contraria: est recta mediorum cognitio, quæ regno stabiliendo, parando, & conservando, conducit; ubi quod ambitione hauritur, per scelera suppletur: qua summa facinora incipiunt cum periculo, peraguntur cum præmio; est major principis adulatio; & est sacra superbia: palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido: ejusque causa modo largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxia, quoties parando regno finguntur; interdum cum res haud tutæ, dolus malevolis intervalla scelerum poscit; est tandem insatiabilis lucri ambitiosa lex, quæ cum potentia & oritur & occidit; & semper judicat id æquius.

De his aliqua afferamus exempla: Numitorem Amulius interfecit; Remum Romulus: Regni sacra cupidine ille: hic, Romanæ posteritatis ambitione, postuma & nefaria politica, & fide: quoniam socium non patitur Gubernatio; Tiberius Phraatem ornat, accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens consiliis: & astu res externas moliri, arma procul habere. Hoc etiam valuit utilitas, ut Abduum specie amicitiæ, ad epulas vocatum, lento veneno inligaret Artabanus: Ludovicus II. Francorum Rex, primæ uxoris (cujus unico beneficio vixit) irritat matrimonium, at Caroli viduam traxit ad sponsalia, falsa compellationis apparentia, ob solam utilitatem Burgundiæ Regnum adipiscendi; contra gentium jura & divina decreta. Causas belli quotidie principes fucato splendore exornant; propriæ enim convenientiæ, nullæ unquam principi rationes defecerunt, tali solertia veritatis splendore fucatæ, ut facile credantur: ô lamenti nunquam explendi funus; ut Veritas in aulis sit semper falso splendore fucata: *Monstrabo tibi*, dixit Seneca, *cujus inopia laborent magna fastigia, quid omnia possibentibus desit, qui verum dicat?*

Tac. 6 Annal. 8.

4 Annal. 5.

6 de Benef. 3.

Hoc chaos non admittit publica pax, quoniam si quæ Rex adimit civibus, facit sua: & quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia & omnia confundit; sed impossibile est mala penitus à radice evelli; nam bono oppositum aliquid esse semper necesse est: & in rebus humanis, majorem sibi partem vendicat lucrum, non bonitas: hæc enim in Politicis non invenitur, & fallitur qui illam præsupponit, ac ideo in Politicis errat; non qui cautione utitur post experientiam: sunt enim plerique homines sine pudore flagitii, sine cura Deûm; pavidi in adversis; inter secunda, non divini, non humani juris memores. Sed quid moror in tradendis præceptis; nam velle furiosum præceptis admonere, & curare insanum, est ipso furioso insanius: est enim bilis nigra curanda, & ipsa furoris causa removenda; sed non omnes furiosi elleboro curantur.

2 Annal. 4.

TITULUS III.

Quid stabiliat & conservet Vtopiam.

Summum & unicum medium, est Romana Catholica Religio: apud nostros. *Vobis summum jus dii dedere, nobis autem obsequii gloria relicta est,*

est, dixit Tacitus. Contractus inter principem & populum, in exactione utriusque, sit æqualis; nam ad statum popularem conservandum ex jure gentium ad communem societatem, distribuuntur jura, ut quisque seorsim imperet & laboret: id principes attendant: quod si ad alios deferantur judicia, jam videtur paucorum gubernatio, non monarchia: inde seditiones; nam præmium & supplicium à Rege, ut à patre accipitur; non interpelletur ab otioso, qui curam rerum agit; neque res & rerum cultura negligantur; honorentur agricolæ, foveantur artifices; ditentur milites; Regii ministri honoribus cumulentur, non divitiis; ad numerum redigatur multitudo: coërceatur libertas popularis; nobilibus neque summa potentia deferatur, neque servitus vilis: agris & litibus termini imponantur; distinctis dominiis distribuantur leges de commutandis rebus, domino volente latæ; de contractibus licitis, ut commercia securiora fiant, in comparandis necessariis, distrahendis superfluis, absque alterius injuria, & pacifice: negotioso lucro & usuris sit meta, pro tempore librata, ne in immensum crescant; ne legibus infinitis necessitet Resp. Educationis juventutis maxima cura sit: in hoc enim fœlicitas Reip. consistit: *Quia*, ut dixit divinus Plato, *ad ædificia construenda, solent artifices lapides & ligna perpolire, quadrare ac dolare, ut communi serviant ædificio*; sed proh dolor hoc sæculo fortuna, aut prava legum interpretatio, rerum necessitatem invertit, & commutat altissima pro vilissimis rerum; nam pro equis severa disciplina continendis, equisos quærunt principes, & maxime solertes, pro educandis filiis ne pædagogum quidem.

Alcamenes, Thelacri filius, cuidam percontanti, quo pacto quis optime regnum servare possit; si lucrum, inquit, non magni fecerit. longe lateque dissentiens à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum stabilire student, quam attenuandis civium, suis augendis opibus; cum justitia & æquitas maxime reddat diuturnum imperium. Quid ni admirandum, idem dixit rogatus, cur à Messeniis oblata munera recusasset; quoniam si recepissem, inquit, cum legibus pacem habere non possem. Et ubi sunt interim qui clamant, quod principi placuit, legis vigorem habet; & principem dare quidem leges, sed non teneri legibus: in illos invehitur Archidamus Zeuxidami filius, qui roganti, qui nam essent Spartanæ civitatis præfecti? leges, inquit, ac legitimi magistratus; in Utopia enim supremam auctoritatem esse legibus deferendam; nec illi magistratui, nec principis amico fas esse quidquam contra leges publicas tentare; quid si ad nutum unius omnia gubernentur? & si daretur, quod esset venalis magistratus, quis tuebitur leges? absit ut suprema auctoritas in lucro; non in legibus, non in magistratibus; quia præmio & pretio emerentur delicta. Quid inde vidimus accidisse; Regnum alternatis injuriis & impiis sceleribus fluctuasse; quid ergo tanto malo medebitur, quod in Principis corde, & Aulæ porticis hi affigantur versus, quos suis Arcadius Imperator affigere mandavit:

Crescite virtutes, fœcundaque floreat ætas,
Ingeniis patuit campus: certusque merenti,
Stat favor; ornatur propriis industria donis;
Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes:
Nil licet Invidia.

Adhuc sub bono principe plauditur & favetur iniquitas, si privi amici artibus devincitur; tunc enim imperio plauditur, non principi; sed hujus amor æqua lance minuitur: *Multa siquidem*, dixit Tacitus, *excogitavit metus, sed quæ appareant quæsita ab invictis*; nam aliud solicitudinis, aliud securitatis ingenium est; alia tristium inventio, alia gaudentium, neutrum simulationes expresserint; habent sua verba miseri, sua verba fœlices, ut quæ jam maxime eadem ab utrisque dicantur. Ideo in provinciis gesta princeps debet agnoscere, æstimare & pendere proprio, non alieno judicio: ne promiscue præmia & supplicia largiantur; nam utrumque præstat princeps sine invidia; & desidiosa oblivio non illos à crimine, hos deterret à laude: & sub propriis artibus, armato principe, crescit in immensum gloriæ æmulatio; ut sub Carolo Imperatore, sub Rege Catholico, & Philippo secundo. Illud maxime caveat, ne carius constent verba, quam præmia: hoc enim militum impatientiam maxime demolitur, si præmia & supplicia sint probata à principis consilio; nam venalis merces tribuitur, emeritus præmio defraudatur.

Et si dicas, quod humana capacitas non valet omnia comprehendere; principem non pudeat consilia probatorum audire, quæ adhuc à longinquis provinciis exquirat, & à civibus suis: nam cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis suæ; neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abest, quam ab humilitate.

Theopompus interroganti, quo pacto quis regnum tuto possit tueri; si amicis, inquit, concedat justam libertatem; pro viribus advigilans, ne interim subditi afficiantur injuria: multis enim principibus exitio fuit, quod amicis nihil permitterent: cives injuria affectos negligerent. De hoc infandum exemplum tulit nostra ætas in defectione Lusitaniæ, & Barchinonensis principatus. Nec princeps debet amicum inexorabili severitate alienare, nec pati regia familiaritate abuti; *Nam principis facilitas, & indulgentia*, dixit Tacitus, *in amicos, interdum in purpuratos, & incauta in eos profusio, prodidit semper præcipuas imperii vires: aperuitque injuriis despectam dignitatem: & quandiu magis poterunt illi, nunquam satis poterunt Reges; quanto magis vires illorum adultæ sunt, principis minuuntur.*

In amici animo passiones abstrusas rimari, altum petit judicium; obsequiosis enim majestatis officiis principi inservire, non est obsequium, sed ambitio: (gentili majestatis privilegio,) nam ambitioso imperio inservire, est principem exauctorare: abuti amicitia: quid inde? Utopiæ leges despectabiles fiunt, amor principis aboletur; nec minuitur tantum; imperii pertensores ipsius imperii redduntur grassatores, per occulta colloquia; promptissime enim jus regnandi gratia violatur: exemplum posteritati Lusitania tulit.

Nec quidvis audendum præter jus adversum plebejos, dixit Tacitus, qui nimium irati, sæpe Reges

Reges suos exusserunt: civile hoc est, & parenti publico consultissimum, nihil cogere: semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, ut non sit gratior potestate libertas.

Illud natura comparatum est, dixit Seneca, *ut altius injuriæ quam merita descendant.*

Multum momenti habet principis cauta prudentia, sed multo plus subditorum fidelitas, & recta civium institutio; dicente quodam, ideo servari Remp. Spartanorum, quod Reges scirent imperare, imo potius, inquit, quod cives sciant parere: nulla est enim ars quæ nos securos reddat rebellionis populorum.

Quid ni, si eo deveniat Reip. status, non principis, sed privi amici metu, ut omnes simul paveant, & horrore promiscuo alto pavore sileant; quis de periculo principem admonebit? quis loqui, quis hiscere audebit, dixit Tacitus, præter miseros illos qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi & attoniti, ipsam illam mutam ac sedentariam adsentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur; solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, imprimis ipse quidem censuerat; adeo nulla magis omnibus displicent quam quæ sic fiunt, licet omnibus placeant. Hæc apud nostros publicæ cladis, promiscuæ jacturæ in bello, & in pace maxima causa fuit; hinc gemitus & lamenta imperii: discant principes adclamationes veras falsasque discernere: nec enim est facile, neque semper possibile, adulationem fucatam publicæ utilitatis zelo à sincera veritate separare.

Syderis velocissimi more, debet princeps omnia perlustrare: ac invocatus statim velut Numen adesse, instar mundi rectoris; ut stetit ad Albim, Quintus Cæsar Carolus Imperator; quando suis rescripsit, *Veni, Vidi, & Vicit Deus*; quod præceptum, quod nostrorum insana securitas, & vana fiducia neglexerit, adhuc admonita universam perdidit Lusitaniam: nam si levissimis principiis obstaret; illius in ancipiti anceps nutaret sceptrum: potissimum auxiliorum est celeritas, ubi maximus hostium est tempus. Ad summum fastigium Romanum Imperium devenit inerti Sabinorum desidia: in principe refectionis instar, sit laboris mutatio.

Olim apud nostros & principes & nobiles, hæc juventutis experimenta, & hæc voluptas erat: *Certare cum fugacibus feris, cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu; his artibus futuri duces imbuebantur.* Usurpabant quoque principes nostri gloriam istam; nec illa ab ullo superari patiebantur; quia his validior animus imperabat, qui talis debet esse in principe, natura aut educatione, quem non fortunæ indulgentiæ molliant, nec copiæ principales ad segnitiem luxumque detorqueant: debent esse principum voluptates sitæ in magnimitate & valore.

Artes liberales ornant principem, sed minuit æstimationem ars imperio inutilis. Neronem vile nomen fœdavit citharœdus, histrio & auriga: non enim principem decet seriarum laxamenta curarum, vitiorum contentione supplere. Habet enim illud magna fortuna, ut nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: illaque non

A modo domos, sed cubicula ipsa, intimos secessus recludit; omniaque arcana noscenda famæ proponit, atque explicat; ut dubitare cogar, utrum sit efficacius ad recte vivendum, bene institui, an fœliciter nasci.

Nihil æque principem de vilitate arguit, ac splendorem minuit quam animus servilis, & obsequens alterius imperio: plerique principes Romæ cum essent civium domini, libertorum erant servi, dixit Tacitus, horum consiliis, horum nutu regebantur, per hos audiebant, per hos lo-

B quebantur, per hos præturæ etiam ac sacerdotia, & consulatus, imo ab his petebantur. Illud princeps alta mente consideret, amico sat esse, principis amicitiæ dignum videri: quod Philippus Secundus solita prudentia æstimavit: id enim est in principe divinius, absoluta Majestas.

Nobile dedit Plinius de Trajano exemplum: *Tu libertis tuis*, inquit, *summum quidem honorem, sed tanquam libertis habes, abundeque sufficere his credis, si probi & frugi existimentur: scis enim præcipuum esse inditium, non magni principis magnos libertos: ac primum neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri tuo,*

C *aut optimo cuiquam principum dilecto; statimque hos ipsos quotidie, deinde ita formas, ut se non tua fortuna, sed sua metiantur; & tanto magis digni, quibus honor omnis præstetur à nobis, quia non est necesse.*

Regis amicus debet ante electionem præmonstrari, ut olim frugalitate Pisones, sapientia Lælii, pietate Metelli, monstrabantur: nec enim videri potest optimus, nisi qui ex optimis in sua cujusque laude est præstantior: nec ulla amici est potior electio, nisi cum patent ad honores compen-

D dia: nam in malis temporibus inter mæstos & paventes occulto jacent boni; & inter securos, & gaudentes insidiosi hominum delatores & opulentia affluentes ministri; de quo certe non memoria, sed lacrimis dignum exemplum dedit nostra ætas.

Nil æque Utopiam conservat, stabilit, firmat, ac diuturnam reddit, ac pacis conservatio, in ancipiti, vel adversa fortuna, aut principis aut regni; non est eadem ratio in prospera, tunc enim & valore & armis, annuenti fortunæ oportet da-

E re nomen: Sit adversæ exemplum Romulus, qui nutante fortuna, raptis mulieribus Sabinorum, & teneris puellis, à Sabinis pacem extorsit: è contra Carolus Quintus Cæsar, & Ludovicus Undecimus, Francorum Rex, valore & fortuna in armorum strepitu, facti sunt orbis belli, & pacis arbitri.

Nil æque Utopiæ harmoniam confundit, hominum societatem perdit, ac morum generalis corruptio vulgaris & ingenuæ plebis; fatalis & necessaria, ubi Resp. in immensum crevit: nam

F omnia fortunæ indulgentia prævertit. *Vetus jam pridem* (est Taciti sententia) *insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit erupitque; nam rebus modicis æqualitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus regibusque excisis, securas opes concupiscere fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere.* 2 Hist. 7.

Mores Reip. eversos pragmaticis & legibus apud nostros manu ministrorum armata, sacra ambitione principes, ad pristinum æquitatis & justitiæ statum, redigere conantur; ac sine fructu omnia pene auxilia experiuntur; forte quia cor-

rigendis moribus delectus, idem est & subversor, ipsa morum corruptione defœdatus; seu quia ut Pompejus olim etiam moribus corrigendis electus, gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quæ armis amisit; ex hinc enim per viginti annos discordia, non mos, non jus, deterrima quæque impune, ac multa honesto exitio fuere.

3 Annal. 5. Hæc irrepserunt adhuc in Romana Potentia, belli occasione, luxus & opulentiæ & non per ministros tantũ, sed manu & principis exemplo, qui pleraq; pravi moris depellere curavit: multa propria manu egit princeps; nam Augustus (dicit Suetonius,) civili discordia exacta, pleraque pessimi exempli correxit, quæ in pernitiem publicam, aut ex consuetudine licentiaque bellorum civilium irrepserant, duraverantque, aut per pacem etiam praextiterant; depulso prioris sæculi malo, inertia & contumacia, & dedignatione parendi; igitur imperator grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit; ergastula recognovit, collegia præter antiqua & legitima dissolvit; tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam excussit; homines longis stipendiis & laboribus defessos in propria & quieta supellectilis possessione permisit respirare; diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit; conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret: ne quod autem maleficium negotiumve impunitate, vel mora elaberetur; in negotiis publicis die ac nocte laboravit, nullo labore, occupatione, aut solatio avocatus: nulli vices judicandi, ac æstimandi merita & supplicia elargiens; divitiis modum imposuit; ac tandem neminem summa vigilantia super imperatoriam majestatem passus est dominari; cuicumque actioni, vel privatæ, vel publicæ perpetuo assistens, semper severitate Aristarchus; nec parcus fuit in publica virtute honoranda, super triginta ducibus, justos triumphos, & aliquanto pluribus, triumphalia ornamenta discernenda curavit, &c.

in Augusto.

De Gallis apud nostros, his diebus Castellæ, maris generalis præfectus triumphavit, in veteri & invicta Cantabria, in obsidione civitatis *Fontis Rabiæ*: & Comiti-Duci à principe discernitur Triumphus, gloria & præmium expeditionis: quid inde? illud certe vidimus accidisse; (quod præmia non lege meriti largirentur,) quod *Villa-Francæ* Marchio, & Maquatæ Dux, utriusque Regalis classis Imperatores, Gallorum classem, sinu Barchinonensi adactam & compulsam, libenter & impune dimisisset: ne hujus etiam periculi præmia, Comiti Duci, ut poculum aureum, secundo largirentur. In maximo periculo est principis imperium, si præmia, qui periculis non affuerint, consequantur; tunc enim lapsus Monarchiæ præsentaneo periculo laborat, cum præmia emeriti Achillis, linguæ fraudulentæ Ulyssis decipientis dulciter subrogantur.

Simile idem Tacitus enarrat in Tiberio; nam sine dato in Numidia triumphalibus armis, Dolabellæ petenti Triumphalia; illa Bleso elargiens: emerito Dolabellæ denegavit Tiberius, quod Sejani avunculus; ne Blesi laus obsolesceret; sed neque Blesus ideo illustrior, & huic negatus honor gloriam intendit.

Redeamus ad Augustum, militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed & præfecturas alarum dedit; & nunc servis ministri magis validis, non defessis & confossis militibus militiæ præmia decernuntur; equitum turmas frequenter recognovit; ac unumquemque civem rationem vitæ reddere coëgit: atque ex improbatis alios pœna, alios ignominia notavit; alios mulctavit, quod pecunias levioribus usuris mutuari solitas, graviori fœnore collocassent; equites attrito patrimonio non coëgit altioribus negotiis incumbere; populi recensum vicatim egit; parcissime dedit, & manu mittendi modum terminavit; Tiberio, pro cliente Græco petenti, rescripsit, non aliter se daturum, quam si præsens sibi persuasisset, quam justas petendi causas haberet: & Liviæ Augustæ, pro quodam Tribunario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatẽm obtulit: affirmans se facilius jus passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem. Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies taxavit, supplevitque non habentibus; ne emi aut vendi justitia pateretur; pro merito certantium quemque honoravit. Clementiæ civilitatisque ejus multa & magna documenta sunt: probra Æmiliani generose despexit: Tiberio quoque, de eadem re sedulo violentius apud se per epistolam conquerenti; ita rescripsit; Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hoc indulgere, & nimium indignari, quemquam esse qui de me male loquatur; satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit; tutum est reverentiam, tutum charitatem mereri.

TITULUS IV.

De exactione Tributorum.

Exigere tributa, & Principis necessitas, & antiqua regni institutio petit; & fœdus initum inter regnum & principem; & est sane de jure gentium naturali; at sæva ministrorum ambitio in illis exigendis, vertit illam principis necessitatem in tyrannidem abutens delegata potentia; ac inde subditi efferantur; nam populus ignarus non appendet necessitatem principis: sed ministri sæva executione excandescit, cum maxime videt lucrari ministros principis gratiam, crudeli tributi comparandi exactione, & principalis tributi bonam partem, attrita substantia subditi infœlicis; & compatitur, quod princeps sine præcipuo defraudetur, dum exhauritur subditus, qui patientiæ & substantiæ exhaustus, sese in despemrationem præcipitat; & præceps non considerat, nec æstimat tam grande periculum jacturæ in rebellione, horum occasione concitata, quam commodum ex illa pecunia comparata; non sic Tiberius, quoniam ut dicit Tacitus, ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. *4 Annal. 2.*

Ideo nova tributa, aut recens donativum, pro subsidio illius quæ succrescit, necessitatis, semper novum periculum rebellionis afferunt; aut quia difficilius tolerantur insueta; aut quod impruden-

prudentes ministri, imperio inflati, subditi patientiam abrumpunt.

Audite duo Taciti Politici exempla: In Germania: Ideo Drusus Frisiis auro deficiente, quod coria boum pro usu militari penderent; postulavit; quod Olenius non servans causam, dedit, ut pacem exuerent, & milites tributa postulantes patibulo affigerent: quam impares effectus hi duo ministri consequuntur: Drusus nobilis, ex Cæsarum familia, societatem & pacem stabilivit, quia appendit pie, subditi & principis necessitatem in auri & argenti inopia; at crudelis Olenius, forte quia ignobilis, sævissimo imperio, subditos perduxit ad desperationem, defectionem, & suorum interitum.

Exemplum clementissimæ pietatis dedit Darius, Xerxis Pater; cum tributum indixisset subditis, accersitos provinciarum præfectos percontatus est, cum de aliis rebus, tum de tributis; essent ne gravia? cum illi respondissent, esse mediocria; jussit, ut singuli dimidium exigerent, quod præfectis moderatum videbatur; Regis æquitati visum est; *dimidio plus satis*: maluit enim suos beneficio conciliare, quam exarmatos subigere: & hoc fecit ne quemquam latuisset benignitas nunc exacta, dimidians effecit, ut omnes sentirent beneficium. Ubi est illa politica, quæ principem fere cogit subditos substantia exhaustos subigere; dicant sui tumultus & defectionis causam Barchinonenses, & Lusitani proceres; & Neapoli populares; qui adhuc sub tumultuosa seditione fluctuant, oppressi servitute & ministrorum imperiosa exactione; sub anno 1647. quorum infortunium jure vicinitatis, seu servitutis jure, ad eos subigendos nos consequitur; nam sicut in familia recentissimus quisque servorum; & conservis ludibrio est; sic in hoc orbis terrarum veteri famulatu; nos obsequio illustres, sed servitio viles in excidium petimur.

Considerent pietate & justitia principes & ministri, quod plus debet esse virium in latore, quam in onere; sed natura infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quam mala; illud nunc experimur; ut quod ambitione hauritur, per scelera suppletur; hodie enim præmia meruerunt ministrorum delicta; quoniam præmiis ministrorum gratiæ ad alia delicta emercantur; & illis emerunt inferiores ministri peccandi libertatem; hinc scandala, populi atrocitates, emerserunt; hæc seduxere populum per insecura & infida consilia; inde parum tutæ præcedentiæ; quæ omnia excipiunt Principis immeritam & recentem invidiam.

Dicet fortasse aliquis, tributa fore per manus hominum exigenda, non angelorum; & hominem avaritia & sacra auri cupiditate exuere, est æque impossibile, ac subditum postulata tribuere gratuito; quo princeps facto necessitatis obruetur, cum Regni & subditi jactura; non dico, haud fore tributa exigenda & comparanda; sed fore seditionis occasionem depellendam, & tanto magis, quanto subditum acuminat inopia; in hoc casu consulerem eligere ministros, qui pia charitate & principis amore, æqua lance, perpendat, necessitatem principis, ac subditi obligationem & substantiam, & distributionem imperati tributi, in regni & subditi custodiam; ut &

A fructus reddat principi: & qui energia altissimi judicii eligant minus malum in subditi salutem, & imperii gratiam; quando optimum eligere est pene impossibile: & non illos crudeles vitæ, & necis arbitros, qui tantum suo vili lucro sunt obnoxii, & non principis utili.

O Hispaniæ principes, nec vestræ Majestatis, neque nostri importuni laboris maxima cura sit, in rebellium cervice subigenda, nec excelsis construendis pyramidibus; nec perditi patrimonii instaurandi cupiditas: nec tandem sacra dominandi ambitio: id sit maximæ curæ, infideles

B ministros amputare, coërcere, repellere, ac divitiis affluentes male partis cum deceptæ majestatis æquitate deperdita, orbare. Horum enim sacra ac nefaria cupiditas, nec publica necessitate coërcetur, nec perditi principis patrimonii, nec vastati imperii (ut experimur hodie) compatitur; sibi uni tantum prospicit vel adhuc in extreme lamentabili clade: dummodo ejus & sacra & crudelis cupiditas satietur: cedant utique omnia in utile nostrum; operibus & verbis dicunt; ô utinam hæc veritas non esset in hac publica clade

C apud nostros tot exemplis fulcita: ideo forte rebellium temeritas adhuc annis exactis pro meritis non vapulat: & impune imperat Lusitania. unico verbo dicam; quod unica & sola ministrorum impunitas, & amorem principis abolevit in subditis; & invictum Hispaniæ valorem despectabilem fecit: ignavos reddidit Hispaniæ Leones; publicam societatem perdidit: imbelles ac inermes cives reddidit; ac ideo invictos fecit hostes ignavos; non enim illi valore & armis in nos

D pugnant, sed sola infidelium ministrorum cupiditate sacra: quæ omnes principis machinas diu noctuque diruit, ac expugnat; hæc nostra desidia palam facit, hostes docet & armat; ac de nostra fragilitate hostes; nec est mirum ut nos ignavus superet miles, si armis infidelis ministri in nos superior evadit; numerosos perdidimus exercitus, armatum militem dedimus in ruinam, alimenti, commeatus, & bellici apparatus defectu, rebus male dispositis ad militem; bene tamen ad utile ministri; suppressis undique mini-

E strorum avaritia, & impia fraude rivulis alimenti; & auri & argenti commeatibus: ne pugnantibus pro fide & pro patria militibus adveniat: hinc ruina imperii Romani dixit Tacitus: ideo forte Augustus Imperium ingressus, primo cogitavit quos terminos imperio imponeret; quoniam quod propria virtus non comprehendit, brachiis non amplectitur, neque valet justitia & æquitate coërceri; & quod maximum est, ministrorum infidelis crudelitas non valet sub vastissimo coërceri imperio.

F

TITULUS V.

An princeps promissis stare teneatur?

Plerique Politici, empti principum favore & avaritia, non vera, neque catholica Religione, dixere, ***Principem non teneri jure fidelitatis, nec stare promissis, nisi qua proprio utili conducit, & conservationi***; aliter enim fataliter & necessario, brevi tempore ruerent imperia.

A contrario reor, hoc unico infideli præcepto, stare universalis imperii ruinam; quoniam primo,

primo, infidelitatem docet subditos, ut par pari occasione referant; nam principis insidias metuendo, principi parant insidias; hæc ipsa simulando quæ antea dare gratissimi solebant, & detrahunt de justo & injusto: ac nemini minus credunt quam principi; & promissis in tempore acrioris necessitatis minus securi, minus fidunt, nec credunt, ac in ipsa deficiunt; & cum de principis veritate diffidant, principem justis emolumentis defraudare non verentur; & fortunæ potius, & periculis credere, manifesto discrimine student, quam principis promissis, regia majestate juratis, quę parum secura antea sunt experti; ut ea quæ principis fidei antea committere solebant, nunc potius committant infidissimis hominum, ac maris terræque periculis in ipsa infidelitate securiores. Sit hujus veritatis exemplum, auri & argenti Indiarum prodiga liberalitas, quæ clam invito principe, per occultum ad varias provincias transfertur: hæc apud nostros vidimus accidisse: nescio an temporum injuria, an hominum parum secura fide.

Et sane, si velimus cum priorum temporum necessitate certare, vincemur; at illud attendat princeps, quod ingeniosior est, ad excogitandum fraudes callida simulatio, veritate; servitus libertate; metus amore; ingenuitate calliditas; quanto magis necessitas acrioribus stimulis animum explorat. Illud ergo consultissimum reor, fidem pollicitis servare: ut enim fœlicitatis est, quantum velles, posse; sic magnitudinis, velle, quantum possis: & illud vincit animum, & manus subditorum, ut possit quantum velit, in ipsorum potentia, non extremo languore.

O Scylla, ô Charibdis populorum, in qua nullus non princeps periclitatur; fidem nullus non pollicetur, primo die quo ingreditur aulam; hæc singuli dixere, at creditum est nemini: erant enim sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat: quod enim tam infidum mare, quam blanditiæ principum illorum, quibus tanta lenitas, tanta fraus, ut facilius esset iratis, quam propitiis credere?

Nos enim terror, & metus, & misera ex periculis facta prudentia, admonet & hortatur, ut à Rep. oculos, aures, & animos avertamus: nam in strage communi, unusquisque spoliis incumbit miserabilis regni, in prædam fere dati hominibus ex furore provectis.

At, si principes veraces & securi, quo nos vocant, sequimur; ab aliis allicimur invicti; est enim virtus adhuc grassatoribus pulcra; quo fit ut principem gratuito sequamur; ac ejus dextera, ejusque promissis freti, & innixi, obserata diuturna servitute ora reseremus, frænatamque tot malis linguam resolvamus: vis tales nos esse quales jubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, sustine in promissis veritatem: nulla te superet necessitas: non enim deceptus est princeps, nisi qui subditos decepit; ideo à Nerone defecerunt Gallia Cisalpina, & Armenia, Babylon à Dario; nemo subditos incautos putet, nisi dum fidelitatem temporum constanter experitur.

Quanto foret securius Principem fidem promissis, negotiosis hominibus servare; nam illud saltem lucratur, (quod est vix numerabile) ut quod est Cæsaris, reddant Cæsari: & reliquum fortasse in urgentiæ necessitatem obtulerint: & homines illi (quibus pondus Monarchiæ consistit) neque suo utili fraudarentur; & ipsa fidelitate securi, fidelius assisterent, & regno; & principi: nec aurum & argentum in hostes transferrent, cum regni & principis periculo: nec leviter sentientes seducat, quod morosus populus semper est infidelis: is enim semper occasione seducitur; nam Barchinonenses, antiquæ libertatis occasione, fluctuant, ac petunt, ut immunitates illas à Regibus antiquis irrogatas, princeps noster observet, firmet, & stabiliat; sed illud in illis non potest excusari; barbara violentia, extrema desperatio.

Ac ideo caute legenda censeo quæ impii Politici de principis necessitate & lucro tradiderunt: in hoc enim principum dignitatem plerique posuerunt, ut fidem non servare, ni qua proprio utili conducit, sit maxime regium & excelsum. Hæc sunt impii Machiavelli verba. *Num putas, nos eum magnum hominem appellare, qui societatem humanam, & nimiam in colenda fide religionem, emolumentis suis anteponit; & non eum potius qui omnia ad suam amplitudinem dirigit?* Hæc fortasse ad suum peculiare dogma transtulit ex alia impia Taciti politici sententia: *Non enim ignavia*, inquit, *magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen; id in summa fortuna æquius, quod validius: & sua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse.* *lib. 15. Annal. cap. 1.*

Mitto hos non colere societatis fidem, neque religionem, quibus regni fundamenta consistunt; ut etiam placuit Tacito; dimitto etiam fœdam principis turpitudinem, impia solertia, & astuta fallacia contractam: quæ tot principes deturbavit imperio; dimitto tandem profugia bonorum, præcipua Reip. munimenta esse; sunt enim nervi validissimi, Reip. subditorum divitiæ: nonne princeps firmavit clavum in potestate aulæ, an in brachio subditorum & regni; cui unquam fidem servare placuit, sibi violata fide; aut ergo inveterata dominandi consuetudo principum, & subditorum naturam permutavit, ut illos à legibus disciplinæ, & naturæ absolvat: aut adigit adhuc sub ipso jugo legum. Si primum, cedimus quæstionem Machiavello: si secundum, aut princeps tenetur fœderi quod cum populo iniit; aut à consuetudine dominandi absolvitur.

Fœdus erat, populum in pace tueri & justitia: & opes populum ministrare, ut auctoritas regia armis, si opus esset, tueretur: nulla consuetudine legimus principes esse à fœdere absolutos: cum adhuc populus non cesset à contractu. Est ne populum in justitia & pace continere, fidem non servare, nec stare promissis, & populum decipere; hoc dicat ipse Machiavellus; ergo deficit princeps in regia virtute, in qua consistit omnis essentia contractus, quæ aut est certe justitia, aut nulla prorsus est; propter cujus defectum tot seditiones, tumultus, & defectiones adhuc vidimus à naturali principe in variis provinciis.

A principio enim illa regia virtus Reges in solio constituit, auxit, & ad summum fastigium dignitatis evexit: & dicere, principem justitiæ non teneri, hominis dementis est, & maximis in re-

bus turpissime delirantis: cum sit justitia regnorum & publicæ utilitatis unica conservatrix, ut politicæ, & barbaræ nationes fatentur.

Præterquam quod si princeps dirimit essentiam contractus, subditum à jure obedientiæ absolvit; nisi sit excusatio de violata fide: si illud, in utile commune, & publicam utilitatem cedit: nam sicut in rebus quæ natura constant, ejus perfectio, est earum virtus: sic in iis quæ arte & studio consistunt, erit virtus, artificis perfectio: cum nulla ergo magis principis perfectionem, in summo gradu collocet, quam justitia, & æquitas, illa erit hujus artis perfectio; nil enim ad summam perfectionem venit, quod propria virtute careat: imo, omnis perfectio corrumpitur à virtutis contrario: ergo si perfidia & injuria, est justitiæ contraria, necessario regiam perfectionem destruet, quæ in illa consistit; ac per consequens, princeps, qui nec justitiam, nec honestatem colit, se orbat regia dignitate: ac illum ne principem, sed ne hominem quidem appellare fas erit.

Neque dicas, quod sicut Olympus est extra nostram aëris regionem, sic regia majestas auram popularem supergreditur; ac propria consilia populo non tenetur detegere, ne vilescant: nam quæ à populo judicantur injusta, poterunt esse circa subjectam principis materiam, justissima. Hæc altius involvunt labyrinthum: illud tantum attende, quod Regum & justitiæ princeps, Christus Dominus, suo populo satisfacere etiam dignatus est, quando dixit, Popule meus, quid feci tibi, aut quid in tui gratiam non feci; nam sicut homines justum imperium sequuntur libentissime, sic injusto penitus reluctantur.

Illustria exempla hujus necessitatis inviolatæ fidei, posteritati consecravit Vetustas, Regulus, ne fidem hosti datam falleret, ad exquisitissima supplicia subeunda Carthaginem profectus est, libenter & nullo compellente. Æmilius Paulus se optare, mortem subire potius, dixit, quam fidem amico datam violare. Pomponius, vir insignis; (ne fidem patriæ datam violaret) multis vulneribus in bello acceptis, ductus ad Mithridatem, cum ab eo quæreretur, an curatus vellet sibi esse amicus; si tu, inquit, Romanis amicus eris, me quoque amicum habebis! Cum quidam fugiens Alexandrum, rupem inexpugnabilem occuparet; fidem libertatis Alexander promisit, si se traderet; quod ille ocius & sedulo fecit; tunc Alexander, ne fidem datam falleret, dixit, vir iste mihi videtur prudens, qui se maluit bono viro quam loco munito concredere. Cæsarea majestas Caroli Quinti imperatoris maximi, Lutherum, hæresiarcham impium, indemnem & immunem Concilio Tridentino reservavit: regiam ne fidem datam falleret, homini summa vanitate insolentissimo, luxuria, ebrietate, ac omni vitiorum impuritate scelestissimo, adhuc sub illo notissimo periculo, late vagantis hæresis per orbem universum: sunt enim Regis verba, veritatis asylum: turpius judicans promissis Regiæ majestatis deficere, quam periculum religionem pati; quod sibi plerique viri antea prædixere: quis enim inquit postea principis fidei se concredere audebit; si nostra nunc promissa fides deficit: & ita factum est, ut postea hæresis impii insolentis pestilentia universam Germaniam vastaverit, excepto imperio Romano & Austriæ Catholicæ.

Victa Pœnorum classe, ad Siciliam, Pœnorum duces de petenda pace, à Romanis, consulunt inter se, (paucis ante diebus legato Romano interfecto) quorum Amilchar noluit ad consules ire, ne sibi quod Cornelio ab ipsis interfecto contigisset. Annon autem certior Romani animi æstimator, nil tale timendum ratus, maxima cum fiducia, Romanorum colloquio accessit: & cum, de fine belli ageret, & Tribunus militum ei dixisset, posse illi merito evenire quod Cornelio accidisset apud suos, tunc consul imperato silentio, Tribuno, Isto te, inquit, metu, Anno, fides civitatis nostræ liberat. Cui responso addit & merito Valerius; claros illos fecerat tantum hostium ducem vincere potuisse, sed multo clariores fecit voluisse. *lib 6. de fide publica.*

Hæc & alia exempla superior Africanus sequutus, cum onustam multis, & illustrium Carthaginensium viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia se legatos ad eum missos dicebant, licet non ita esset, ut Romani imperatoris potius decepta fides, quam frusta implorata videretur.

Nobiles Hispani Saguntini, ne data fide Romanis deficerent, victricibus Annibalis armis, intra mænia urbis suæ compulsi; collatis in forum quæ unicuique erant carissima, publico & communi rogo semet ipsos superjecerunt. *Crediderim*, inquit Valerius, *tunc ipsam fidem humana negotia speculantem, mœstum gessisse vultum: perseverantissimum sui cultum, iniqua fortunæ judicio, tam acerbo exitu damnatum cernentem.*

Simile accidisse legimus Petilinis obsessis à gentibus Pænorum, qui ne fidem Romanæ societatis exuerent, permiserunt antea totam eorum civitatem expirare, ut Annibali non Petiliam, sed fidei Petillinæ sepulcrum capere contigisset.

Bella Romani principes, nisi lacessiti injuria, inferebant, ne fidem datam fallerent: nec ad arma currere fas erat; nisi aliis auxiliis sine fructu tentatis, & solemni ritu bello antea denuntiato: & tali fide etiam promissis stabant, adhuc subactis Regibus, ut ipsi patroni fierent postea more majorum, & præsiderent Regnis, quos ubi semel in fidem recepissent, tutati sunt adhuc sub armorum discrimine.

Quandiu igitur Resp. Romana justitia & æquitate floruit, fuitque cunctarum gentium commune perfugium, altera manu tenuit Orientem, altera Occidentem: at postquam fides & justitia defecerunt, & principes invasit sine fine ambitio, & misera & infelix avaritia: & postquam subditas gentes deprædari cœperunt, exhaurire provincias & jura subditorum violare: mox cœpit majestatis altitudo decrescere, & cœperunt inter gentes & populos tumultus, ac seditiones excitari, alternatæ & promiscuæ defectiones, donec omnis potentia tam vasti & nobilis imperii, in ignobilem servitutem verteretur: evanuit enim illorum, sicut fumus, imperium.

O principes, cavete & discite capite alieno! tam indissolubili enim nexu devincta est cum Religione Fides, ut Romanos, Politicæ disciplinæ sapientes, licet vanæ religionis homines, impulerit,

pulerit, ut fidem in Capitolio prope Jovem summa religione consecrarent: nam sapienter noverant, diu Remp. haud posse Fide violata permanere.

Furor ergo est, profecto furor, perfidiam summis viris utilem prædicare.

Et si dixeris illud hodie in maximis imperiis practicari, neque principem ex violata fide infamiam incurrere, imo opes augere & potentiam; hoc tibi fateor perlibenter; si vir tam improbus inter homines esset, qui in magna amicorum inopia, hominibus infensis velit opibus, per injuriam partis, diu & sine cura frui; & illud judicaret posse per longum tempus permanere: sed illud non excusat amentiam, quæ est una species furoris: *Nullum enim violentum est perpetuum*, dixit Aristoteles: & sunt inter homines tot furoris species, quot hominum depravata judicia: & furor politicam disciplinam non constituit, sed prudentia inaspectabili, rerum observatione confirmata.

Quis enim erit vir animi generosi, qui velit ob utile incertum fidei & honestatis laude spoliari, & qui divitias virtutis ornamentis ante ponere: quis non vellet odium & infamiam apud suos cum maximo vitæ periculo declinare: si plerique, ut illa fugerent, vitam libenter obtulerunt; ne splendorem honestatis amitterent: tanta est enim hodie apud nobiles nostros sacrosancti jurisjurandi fides, quæ in manibus principis, aut alterius nobilis celebratur, ut vitam ensi libentius obtulerint, quam fidem datam fallere; ne promissis deficere viderentur cum honoris jactura.

Sed jam video quid mihi Politici respondeant; hæc sunt illius aurei antiquissimi sæculi; & illud erat *olim*; & homines, ut sæcula, ad tempora mutantur, & temporibus serviunt, & moribus hujus & illius sæculi adaptantur: & hæc politica summis placuit viris. O sophisticæ rationes, splendore utilitatis fucatæ! non ne vitia sunt hominum, an temporum? *Erunt enim vitia, donec homines*, dixit Tacit: & talis est hæc politica, ut nullus principum palam eam fateri audeat, sed illam per occultum in tenebris exercet, & in occasione nullus non ad practicam reducit, & palam detestatur: nobis sat est, si illud ut detestabile vitium æstimetur; quod in orbem induxit principum sine fine ambitio, & sacra dominandi libido, & orta suis principiis attestantur; hæc est belli occasio, malorum ultimum, & ultima Reip. pernities.

Attamen compulsus, promissis stare non tenetur, quoniam tunc violentiæ cedit, non obligationi, ut Carolus Quintus, maximus imperator, Parisiis adactus in promissis status Mediolani: ut etiam non tenetur Franciscus Francorum Rex hujus nominis primus: à nostris Viennæ captus sub aquilis & signis, ac in Hispaniam transvectus, ubi etiam compulsus, promissis stare non tenetur.

Hanc artem super omnes hodie impie coluerunt duo viri Politici, apud suos principes validissimi, ad invicem imperio & potentia certantes.

TITULUS VI.

De artibus privi amici Regis.

Vim retinendi principis amicitiam, Ælius Seianus posteritati docuit; sed non impune tulit, non enim favoris rotam suffluminare valuit.

Maxima & prima imperii instrumenta, sunt venenorum artifices, ac deinde venefici; delatores non ultima; adulatores, ac validi proclamatores; sunt extrema: illud attendant principes; quod validus nullum quod gratiam tuebitur facinus recusabit.

Ea ira Numinum in res Romanas fuit, (dixit Tacitus) ut in desolationem imperii excessum charitatis Tiberii in Seianum permitteret; ut alio excessu ad illius ruinam non indigeret: imperii Romani desolatio summam potentiam Seiano comparavit: at illa pariter fatalem illius animavit ruinam: initio imperii in principis & Reip. utilitatem omnia referenda curavit: nam incipiente adhuc potentia, bonis consiliis innotescere volebat, habitus & vitæ moderatione, intus ambitione, cohibita: is Tiberium variis artibus devinxit, adeo ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret: non tam solertia (quippe eisdem artibus victus est) quam Deûm ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque.

Vir iste erat laborum patiens, animo audax, sui tegens, in alios criminator, justa adulatio, & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, ejusque causa modo largitio & luxus, sæpius industria & vigilantia, haud minus noxiæ, quoties parando regno fingebantur.

Is Liviam Drusi uxorem, ut amore incensus, adulterio pellexit, & postquam primi flagitii potitus est, neque fœmina amissa pudicitia alia abnuerit, ad conjugii spem, consortium regni, & necem mariti impulit; sumitur in conscientiam Eudemus, & Medicus Liviæ, specie artis, frequens secretis; pellit domo Seianus uxorem Apicatam, ex qua tres libros susceperat, ne pellici suspectaretur: sed magnitudo facinoris metum prolationis diversa interdum consilia adferebat! Seianus igitur maturandum ratus, deligit venenum, quo paulatim inrepente, fortuitus morbus adsimilaretur; id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annis cognitum est; ordo alioquin sceleris per Apicatam Seiani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est.

Postea vero Seianus ubi vidit mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mærore publico esse; ferox scelerum, & quia prima provenerant, volutare secum cœpit, quo nam modo Germanici liberos perverteret; quorum non dubia successio; neque spargi venenum in tres poterat: egregia custodum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabili: igitur contumaciam, insectare vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare: ut superbiam fœcunditate subnixam popularibus studiis, inhiare dominationi, apud Cæsarem arguerent, quæ callidis criminationibus per familiares intendebat.

Hæ sunt, ô principes, privi amici artes: & summa est stultitia, credere esse plus quam unicum negotium in orbe, *sua cuique utilitas*. Et

summos imperii pati labores, in fastigio gratiæ, ob solam principis gratiam, credat alius; prima enim validi amici politica, principem muris & vallis obsidet, ne lux quidem solis valeat penetrare, ne principem de artibus furati imperii admoneat; quoniam in astu & calliditate consistit conservatio; & quod magis est, principis gratia, laboribus lucratur, ut fucato fidelitatis zelo, tyrannidis species; quæ ad sui tutelam amat graviora præsidia, & nulli parcit, licet violentissimo, si illi fini conducit: ad hoc enim super omnia palliata adjuvat simulatio, & subtilis suadendi rhetorica, res variis coloribus vestire solita: hæc machinas primo intendit, in res illas principis favore & gratia munitas, illas prius exarmat, ac postea dejicit & quatit: ac præmiis (meritorum supplicia) in alias provincias transmittit ab aula, & à Regis charitate avertit; (amor enim familiari consortio conservatur;) usque dum principi dominetur, inter confusam curarum multitudinem; quam leni calliditate satagit sublevare; ut majorem principis gratiam mereatur; & Regalis majestas ob nobilitatis gratitudinem, adhuc cognitam deceptionem patitur, non ita grave judicans decepta fides, quam frustra implorata; ac rubori est principi, quod charitate præcipuus, non fortuna alios antecellat.

Facile est principem ad mores validi amici declinare, consuetudine, amicitia, & tempore, imbutis moribus; sit exemplum Tiberius. Is enim ad nonum usque annum recte imperavit, dixit Tacitus, cum repente, (post consuetudinem Seiani) turbari fortuna cœpit, sævire ipse, ac sævientibus vires præbere, initium, & causa, penes Ælium Seianum, qui Tiberium variis artibus devinxit: è contra in Augusto ideo forte Mæcenas, ætate jam provecta, speciem magis in amicitia principis, quam vim retinuit; idque & Mæcenati acciderat fato potentiæ, raro sempiternæ.

4 Annal. 1.
3 Annal. 6.

Principi id sit maxime curæ, populi libertatem à privi validi tyrannide liberare, ne se populus fatali servituti consideret addictum, & alio quam principis imperio: adhuc legati Barchinonenses hanc servitutem lugent; & abnegatam libertatem, in principis colloquium: Tullius ab Androne quodam Laodiceo salutatus, cum adventus causam percontatus, intellexisset illum pro patriæ libertate ad Cæsarem venisse, Græcis verbis expressit publicam servitutem: si impetras, inquit, etiam pro nobis legatus esto, sive pro nobis orato.

Vis, ô princeps, esse summis ac infimis charus; fac ut omnes te norint principem: & ut ministri, non auribus tuis, sed oculis probentur: clamores populi apud te publica necessitate, non vago rumore metiantur, sciant futuri principes, velint nolint, perinde de moribus suis, conjecturam homines esse facturos, prout publica fama vitii aut virtutis spargitur in populos, non prout vagus clamor adulantum: quoniam arcus, statuas, imagines & alta ædificia, demolitur & obscurat oblivio, negligit carpitque posteritas: contemptor contra, ambitionis & infinitæ posteritatis domitor, ac frænator animus, ipsa vetustate florescit: nec ab illis magis laudatur, quam quibus minime necesse est: & laudari, nisi optimus, vere non potest. Nomen nostrum universæ nationes timuerunt, rebus gestis perculsæ: nunc forte nos conservat posterorum fœlicitas, & valor: aliquid nos etiam faciamus, ut de nobis dicant etiam posteri nostri: ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis quam audientibus insidiantes susurros: nam melius omnibus, quam singulis creditur: ac favor unius deceptionis periculo laborat: singuli enim decipere & decipi possunt, nemo, omnes: neminem omnes fefellerunt: & principis exemplum debet esse quod boni sequantur, & mali mirentur. Non ibimus inficias, esse aliquem privum Regis amicum, qui bonis innotescere consiliis incipiat; sed est talis conditionis favor, ut si prorsus naturam non mutaverit, in illo oculorum aciem in fastigio turbet, ut pericula in profundo non videat; nec inficior, pollicita, pro statu præsenti, se semper præstiturum existimare; sed hoc aut humana fragilitas non patitur, aut ipsarum passionum excessus; qui, cum superiorem non agnoscat, alterius naturæ se considerat: hoc omnes pollicentur, (animo decipiendi potius quam præstandi;) quod Mamertinus vir consularis in Panegyrico ad Julianum principem, sub amici Regis persona dixit; sed illud neminem vidimus præstitisse: *Hoc tibi polliceor, ô princeps,* (dixit ille) *semperque præstabo, mihi nec in suggerendis consiliis veritati, nec in adeundis (si res poposcerit) periculis animum; nec in sententia simpliciter ferenda, fidem: nec in hominum voluntatibus, pro Rep. teque lædendis, libertatem: nec in augendis imperii tui commodis, grati animi benevolentiam defuturam, &c.* Dic nobis ô prudens, Mamertinus quid principi & populo polliciturus erat, ad favorem eventus; furem aut perduellium; impium aut latronem; quod principis gratiam mereatur, pollicetur; ac præstat postea quod consulit, politica, tuendi & conservandi gratiam; licet jus & fas gentium violetur.

TITULUS VII.

De Vtopiæ civili disciplina, ac animorum cultu.

Civilis disciplina instruxit homines ad vitam in communi degendam: hæc hominum societatem copulavit: & quæ homines dissociare facit, est incivilis; & barbara: ad illud varia instrumenta homines invenerunt, quæ illos aut recta via ducerent, aut cogerent. Nam duplex est animorum cultus; primum docuit philosophia, qua nobilia ingenia sapientiæ opinionibus excoluntur: secundum, sunt leges, & severa urbium instituta, quibus imperfecti & mediocres homines, ad officium, vel ad artem eruduintur; sive sub militari disciplina continentur: nam id quod præstat animis nobilissimis, rerum altissimarum cognitio; hoc præstat multitudini, civilis disciplinæ institutio. Utriusque enim ea facultas est, ut coërceat ratio, aut supplicii metus impetum passionum. Quare in Utopia amantes sapientiam debent laudibus adjuvari, & præmiis extolli; ut illam sapientiam ediscant, ad quam inclinat genium: sic enim evadunt præclare sapientes: qui sunt moribus non bene instituti, ad illum artis aut officii locum sunt ducendi, ubi præclaræ artes excoluntur, ut eligant secundum mentis impetum,

petum, ut evadant excellentes artifices: qui vero sunt propensi ad honestatem, & diligunt quietem, sub legibus viventes, indies honestiores fiunt; & hi cives erunt Reip. gubernandæ aptissimi: illi vero qui quietem non amant, turbulenti; hi sunt bellico exercitio deferendi: interdum impellendi ne Remp. turbent; ut fecit Dux Heturiæ, Hieronymo Galarso Flavio Picolomini; qui præclari duces postea evaserunt.

A

Sunt etiam nefarii & scelerati homines de medio tollendi: mediocres vero & spectatæ indolis, licet nondum consistant, sunt ad honestatis laudem & honoris præmium incitandi: nam ii multitudinem bonam & obsequentem faciunt: omnes tamen decet à principio severa disciplina continere; ut obsequio tantopere necessario assuescant.

B

Leges sunt præscripta rationis, ad officium impellentia, & à flagitio quantum viribus consequi potest, avocantia: hæ etiam ut medicina resecat partes quas sanare non valet, ne corpus universum corrumpant: ac ideo scelus inexpiabile extremo supplicio medentur, ut Reip. integritatem tueantur; ne ubi desperata est salus, infamentur remedia, quæ aliis fuere saluti.

C

Nec vos seducat, flagitiosos homines impia solertia, & virtutis simulatione, aut amicorum ambitu, opes consequi, plausum, honores, & imperia, & ab omnibus laudari & timeri; dum in angulo sedent præstantes & generosi viri; qui in occulto clamant, & se loquaci silentio ostendunt: quia illos aut fortuna conservat, ut præcipitet; aut ipsi vitiis superant vitia: nam arcana mentis indicant nefaria consilia, & vapulant fortuna; & licet plausum & laudem consequantur, non consequuntur gloriam: nihil enim est virtute & honestate plausibilius: præclare dixit Socrates: *Ea sola est ad gloriam via, quæ candida veritate munitur.* Graviter dixit Cyrus, nil est utilius opinione veræ sapientiæ ad milites imperio continendos. Quomodo igitur id assequar, dixit Cambyses, ut me omnes vere sapientem opinentur? una est, inquit, via, ô fili ad illustre SAPIENTIÆ nomen, in quovis genere consequendum, nempe Sapientiam ipsam complecti: quod quidem in res singulas inquirens verum esse deprehendes; aliter enim tui periculo facto, & defecta inscitia, omnium conscientia convicta, tuam certe arguent insolentiam, & nomen sapientiæ peribit apud omnes; nam sola virtus & sapientia firmam & stabilem gloriam, & diu permansuram conciliat; quoniam est multitudini grata, jucunda bonis, improbis admiranda, & omnibus laudabilis.

D

E

TITULUS VIII.

De necessitate Temperantiæ ad Vtopiam.

Temperantia in principe, civium & regni passiones moderatur, ut valor cives incitat ad majora facinora; severitas coërcet, prudentia temperat, solertia providet: avaritia perdit; ignavia emollit; otiatur desidia: principis præsentia gloriæ cupiditatem auget; crudelitas timidos & cautos reddit, ac libertatem adimit; nam periculi timor animos acrioribus stimulis explorat: illiberalis servitus, secreta colloquia inter cives & principes alienos inducit. O utinam hujus calamitatis non essent tot infœlicia exempla.

F

Illa tamen inter principis ornamenta gigantizat modesta Temperantia: est enim *alpha* & *omega* aliarum virtutum, in hac omne decus honestatis consistit: est enim præclarum lumen intelligentiæ, clara intellectus illustratio; intra limites continet cæteras passiones; sed maxime prudentiam illustrat & conservat, de periculis admonet; & in futurum providet: & est rationis ministra; passionibus imperat; libidinem coërcet, voluptati obsistit; imperat vanitati: iram fœnat, ac motus animi turbulentos propium ad nutum dirigit; ac super omnia regium munus implet: ideo Prudentia & Justitia nomine Modestiæ continentur: nec generosus animus res arduas & excelsas valet absque Temperantia moderari: quin excedat ad extremum furoris: est unicum fœlicitatis ornamentum, infœlicitatis solatium; in omni officio & munere, modum tenere facit; excessum non tantum passionum, sed virtutem coërcet, & in mensura continet: ac ideo est primum hominis ornamentum, sine quo Utopia consistere non valet; in ordine enim vitæ, constantia sita est & honestas; omnis in confusione turpitudo.

Ideo forte morales virtutes illustrium virorum non meruere gloriam defectu temperantiæ, ut Cæsaris, Annibalis, Alexandri, Pausaniæ. Plato omnem vitæ dignitatem in animi moderatione collocavit. Plura Seneca de Animi temperantia disseruit, sed divitias animo non æquavit: non est enim facile bene temperantiam fœlicitate uti: *Qui se ipsum sufficientem probat*, dixit Plato, *se, domum, universamque patriam funditus evertit.* *Lib. 4. de Legib.*

TITULUS IX.

Veræ Gloriæ æmulatio Vtopiam conservat.

Nil æque Remp. reddit inexpugnabilem, nil æque Utopiam adornat, quam laudabilis civium, ad Gloriam æmulatio: & nulla est temporum major invidia; nec ullum efficacius contra vitiorum illuviem auxilium; nam subditorum qualitas potius, quam numerosa quantitas Utopiam reddidit Gloriosam; nil enim æque valet ad præsentes ampla dignitatis specie commovendos, nec ad omnem posteritatem exemplo virtutis inflammandam; nec certe est credendum fieri potuisse, in tanta scelerum omnium colluvie, crescente subinde luxuria, ambitione, avaritia, & hominum torpore, mentes humanas obruente, ut aliquod virtutis & industriæ vestigium in hominum vita resideret, nisi quorundam animi virtutis egregiæ monimentis excitati, sese ad virtutis studium applicuissent.

Laus & valore nobilitata gloria, hominum dignitate florentium, communi plausu, celebrata & monumentis annalium conservata, animos in otio languentes suscitat; segnitie torpentes elevat & amore dignitatis incendit: & tandem efficit, ut aspera quantumvis difficilia contemnat; & honestatem in maximis laboribus & periculis acri studio, consequi non desistat; ad quid quæso, nobis illustrium virorum facinora proposuit vetustas, nisi ut animos ad gloriam excitaret; aut ut vitia, quæ hæc aut illa ætas, longa fœlicitate, aut variarum nationum dominatione, in animos inse-

inseruit, è radice evelleret; & ad virtutis pulcritudinem impelleret; cum maxime illud ratum habemus, quod homines hodie magis exemplo quam ingenio peccant.

Quare ad homines in officio continendos nil utilius, nec ad communis vitæ cultum salutarius invenies, quam præclara exempla, gloriosæ virtutis ornamenta; nam omnes certe juvant; plerosq; incitat illorum gloria æternis monimentis celebrata; quanto magis est communi saluti consulendum? quoniam gloriam non intendere, est se ipsum vita & honore privare, & utili communi, patriam; & communem naturam, nobili hominis attributo: cum non sit homo sibi soli natus, sed patriæ, ac Reip. etiam universæ: cum hominis generosi sit officium, consulere utilitati publicæ, ut communis natura, & ipsum universum conservetur.

Si ergo te laudis pulcritudo non allicit, alliciat te utilitas communis ad gloriã amandam; quoniam si ipsam nobilitatem despicis, aut non assequeris qualem fructum rebus humanis afferat: aut si id quidem calles, sed ad te pertinere non putas, desine esse homo; cole sylvas brutorum; nam inhumanus & ferus existimandus es: hominis enim divinitatem despicis, & communem salutem: quæ nemo potest sine gravi discrimine abjicere.

Mortalium bonorum hoc est summum, cui sunt omnia studia & officia, & vitæ consilia referenda: in hoc nobiliores exercentur virtutes: & maxime possumus in illis summo placere Numini; si per illud Numen inaspectabile, magnifice apud omnes nationes illustratur. Quid enim Dei gloriam clariorem efficiet, quam hominis Christiani, & gloria & dignitas, & divinæ virtutis æmulatio, in claritate nominis? taliter enim gentes à nostris alienæ, nostram Religionem venerantur, & Christum Dominum Redemptorem, qualiter mores nostros considerant, Christianæ Religioni, & divino cultui consecratos: & tales fieri concupiscunt, quales nos gloria & dignitate præditos existimant, & nobilis virtutis amatores.

Nec illud est præclarum, quod inani virtutis specie simulatur, & in hominum gloria; nam qui ultimum vitæ finem in humana laude constituunt, neque virtutem colunt, neque veram gloriam assequuntur: sed virtutem veram simulando, impium scelus in se ipsos asciscunt: impium enim est, summum Bonum in gloria, in laude, nedum in ipsa virtute collocare; cum solus Deus altissimus, sit ultimum bonorum, cui sunt omnia vitæ consilia dirigenda, & ad illius gloriam referenda. qui enim gloriam, ut summum bonum, respicit, & fructum virtutis, & virtutem amittit: nulla enim virtus esse potest, nisi ad Deum, virtutis auctorem, referatur; & pereunte virtute, gloriam una perire, est necesse: & ita natura comparatum est, ut nulla gloriæ celsitudo possit consistere, nisi apud illos qui in Deum respiciunt; & omnem nominis celebritatem, & famæ gloriam, ad divini nominis amplitudinem, & gloriam dirigenda existimant.

Et quando Christus Dominus nos à gloriæ studio deterret, non à vera Gloria revocare contendit, sed ab illa inanitate laudis, quæ gloriæ pulcritudinem æmulatur; nam gloriæ splendor

A tantus est, ut illius etiam species homines honestatis amore flagrantes, commoveat, illisque sæpe ruinæ periculum intendat: sunt enim vitia in virtutis confinio collocata: ac ideo plerisque solius gloriæ laude inebriati, suum bonum in illa posuere, non attendentes ad laudis & gloriæ originem.

Ne igitur insita laudis cupiditate prolapsi corruamus, illa cautio adhibenda est; ne scilicet opes nostras ostentemus; dein illum assequamur statum in quo tuto eas explicare possimus: fru-

B ctum tantum nobis laudis quærentes: veram laudem & gloriam in solum Deum, & publicam salutem referentes: utrumque Christo Domino placere scimus, qui cum nos videret lubrico loco natos, vanitati resistere haud ullo pacto posse, ab ostentatione periculosa, & omni lapsus occasione, voluit deterrendos; at illos, qui sunt adversus omnes laudis insidias salutari præsidio præmuniti, impulit ad virtutum exempla proferenda; ut debiliores ad virtutis gloriam excitaret: sed illos tantum odit, qui, ut summum bonum,

C Gloriam intuentur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, dixit, *ut videant opera vestra bona*.

Si ergo is, qui tradit veræ Gloriæ disciplinam, & qui nobis certam viam veritatis ostendit, nos à vera Gloria deterret, sed potius ad illius studium incitat & incendit; clare patet, hanc esse non tantum vitæ Politicæ, sed etiam Christianæ maximum ornamentum; si nos hac Catholica disciplina abuti vanitas non seducit.

Illud tandem considera, nullum esse aptius virtutis instrumentum (est enim Gloria divinum beneficium) nec ad vitam recte instituendam salutarius, quam hic Gloriæ amor, & nominis celebritas: ob hoc fortasse conditor Christianæ disciplinæ discipulos universam terram penetrare

D mandavit, ut homines, suæ dignitatis oblitos, vitiorum vilitate consopitos, ad Virtutem & Gloriam amandam excitarent. Non est igitur gloria negligenda, sed aptandum (hoc proposito fine) ut omnes Universi nationes fama penetret nostra, & claritatis nomen, ne unquam deleatur: est enim votum illud & valore illustre, pietate san-

E ctissimum: & Gloriam despicere, non tantum animum de abjecta arguit vilitate, sed omnibus naturæ legibus, ac divinis institutis repugnat: nec est aliud Gloriam à Virtute repellere, quam orbare solem luce, & munera divina aspernari, communem utilitatem pro nihilo habere, ac de Gloria nominis Divini non curare.

TITULUS X.

De vera & fucata nobilitate, quantum Vtopiæ conducit.

F

Tale est ad mores alliciendos exemplum, ut illa quæ multitudo concipit vitia, summis viris censeam adscribenda: nunquam enim populus se tantis flagitiis inquinasset, nisi illum nobilitas perverteret; ni etiam fuisset ad immensam luxuriam & infinitam cupiditatem, nobilitatis exemplo incitati: quo fere accidit, ut civium libidines quas amplissimi viri, vel solo continentiæ exemplo, frangere debuissent, vitæ turpitudine augeant; vehementer incendant; quæ ubi plebs conce-

concepit, neque legum autoritate, nec hominum supplicio, neque pallido metu poterunt cohiberi, ne in Reip. pernitiem erumpant: hæc tamen omnia poterant unico continentiæ & virtutis exemplo, severa principis & magistratus disciplina, sub mediocritate contineri: G. Volusio,& P. Scipione Coss. dixit Tacitus, otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera urbis, & lupanaria, & diverticula veste servili, in dissimulationem sui, compositus, pererrabat; comitantibus qui raperent, ad venditionem composita, & obviis vulnera inferrent adversus ignaros: adeo ut ipse quoque acciperet ictus & ore præferret; deinde ubi Cæsarem esse, qui grassaretur pernotuit; augebanturque injuriæ adversus viros fœminasque insignes: & quidam simili licentia sub nomine Neronis, multi propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur. Nollem in periculosa navigatione vela solvere, dum maxime cominus instat portus: nam severitatem, ut audio, his annis depulit, de summa sede Clementia: tu etiam noli, ad credulam spei perplexæ auram antennas solvere: ego enim cum Stratonico dixerim, ex omnibus navigiis tutissima esse quæ in terram nauta subduxit. Pelagus immensum, & inextricabilis labyrinthus est, de recenti nobilitate disputare: quoniam nummaria nobilitas hodie magis valida est: is enim hodie princeps est, qui requiem non tantum orbis sui medio, sed & Metis indulsit: in hoc tamen primum te scire oportet, nihil tam sanctum esse, quod diuturnitas temporis non corrumpat, multaque probe à majoribus instituta, uno senectutis vitio deflexisse in turpissimos ritus, qui tempore dulcescunt; & à viris temperatis tolerantur. Ferunt, olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis nota discriminatam: hinc magnates constitui, hinc honores & cultus in ipsos delati, ab iis qui ad tam sanctum splendorem obstupescebant: hoc, priscis temporibus, unicum medium erat emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares esse natura jussisset: hodie rara sunt, & valde incerta vestigia quæ nos ducant ad venerabiles antiquitatis stirpes: plerisque enim increscit vel in familias casus, vel error in cognomina: & si bene rationem ponis, virtutis jam opus agunt nummi; & ut quisque ad decies centena pervenit, facillime de plebis tabula nomen suum eruit; & vel emptis fascibus colitur, vel indigno conjugio superbit, & illustrem sanguinem fœda rusticitate maculat, aut vilitate fœdiori: nec huic serpenti malo obsistere facile tibi erit; nam hodie non ingenii, non naturæ, sed conditionis & temporum vitio peccatur: modestus enim sua sponte animus, inclinatione sæculi rapitur in solutiora consilia; nunquam enim effusior libido, nec ambitus amentior, nunquam denique se latius effudit male dicendi licentia, non impudentior calumnia; nec arena crudelior: his tamen vulgi conditionibus statera libratis, animum debemus ad tempora componere: magna est sapientia interdum decedere, vel per speciem de recto sapientiæ cursu; tibi vero etiam necessitatem fortuna imponit: finge ad tempus amentiam, prudentior, cum voles, recesseris de concepto per simulationem morbo; multis profuit commento versatili omnem speciem induisse.

A Non Paridi nocuit Idæum pascuum, non Apollini pastoris effigies, neque Jovi tauri: Deos Ægyptus humilibus formis abscondit: *Nec magnum ambigui fregerant Canea sexus*; nec semper æque tutum, æquabilium morum integritatem afferre inter proceres, quæ vel reliquorum vitam notet, arguat, aut contemnat, vel ut insolens & multis jam extensa, sæculis notetur; & si instat necessitas ferendi, constantia iræ pertinacia est vincenda.

B His autem temporum infœlicitati derelictis; nil Utopiam æque fœlicem reddit, ac in Rep. ordines separare; merita compartiri, ac in suas classes viros per honores deducere: sic enim homines laborem non recusant, patriæ opem ferunt, & periculis obstant, nec pati servitutem erubescunt: nam generis splendor talis est apud homines ipso jure naturæ, ut eum summis honoribus decorandum, & omnibus ornamentis afficiendum esse putent: hoc enim videtur sæculorum privilegio vim legis retinere; nam omnium gentium in re aliqua consensio, lex natura putanda est; hoc etiam legem universi imitatur, in quo si C sydera consideras, alia dignitatem obtinent & imperium; alia impertiuntur lucem, & alia virtutem; & summus rerum auctor, Angelos hierarchiis disposuit; & elementa agunt alia, alia patiuntur.

Lex naturæ gentium consensu.

Nulla est inter nationes quæ peculiarem virtutis indolem non adoret, nec est ulla quæ suam animi concitationem non ferat, quo reddatur illustrior, aut vilescat; & hi vere sunt icones animorum. Gallorum gentes furore & iracundia concitantur in aciem, & in vita communi facile D sociantur: Germani truculenti, in mortem intrepidi feruntur; ac servitutis jugum ferre nequeunt: Hispani, gloriæ cupidi, res arduas intentant, & ad certamen alacriter feruntur, & alacrius militant longe à patria, sub aliena disciplina, quam in sua: Italos summo natura decoravit ingenio, & insigni facundia. Et hoc videtur apud nationes hereditario jure in homines descendere.

Illud pariter plerisque in familiis observatur, E ut qui familia illustri nati sunt, eas virtutes studiose colant quibus sui majores claruerunt: unde alii liberales evadunt & munifici: alii generosi & clari in armorum discrimine: plerique rerum civilium prudentia excellunt: alii in publicæ utilitatis zelo: alii tandem magnanimitate in prospera & adversa fortuna: quare virtutes illæ, non tantum moribus & studio, sed natura & genio comparantur.

Inter has virtutes comparatur *Nobilitas: quæ nihil aliud est quam generosus ardor, & virtutis præstan-F tia, in aliqua gente constituta*; non enim in opinione, sed in ipsa natura continetur; egregia educatione exculta: quoniam nobilitas est generis splendor, in quo frequenter magnæ virtutes & generosus ardor innituerant in communem salutem: ideo viri quavis sapientia admirabiles, hanc nobilitatem non assequuntur in otio degentes: nam civilis nobilitas debet in publicam utilitatem conferri: ideo Physicus, Geometra, Legum peritus, Medicus & Theologus, clarus & illustris ex sola sapientia non redditur, licet reddatur nobilis: illa etenim tantum nobilitas politica splen-

P didis

didis titulis exornatur, dum in communem utilitatem diffunditur: licet viri tales nominis celebritatem mereantur.

Hæc civilis nobilitas alia est civitatis, aut provinciæ propria, & alia est civium. Clara & nobilis ea civitas dicitur, quæ viros permultos dedit consilio, sapientia, & valore claros, ut Roma & Athenæ. Quo in officio non mediocrem meruit claritatem Hispania, quæ adhuc ex tuguriis, ne dicam civitatibus; viros protulit valore & gloria illustres, in bello & in pace.

Familia autem hæc dicitur *illustris*, quæ clarissimorum hominum frequentia illustratur: & est certe naturæ beneficium, nasci è patria quæ claritate floruit, aut nobili familia. Illud tamen cuivis nobilitati inest, ne animo despondeat in rebus turbulentis: nec ullo vitæ periculo obliviscatur propriæ dignitatis; nil enim magis indicat generis claritatem, quam infracta animi celsitudo; quæ periculis & laboribus magis enituit; & stat ut contra pondus palma: nam *Degeneres animos timor arguit*.

Duplex Nobilitas apud omnes gentes celebratur: alia perfecta & absoluta, quæ tum patriæ tum generis claritate commendatur, & ubique retinet claritatem, & animi generoso stemmate dignoscitur: alia localis, apud gentes illius civitatis comparata, quæ oritur & finitur in loco ubi nobilis nascitur. Hæc etiam genus nobilitat, & tempore etiam commendatur: & solet nobilitatis fastigia conscendere, si viri illustres præmia assequantur nobilia, quæ animi generoso ardore consequuntur.

Sed accire viros è populo promiscue è servitia & ingenua plebe, & ad militaris disciplinæ, & nobilitatis honores promovere, non Utopiam, at Reip. confusionem parit: Viros è servitia plebe generoso ardore concitatos, & animi alta elatione, nobili stemmate insignire, est alios ad virtutis exemplum incitare: & virtutem præmiis exornare, in Utopiæ & Reip. gloriam cedit; nam si cumulata pecunia, præmia meritorum venduntur, pauperes sed emeriti, præmiis necessario fraudarentur: quo generosa peribit æmulatio; & generosi viri aliis ministeriis incumbent; quo militaris disciplinæ imperatores, aut sedentes in angulo vilescent, aut omnino deficient, ut apud nostros hodie experimur.

Non sola nobilitas Utopiam instituit: sunt enim artes innumerabiles, ad communis vitæ cultum, & incolumitatem maxime necessariæ inventæ: aliæ serviles, & aliæ illustres; cum, non possit unus homo omnibus inservire: divinitus excogitatum puto; ut natura alios ad hanc, & alios ad alteram præficeret, alios donaret sapientia, alios prudentia instrueret, valore alios illustraret: ut dum quisque operam suam præstitisset, & in communem utilitatem conferret; ipse vicissim indigentiam, quam suis non potuisset, alienis opibus sustentaret: non potest enim unus homo tam multa strenue navare; quare oportuit ut alii quidem principes essent, alii rectores, duces alii, qui sapientia & æquitate omnium saluti prospicerent; alii disciplinam militarem exercerent, ut patriam defenderent; alii postremo ut mechanicas artes tractarent, ut communi utili consulerent: hæc enim omnia sunt communi vitæ cultui necessaria; ideo dissimilia ingenia, ut dissimiles natura singulari architectavit homines: ut quod communi expediret, & videre prudenter, sagaciter disponere & constanter perficere potuissent: hos ideo solertissime, summo loco dignitatis & æstimationis collocavit Natura: illos, quos valore ornavit, non tanta virtute excellentes: hos ad imperata strenue peragenda perfecit, invicto & generoso animo: & pacis & quietis amantes, ut in maximis rebus patriam adjuvarent, sub legum observantia imperavit; humiles vero animo & depressos, ad sordidas & mechanicas artes abjecit; qui sunt opifices, operarii, & ministri Reip.

Hoc & illud communi quodam consensu natura docuit; nam in orbis principio, (dum homines dispersi) qui cæteros prudentia excelluit, valore & præstantia, animi dispersam multitudinem unum in locum ad communem vitam congregavit, & legibus naturæ ad communem societatem instituit, & mores ad honestos copulavit; ut Orpheus qui cantu & melodia feras sylvas & saxa post se traxisse; & unum in locum collegisse; hoc est, homines barbaros & incultos lege societatis devinxisse; sic fertur Amphionem, cantus suavitate lapides dimovisse, ut quo vellet deduceret; nempe homines sine cultu inciviles, civilibus moribus & humana doctrina instruxisse; Theseus etiam, Græcorum nobilissimus primus, per sylvas & per montes dispersos Athenienses in unum locum compulit, ac legibus & civilibus institutis erudivit; ac inde immortalem est consequutus gloriam, tantaque illis sæculis extitit virtutis admiratio; ut non tantum se traderent regendos libenter generosis hominibus, sed illos divinis honoribus afficerent; & ut Deos immortales certe colerent.

Quare nobilitas ab illis antiquissimis sæculis incœpit; cum homines cœperunt viros valore & sapientia admirari; & se illorum imperio submittere: & non tantum recens memoria beneficii illos ad nobiles colendos excitavit, sed ad gratiam posteritati, & filiis eorum referendam: putabant enim imaginem patris in filiis manere, & animi indolem evidenter expressam; ut non tantum parentum memoria, sed etiam indolis admiratione provocarentur: ideo gentem illam maxime colendam & ad Reip. aptissimam æstimabant in posterum. Equestris dignitatis origo jam olim videtur originem traxisse, ab initio fundationis Romæ, in Romulo, qui illam dignitatem ordinavit: & si plus fidei meretur, qui de patriis moribus scribit, Justo Sexto Pompejo tribuenda fides, nam *lib.* 1. *de Verborum significat. fol.* 32. verbo *celeres*, sic ait: *celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo, iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt, ex singulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.*

Quo summo loco nati, duplici ratione ad nobilitatis fastigia ascenderunt; & meritis parentum, & propria virtute; quæ indolis spectatione cernebatur: quibus se homines & Remp. tutam existimabant; ac si dii tutelares essent illi.

Ab hinc inter homines cœperunt dignitatis & honoris certamina; plerosque enim ita seduxit vanitas, ut se non sanguine humano ortos exclamarent; sed satu divino progenitos, vanitas effingebat:

fingebat: Nobilis est illa Achillis in Axis fluminis nepotem Asteropæum contentio; hæc sunt Homeri carmina:

Sic morere, Astoropæe, grave est, & flumine natis
Progeniem, Iovis in bello contendere contra,
Sis licet ipse satus tam lato flumine, nobis
Cede tamen: quando genus est nostrum ab Iove summo;
Me genuit Peleus, illi est pater Eacus ingens,
Quem genuit quondam summi regnator Olympi.

Ideo ea nobilis & antiqua vetustas in illa opinione fuit, ut viros magnos crederet, non nisi divino consilio ortos, atque adeo semine divino susceptos æstimavit; veluti Theseum à Neptuno, Romulum à Marte, ab Jove Alexandrum, & Scipionem illum Africanum; à Venere Æneam. In hoc illud ea vetustas voluit, Veram Nobilitatem à Generosa Virtute ortam fuisse: inde nobiles Deorum filios effinxit; est enim perspicuum, virtutem esse cum vera nobilitate copulatam: nam clarum gentis nomen, non alio quam à virtutis laude ortum duxit; ideo virtutis splendor, à gentis claritate in nos descendit.

Illud medius fidius nobilitatem ornat, generis clarum nomen commendat, & in animos nobilem dignitatis gradum inserit: seculorum nobilis & antiqua dignitatis æstimatio, in familia; nam vetustas rebus omnibus hominum memoriæ commendatis majestatem constituit incredibilem, & venerationem: est enim ex se venerabilis vetustas: & de illa semper quid majus suspicamur, & credimus, quam possint viri nostri, singulari studio aut robusto judicio imitari.

Inde orta est inter vetustissimas nationes celebrata contentio, quæ illius & nostræ ætatis monimentis continetur; dum aliæ se ante omnes mortales in lucem editas esse contendant; aliæ antiquitatis gloriam aliis non cessisse: Ægyptii solis Phrygiis cesserunt antiquitatis gloriam; & se aliorum hominum vetustissimos crediderunt: Arcades se ante Lunam progenitos jactabant: Athenienses sibi immortale nomen detulerunt, ex eo quod cum aliquod principium suis literarum monimentis non extaret, & se ipsos omni memoria antiquiores cernerent; in eam opinionem devenere, se non aliunde delapsos, sed ex Attica terra in principio genitos, ac in unum locum confluxisse: ideo reticulo quodam aureis cicadis distincto caput ornabant; ut ostenderent se instar cicadarum, è terra quam incolerent fuisse progenitos.

Ideo orta est nobilis inter familias contentio, utra illarum memoretur antiquior; in contentione antiquitatis magni interesse, in virtutis gloria excellere judicantes. Videtur enim maxime consonum rationi, ut illæ potiori jure habeantur illustres, quæ per longa sæcula decoris atque dignitatis possessionem, virtute perpetua tuerentur: in hoc consistit, ut novitatem generis insolenti quodam fastidio à plerisque contemni videamus; tanquam non assequatur celebritatem nominis: si tamen illa & est virtutis comes, & valoris coæva, illud judicium est superbæ elationis vanitas: nam illustrius familiæ ornamentum veteris, aut recentis, est Virtutis; secundum vetustatis; ob illam quam sæcula antiqua autoritatem comparant, quam insita quadam ratione veneramur: ideo in nobilitate claræ gentis celebratur

A antiquitas; si non est extrema vetustate abolita nobilitas: Quoniam ut extrema senectus mentis vim & virtutem consilii labefactat; sic antiquitatis adimit dignitatem: sic pariter nobilitatis splendor, mediocri vetustate augetur, & florescit, & extrema senecta obsolescit; quia vitalis vigor deficit, ubi calor emoritur.

Videmus enim suas etiam ætatis familias, ut reliqua ad interitum nascentia, sortiri: & est nobilitas moralis inter naturæ bona numeranda: & ut in illis, est etiam in illa quidam flos & juventa: quam maturior ætas excepit, hanc consequitur senium, quæ mors postremo occupat, ut ne vestigium quidem priscæ nobilitatis relinquatur. Illud etiam tulit rerum vicissitudo, nempe ignobiles familias, alias ad laudem excitari, & ad gloriam incendi: alias majorum gloriam vix tueri: alias tandem de gloria decidere, & ad ima præcipites devolvi; plerasque inerti oblivione deleri. Ubi sunt illustres illæ Romanorum familiæ, ubi nobilis illa progenies Gotthorum: qui de virtutis gloria deciderunt, & nobilitatis dignitatem amiserunt: nec existimo eos tantum ad celebritatem natos, quos vulgus appellat, sed quos extollit Virtus, aut valor illustrat: ad laudem enim omnibus via patet: non omnes Resp. fecit nobiles, sed invenit, qui res magnas valore & virtute expetendas cupierunt.

Illud attamen natura comparatum est, ut sicut est nobilis quædam progenies equorum, certa nobilitatis indole: sic majorum satu generari plerunque posteris egregiæ cujusdam Virtutis indolem, quæ ut pretiosus adamas scintillas nobilitatis mittit; ut in Darii infantia inter suos æquales Vetustas observavit. In generis enim splendore frequenter virtus emicat, quam ut nobilitatis effectricem colendam arbitramur: illa tamen necessitat, laudabili studio nobili & generosa educatione, ut de potentia ad actum reducatur. Est enim consopita hæc ingenita virtus animo impolito.

Generosam tamen nobilitatem, à novis hominibus nulla majorum commendatione notis, magna contentione suscipi videmus, quo fiunt certe nobiles. Generosus enim ille animi ardor, quo qui præditi sunt, in laudis studium ardenter incitantur, non semper à clara progenie nobilibus innascitur: & ab obscuris & ignotis interdum comparatur: quo fere accidit, ut *novus homo*, virtute & generoso ardore illustris, in studio dignitatis versetur, ut inter generosos excellat.

De hoc viro plerique Politici dixere; *Quia in ea gente primus numeratur, non erit in numero Nobilium, erit tamen Familiæ principium:* postquam vero familia illius exemplis incitata, in gloriæ cupiditatem incubuerit, dum domum elucere incipiet, & illud nobilitatis lumen & gloriæ decus, Familiam constituit Generosam: primus attamen Generosus & Magnificus, non tamen Nobilis appellari solet: nam sicut primum, non numerum, sed numeri principium dicimus; sic illum primum omnibus honoribus dignissimum; non nobilem, sed auctorem & principium Nobilitatis existimamus.

Mihi semper aliter in hac re censendum æstimatur: Virum nempe, Familiæ principium, non tantum Nobilitati initium dedisse, sed esse Nobilem,

bilem, & potiori jure, & certe Nobilissimum: nam Virtus, quæ Familiam in Nobilem splendorem constituit, in illo cernitur cumulata, & Gloriæ dignitas ab illo in alios diffunditur; ut non tantum luceat, sed illuminet: non debet enim Apollinis splendor orbari nobilitatis gloria, quod sit lucis principium: illud certe deducitur ex illo philosophiæ principio, veritatis certissimæ: *Propter quod unum quodque tale est, & illud magis tale:* ergo ille Nobilitatis parens, est certe Nobilis numerandus.

Quibus autem artibus generis ornamentum, & familiæ decus ab illo principe generis comparetur, Aristoteles dixit: ab iis nempe à quibus conservatur: & istæ sunt virtutes inter omnes eximiæ, quæ civilem statum tuentur, & communi saluti prospiciunt: quibus hominum societas & unitas civilis comparatur; & permanet. Quare domestica instituta & mores selectissimi, & omnis viri probitas ad laudem faciunt hujus præstantis viri; non tamen ad dignitatis gloriam, nec ad laudem, quæ sola nobilitate comparatur, si illas virtutes non contulerit in communem salutem, & Reip. gloriam, defensionem patriæ, ac tandem communis vitæ societatem: non est enim sibi soli natus vir egregius, sed patriæ, ac universæ Reip. & ad universi ornamentum, & ad humanam naturam excolendam, augendamque; ideo tenemur adjuvare Remp. valore & consilio: decet enim virtutes ad hæc conferre munia: nam dum Resp. hominum societas, & salus adjuvatur; communitati prospicitur: quoniam quantum virtus magis diffunditur, tantum est capax majoris dignitatis, & magis splendescit, & plausus in seipsam conciliat: & hoc natura docuit illo communi consensu, ad paucorum virtutem divinis laudibus exornandam, cum se sentit maximis in rebus adjutam, illorum ope: ergo civili tantum disciplina ad istam nominis claritatem possumus pervenire.

TITULUS XI.

Virtutes, Quarum splendore Nobilitas fastigia conscendit.

Non est illa Nobilitas in aula vanitatis educata, nec vanæ elationis alumna; sed nobilium Virtutum splendore & gloria comparata, in Palæstra & pulvere *Laboris* immortalis; Inter Virtutes, quæ majorem splendorem Nobilitati comparant, est *Iustitia*, quoniam communem salutem præcipue tuetur, auget & firmat Remp. ac illam muris & vallis munit, hominum societatem firmat, regitque; nam ejus admiratione primævi homines, nondum politica disciplina exculti opes vitam & communem salutem generosis hominibus detulerunt, ac illos in summo dignitatis fastigio & gradu constituerunt; ut super illos obtinerent imperium. In Justitia enim est vitæ salutare præsidium, & communis societatis firmamentum; atque ideo à Justitiæ fonte Regia potestas orta est: hinc principes & optimates emerserunt: hinc prima Nobilitatis germina; hoc nullum omnino claritatis genus, aut antiquius aut præstantius, hac Optimatum ratione reperitur; eorum nempe qui primi Æquitate & Justitia

A humanam vitam excoluerunt. Horum divinitatem admiratus Hesiodus, Reges & principes ab Jove progenitos, in *Theogonia* dixit; quod plerique mortalium de se ipsis vana præsumptione crediderunt: Æacus enim, Minos, & Rhadamantus, Justitiæ præstantia sunt inter Deorum filios numerati; qui etiam, ut in fabulis legimus, *umbris jure dare* dicuntur; nec tantum apud homines, sed ne apud inferos quidem multitudinem absque gravitate legum, & severitate judiciorum, posse permanere, Vetustas credidit; Pythacus

B Mitylenæus hac æquitate ad imperii fastigium pervenit: Numa Pompilius super gentem Romanam clavum tenuit, Romuli imperio exacto, electione, non fortuna. Hæc enim virtus aliis decus & ornamentum comparat, & à reliquis abstracta, suam semper retinet dignitatem: Aristides Justitia Themistoclis valorem superavit, ut clarus illo apud Athenienses haberetur. Nulla ergo virtutum, neque artium ad nominis claritatem, neque ad gloriæ & honoris amplitudinem, inter reliqua hominis ornamenta, est *Iustitia* præstantior.

C Post illam commendat honoris claritatem & gloriam consequitur, generosa animi *Fortitudo*; quæ periculis cernitur: Hæc contemnit discrimina, & mortem, ut nobilem tueatur dignitatem & publicam salutem: patriæ libertatem omnibus vitæ commodis anteponit: Hoc incenditur generosis exemplis, & Virtutis studio. Ideo forte apud Macedones lege sancitum erat, ut qui nullum hostem in acie vicisset, capistro publice cingeretur: & apud Scythas poculum circumlatum non licebat accipere, nisi illis, qui grande fa-

D cinus ediderint in acie. Solon inter leges statuit, ut eorum liberi, qui pro patria dimicando oppetierint mortem, de publico alerentur. Erat enim olim præmium dignitatis, illa fortitudinis gloria: nam hinc Nobilitatis splendori via patet. Quot facinora nobiles Romani edidere illecti sola *Laudis* imagine? quot coronas murales, castrenses, civicas, triumphales, est generosa illa Animi Fortitudo consequuta? quid non dedit nobilis splendoris & honoris magnifici Martialis

E valor apud nostros; quæ non subiere discrimina viri fortes, ne dedecoris infamiam subirent; Hæc animi invicta Fortitudo instauravit Hispaniam: novas gentes, & ignotas, & novum certe orbem nobis dedit *Ferdinandi Cortes* Valor, & Fortitudo. Duo Decii Romani, neque noto neque publico genere, ob singularem animi fortitudinem, (vita & salute patriæ oblata,) nobilitatis gloriam, & laudis ornamentum sunt immortali valore consequuti: Lucius Marcius, eo quod Remp. Romanam Hispania jam collapsam, restituit,

F amplissimæ gloriæ ornamenta promeruit: ut Cato Censorinus singulari prudentia & valore: & Q. Marcellus, quod impetum Annibalis compresserit: Fabius Maximus, quod Romam obsidione liberaverit, trans Alpes jam progresso cum milite Annibale.

Haud minus nobilitatem ornat, & illustrat liberalis & munifica magnificentia; quia animum arguit generosum, dum amplissima largitur beneficia, in utile commune, & publicam salutem: hæc enim gratitudine cives obligat ad retributionem beneficii, dignitatis & laudis: & ad æstimationem

mationem generosæ virtutis; Hac generosa virtute, Priscus ille Tarquinius, exul, & ignotus apud Romanos, clarum sibi nomen comparavit, & ad sceptri fastigium pervenit: & Medicis familia nobilissima in Latini patris ditione, prodiga, nec tantum liberali munificentia, nominis claritatem, ac summum dignitatis gradum, & summum tandem imperii fastigium in patria obtinuit. Hæc enim virtus tacita eloquentia, secretiora animi studia conciliat, & acrioribus stimulis explorat: nec est ullum ad nobilitatem aptius instrumentum: ideo forte apud nostros olim primum dignitatis & honoris gradum obtinuerunt homines divites appellati, nostro idiomate antiquo, *ricos homes*; quia in publicam utilitatem divitias & opes liberali munificentia largiebantur: & tantam vim hodie, ad splendorem nobilitatis divitias obtinere videmus, ut sint illæ ad honores compendium; & apud omnes nationes nobilitates sunt antiquæ, divitiæ; aut sine illis omnino non consistunt. Illud est axioma omnium nationum, *esse nobilitatis materiam divitias*: & formam, dignitatis antiquitatem: quoniam sine illis, nec facinus egregium, nec nominis splendor, nec antiqua familia, nec domibus nec civibus ornatus, potest diu consistere, quin temporis edaci dente cedat.

Pari celebritate civilis status, scientiarum splendore adornatur nobilitas: non tantum quod opera impendant in communem salutem; sed quia illæ docent virtutum excellentiam, quibus nobilitatis splendor comparatur, & dignitas: nam æquitatem & justitiam docet *Iuris prudentia*: animi fortitudinem *Theologia: Philosophia & Medicina*, pericula contemnere, & omnium virtutum altitudinem: suadere quod optimum, *Eloquentia*: liberalem magnificentiam sola Natura docet: interdum comparandæ dignitatis occasio: ac per varias rerum vicissitudines prudentiam, sola Experientia, quæ inter ipsa discrimina ediscitur; sunt tamen inter hos quidam docti, non vere sapientes, nec sibi nec Reip. utiles, & hi sæculum transierunt insulsi.

Inter Togas & Arma fuit olim celebrata contentio: *Vtra nobiliorem comparet claritatem, & dignitatis gloriam*; *Cedant arma togæ*, dixit Tullius, *concedant laurea linguæ*; Illud nobilis & antiqua vetustas ratum duxit; erant enim res publicæ Utopiæ per classes distributæ: nec ulli viro fas erat res publicas extra classes deducere: ne ulla rerum confusio, nobilitatis ornamenta confunderet; æstimantes quod æque pacem & Utopiam consilium conservat, quam arma consequuntur & tuentur: olim togæ & arma vicissim & per classes civili disciplina, operam & auxilium præstiterunt Utopiæ: nunc apud nostros & toga præliatur, & miles præficitur litterarum studiis summa confusione civilis disciplinæ; principis nulla in eo culpa, sed temporum infœlici fortuna.

His alio dimissis, plerique liberæ civitatis consensu, aut principis favore ad nobilitatis fastigia ascenderunt: quoniam alia nobilitas nititur sola opinione, alia virtute & valore; & alia tandem natura & industria continetur: opinionis levitatem semper prudentes viri pro nihilo habendam putavere; virtutis laus & gloria nobis ipsis ape-

A rienda est, non tamen aliunde sumenda: generis dignitas & splendor, si illis vis naturæ accessit, principum imperio minime flecti potest: bene possunt principes opinionem dare, nulla tamen valet virtutis ornamenta imprimere. Quare illuc debent leges respicere, & civitates attendere, ut cives potius ad laudem, ad gloriam, ad virtutis ornamenta incitentur, quam ad fucatam celebritatem nominis, quam nec patriæ prodesse, nec utili communi, experimur.

Præmia assequantur qui meruere præmia: turB bat enim Utopiam, si præmia, qui periculis non affuerint, favore & pecunia consequantur: sic enim melius & civitatis opes, & juris æquabilitas conservantur, si præmia largiantur meritis & laboribus æqualia; non enim confusa largitione præmiorum, principis servitio, & Reip. defensioni viri comparantur; sed præmia vilescunt, neque generosi viri ad gloriam incitantur; & vera cum fucata nobilitate confunditur: & promiscue viri omnes & universa Resp. pravo exemplo, ad desidiam prolapsi, luxu inerti, ac otio torpentes, C in communi morum corruptione vilescunt; ut nostra Monarchia hodie experitur.

Emeriti viri, in angulo sedentes, scientia aut martiali disciplina præclari, præmiis provocentur; & de potentia ad actum reducantur; aut principis favore, aut calore fortunæ: homines enim propter finem maxime generosum, inhiant & ascendunt; ac ideo ornandi sunt, qui elatiori animo ad virtutem, honoris, & gloriæ cupiditate, incenduntur; ex quacunque gente & natione sint: nam si gloriæ & honoris campus intercipitur, D virtutis studia marcescunt, præmiorum defectu: nil enim paribus studiis civili disciplinæ adversatur.

Hoc certe, ut maxime necessarium, sibi proposuere urbium conditores. Hoc bene novit Romulus; & postea universa Resp. Romana, dum viguit floruitque: cum gentes ex omni natione honoribus, magistratibus & gloriosis præmiis afficerent, ut ad virtutis gloriam advenas, & indigenas gentes incitarent; nil est enim æque & principi magnificum, gloriosum Reip. quam E titulis dignitatem honestare, ac valorem & scientiarum ornamenta extollere: hoc enim artificio dignitas & justitia, virtus & æstimatio augetur, ac conservatur: nam si præmia largiantur indignis, dignitatis & virtutis studium infringitur: neque præmiis potest consequi princeps, ut vilis & abjectus animus ad nobilitatis claritatem perveniat: quando tenetur generosum animum & invictum splendidis titulis adornare, ut plures alii ad virtutis studium acrius incitentur: non ad fallendi artes, & solertiam, ut principis favorem F consequantur; ut hodie Vetustatis exemplo practicatur; *Seiani enim voluntas*, dixit Tacitus, *nisi scelere & pecunia quærebatur*. 4 *Annal.* 14.

In magnis exemplis stabilitas & salus Reip. consistit, quod bene novit Tacitus; *Peribit Resp.* inquit, *si præmia assequantur qui periculis non affuerint*: Hoc singulari energia Plato dixit, in fabula de armatis hominibus: *Deus*, inquit, *homines ad imperandum ex auro fabrefecit; qui Reip. salutem intuentur ex argento; opifices autem ex ferro: ac ita fit, ut cum ab eodem principio ortum habeatis, vobis similes plerunque generetis: evenit tamen ut ex aureo parente,* *lib.* 3. *de Resp.*

 inter-

interdum argentea soboles nascatur; ex argento aurea: & aliquando ferrea ex utroque: nam vicißim omnia ab aliis oriuntur. Iubet itaque Deus ut principes inspiciant, quid in animis liberorum suorum immixtum sit: quod si æneum aliquod, aut ferreum insitum in sensibus eorum inspexerint, munus eorum naturæ conveniens aßignent, & ad opifices, aut agricolas dimittant: sin ex illis aliquod aureum aut argenteum extiterit, honoribus afficiant: & alios quidem mittant ad urbis custodiam, & imperium; insideatque in eorum mentibus, fuisse olim oraculo prædictum, civitatem, tunc omnibus bonis evertendam, cum ea ferri aut æris custodia commissa fuerit. Hæc Plato de principis officio in Socratis persona disputavit.

Ex hac doctrina patet, non tantum homines industria præstantes, ex aratro ad urbis custodiam evocandos, & nobilitatis ornamentis afficiendos, & dignitatis gloria provocandos; sed etiam nobilissime natos, si degeneres & ignavi, aut vitiorum colluvie polluti, in infimam plebem conjiciendos, ut illa nobilis vetustas credidit: quod magnis exemplis Romana Resp. nos docuit; in Villico Danubii Deciis & Tarquinis; nec apud nostros ita gloriosus extitit Reip. status, nisi cum ex aratro ad sceptrum duxit Principem; & exteræ nationis generosos fecit cives.

Annal. 8. *Majores mei*, dixit Claudius imperator, (*quorum antiquißimus clausus origine Sabina in civitatem Romanam scitus est) hortantur, ut paribus consiliis, Remp. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit: neque enim ignoro, Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tusculo, in senatum ascitos: tunc solida domi quies, & adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, & additis provinciarum validißimis, fesso imperio subventum est: num pænitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transivisse? manent posteri eorum, nec amore in patriam nobis cedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant; at conditor noster Romulus, tanta sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Orationem principis secuto Patrum consulto, primi Ædui senatorum, in urbe jus adepti sunt; alienigeni è Gallia sunt officiis omnibus firmati.

Hæ sunt virtutes, quarum Polis nobilitas augetur, & consistit: & ab illis decidere, nobilitatis decus, & ornamentum penitus aboletur: sicut enim cives & æquitatis laude, & virtutis studio & beneficentia, iis artibus, bene moratis animis, floruerunt, & sunt nominis claritatem consequuti: clare patet, quod vitiis contrariis obsolescet nobilitas: ea enim nobilitatis indoles, aut prava educatione, aut malorum exemplo, si non insita ad malum propensione doletur: aut inter fluctuantes juventutis passiones confunditur, si non est ad honesta excultus animus: sed mea sententia, prava institutione comparatur: Quare sicut æquitatis studium multis nobilitatem comparavit: sic iniquitas, injuriæ indignæ, & in multos hominum contumeliæ, plures honoris possessione dejecerunt; cujus calamitatis sunt testes oculati, miserabiles exitus hominum insolentium & tyrannorum: nec enim illi tantum pœnas luebant vita propria; sed & eorum filii sunt orbati propria dignitate, & illustribus avorum imaginibus.

A Quare illud erat severissime lege sanciendum, hos degeneres homines ab illustri familia fore ad infimam plebem relegandos, ut luerent infamiam, quod vitiorum dedecore perdiderunt: ut discat caveatque posteritas: sed apud omnes, isti licet dedecoris fugiant ignominiam, nominis celebritatem non assequuntur.

Magnanimitati generosæ est contraria, ignavia & timiditas animi: hæc auget, illa perdit nominis claritatem: quid enim est miserius formidine perterritum, ab statu mentis decidere, ut ne valeat quidem dignitatem tueri. Quot honoris occasiones B illabuntur è manibus, inter ignavam formidinem animo fluctuante? non sapit enim ubi possit consistere.

Regiæ liberalitati est illiberalis avaritia contraria: illiberalis animus dignitatis clavum, & gloriæ celsitudinem de manibus extorquet: quoties animum à generose operando seduxit, avaritiæ sordes: quantum attulit vilitatis livor alienæ fortunæ; quoties generis ornamentum deturbavit lucri sacra cupiditas, per illicita media, & vilia & sordida: C non aliter comparantur divitiæ, (dicet aliquis) quibus tuetur honor. Illud alte perpende, quod nobilitas cum animo generoso, & nascitur & occidit inter polos generosæ fortitudinis & liberalitatis; quare illi sola vanitate elati, & fatua arrogantia superbi: nudo nobilitatis nomine sunt odio dignissimi, quorum celebritatis vilitatis & vitiorum turpitudine defœdatur: quando neque generis indole, nec majorum exemplo ad virtutem excitari potuerunt; voluptatis illecebris, vecordia, aut vitiorum vinculis D præpediti: hos ego ad hospitia furentium relegarem: aut construerem stultorum hospitium, ubi degerent à nobilium consortio separati: non est enim elata vanitas, & ignava stultitia digna misericordiæ; quod ingratitudinis species; nam homines isti inflati, imperiti, ignavi, & animi abjecti, sola vanitate tumentes, cum nulla floreant ingenii dignitate, nec ulla vitæ laude; nec ullo amplitudinis fructu tueantur Remp. non merentur dignitatem Reip. nec adhuc nomen civium; nam in istis vanitas est vanitatis præmium; ita E enim inani nobilitatis nomine sibi blandiuntur & complacent, ac si de cœlo delapsi fuissent, & ex Deorum satu progeniti.

Hæc furoris species erat certe veratro eluenda & curanda, sed non omnes stulti elleboro curantur: nam se beatos & florentes existimant, sub tam altius radicata animi ægritudine: quem enim fructum feret nudum illud nobilitatis nomen, inter Reip. furentes seditiones, inter belli tumultus, & publica & privata discrimina; domesticis aut externis intelligentiis agitata Rep. F in hoc enim statu, virtute & consilio res geruntur: non fumosis parentum imaginibus: illud certe vanitas ignava devitare non poterit, quod sedebit in angulo, quando novus, at generosus homo Remp. valore, divitiis, sanguine, & consilio tuetur: sed nec illam illi sentient ignominiam: nulla enim sub timida ignavia animi potentia operatur, cum vita est in dubio: & communi discrimine omnes errori cedunt: & isti, sua opinione beati, illam imaginem dignitatis adorant, & majores suos in ore semper habent: sed quis, (ut Isiodorus Træsenius dicebat) patrem lauda-

laudabit, nisi liberi infœlices! nam illi solam fabulam agunt dignitatis in hoc orbis Theatro: nos autem ad virtutem animo generoso contendamus; nam veteri proverbio admonemur; ut ad rerum fastigia nitamur, si *media tenere* cupimus.

TITULUS XII.

An paupertas nobilitatis splendorem obscuret, & illustrent divitiæ.

Paupertatem ut obscuram & ignobilem judicat, qui divitiis caret, animi generosi, quibus possit fortunæ injuriam compensare; at ubi virtus præest, paupertas non obscurat virtutis splendorem, imo nomen clarius & illustrius reddit: *Præcipitis necessitatis morsus acutissimi sunt*, dixit Porcius, *acuminat inopia ignaviam, erudit paupertas mentem.* Ac ita plura homini denegavit natura, ut necessitas industriam ad melius excitaret; & videtur auctorem naturæ Deum, in ipsa nuditate adorationem posuisse: adoraverat natura arbitrii gloriam, & ideo nuditatem induxit; illam cavet violari, hoc hominibus injuria putatur; hic livor, hæc contumelia; forte favor naturæ est, forte reverentia, noluit hominem sese rebus humanis misceri, ut cœlestia potius intenderet, & meriti privilegio solaretur; nudum & inermem natura produxit hominem, munitum utrumque brutorum genus; at insita reverentia hominis nuditatem adoraverunt bruta: Phaonem nudum coluerunt hyenæ: Favorinus quatuordecim inter feras annos montium & sylvarum civis deguit. Didymus pedibus colubros compressit, & ipsi illius pedum nuditatem venerabantur; infantes nudos ab animantibus sæpe alitos legimus; ut Romulum à lupa, Cyrum à cane: Thelephum à cerva: Jovem à capra: Parasium & Licastrum propriis rejectis catulis lupa nutrivit: quo in opere videtur nuditatem innocentiam antecellere: quare prius sibi deficiet misericordia, quam in nudum charitas.

Quid Epaminondæ de gloria detraxit rei familiaris angustia? Quid Quinto Carolo, invictissimo Cæsari, se à tanta Monarchia abdicasse, ut se voluntariæ paupertati submitteret? sola ignavia & sordida desidies infamat paupertatem; nil enim animum æque excelsum reddit, quam opes animo generoso contemnere: hæc enim virtus in publicam utilitatem cedit, & sola illa quæ sunt virtutis generosæ, sunt non tantum honesta, sed decora, ideo imitanda: seu nobilis paupertas, seu justitia, seu legum observantia, pecuniarum aut ambitus contemptio; sed ita natura comparatum est, ut homines vehementius irritentur ab objecto præsenti divitiarum, vanæ ambitionis & infœlicis avaritiæ, cum hæc sensus vehementer pulsaverint: & interim splendorem virtutis & gloriæ non videant: ideo fere accidit ut majorem æstimationem divitiis detulerint, quam æstiment virtutis splendorem: ideo etiam jura rerum & vitæ, homines in lucro posuerunt, quod super omnes gentes dominatur. Nam plerique homines, cum magnorum virorum virtutes assequi non valerent, eorum vitia sequi decreverunt, si per illa ascenderunt fastigia: vident enim summos honores Remp. deferre opulentissimis hominibus, & divitiis affluentibus: ac ideo in illis cumulandis omnem curam locant, ac virtutem despiciunt: nec ideo dubito, divites melius gubernare Remp. si ex alio principio generosi.

Sed debemus attendere, quod heroës valore & justitia sunt immortalem gloriam, in nominis claritate consequuti, pariter & divitias: & quod honores sunt certe amplissimis hominibus deferendi, quod sint illi magis industriosi homines & sagaces, & ad præferendos Reip. labores magis apti; ac ideo ipso jure dignitate dignissimi: præterquam ad imperia & magistratus, auctoritate & divitiis tuentur: quod non valent inopes & egeni, dum summa rerum inopia premuntur; ubi colere eas artes non valent, quibus patriæ maximis in rebus usui esse possunt; & quia debent necessario victui comparando incumbere: ii enim tantum sunt deputandi ad vitam moderate & honeste degendam.

Si vero infimæ classis homo, præclaros ex familia, virtute & nobili industria antecelleret, ut solertia è tenebris emergeret: tali viro noluerunt nobilissimæ Resp. esse aditum ad summos honores interclusum, (ut apud nostros etiam practicatur;) tunc enim optime Reip. consuli putabant, cum virtus & frugalitas inerti nobilitati esset antelata: non enim divitiis abundare, tenuiores affligere, neque in Remp. dominari sed cæteros justitia, valore, prudentia, & aliis animi dotibus superare, carum omnibus esse, patrem patriæ salutarem Reip. existimari, illud est certe gloriosum dignitate, & gloria dignissimum, ac summis honoribus illustrandum; est enim honor, divinum quoddam præmium, virtuti, labori & honestati constitutum, omnem turpitudinis labem à se pellens.

Quare divites solis fortunæ bonis quandam honoris umbram assequuntur; quæ infamiam nunquam potest delere: vidimus enim apud nostros plerosque variis ornamentis illustratos, qui nunquam sordidam originis labem potuerunt eluere: non enim illa domus gloria floret, in qua innumerabilis pecunia congesta est, sed quæ multis valoris & abstinentiæ exemplis abundat; nec qui opibus & potentia præstant, sed qui sunt virtute & dignitate principes; splendide solent ac magnifice laudari; nec illi qui propriæ vitæ consulunt, sed qui eam pro patriæ salute obtulerunt, in gloria sunt: hanc certe gloriam videtur Senecam adfectasse vitę moderatione, quando de Nerone dixit: *Hoc quoque in tuam gloriam cedet illos ad summa vexisse, qui & modica tolerassent.* Sed aliud in verbis, aliud in operibus legimus.

Nec vos terreat nomen miseræ paupertatis, si illam animi bonitate compensare velitis; nam ille omnium est vitæ statuum fœlicior, in quo nec invidere, nec invideri possis; nec ad mortis aspectum terrearis, si vitam à vobis patria postulaverit; pro illa enim gloriam immortalem consequemini; amate, colite quam non videtis gloriæ immortalis pulcritudinem, quæ in summa virtutum dignitate sita est, veluti in Olympo hujus humanæ vitæ: & non illam divitiarum gloriam, quæ perit cum divitiis: horum enim perit memoria cum gemitu: & excellentem industriam in virtutis studio consumite: justitiam & pietatem colite, universum genus humanum beneficiis vestris

ſtris obligate; patria vos acclamet ob charitatem mutuam: ſic enim illam honeſtatis & gloriæ amplitudinem & nominis celebritatem conſequemini; quam præſentes admirentur,& memorentur poſteri memoria gratiſſima. Romani Codri pietas nunquam excidet ab hominum memoria, qui ſe in medios hoſtes injecit, ut morte ſua patriam conſervaret; neque fœlix Scævolæ recordatio, ut patriam obſidione liberaret: clariſſimam Leonidæ mortem pro ſalute Græciæ oppetitam miris laudibus poſteritas exornat: Decii virtutem, in generoſo animi valore propriæ & exteræ nationes admirantur; neque noſtrorum gloria, aliis nationibus,in valore & pietate cedit: nos etiam pleraque glorioſa operemur, ut de nobis dicant poſteri noſtri.

TITULUS XIII.

De iis quæ in Remp. neceſſitatis ſpecie, irrepſerunt.

Si illa omnia, quæ bellorum licentia, vitia irrepſerunt, & in pace à regni opulentia, prava conſuetudine, & dedignatione parendi, expendere velimus, coërcere intendimus, prius nos inſania vinciet, quam commendet prudentia: ideo illa prudentibus toleranda, juventuti fugienda proponimus.

De monetæ mutatione.

In extrema principis & Regni neceſſitate, utile viſum eſt,Monetæ valorem mutare intendere, aliquando minuere, aut nova excudere metalla: alterationis pericula docuerunt, rerum experientiæ & obſervationes; nam Philoſophiæ præcepta regulas generales conſtituunt, quas ſingularis urgentia quotidie invertit: nec dubito,ſi urgentia utraque manu angit, in hoc rerum ſtatu, ubi ipſa celeritas mora eſt, inevitabilis periculi extremo, quod monetæ valorem mutare, aut intendere fas ſit, aliis auxiliis ſine fructu tentatis: quod morbi in extremo prudentiores conſulunt; & maxime ubi majus eſt quod lucratur, quam jacturæ periculum ; quod in extremis auxiliis cum torno & cothurno, conſiderandum puto, & ante executionem collimandum, ne conſilium arguat contrarius eventus: quoniam, ſicut magnas & ſubitas mutationes non tolerat natura abſque vitæ periculo, ita nec Reip. corpus, quod quavis alteratione graviter commovetur; unde graviſſima accidentia, præter omnium expectationem concitantur: quæ non facile poſtea compeſcueris,adhuc ablata cauſa: hæc enim potius ſunt maligni apparatus conſectaria, quam commoventis cauſæ gentilitia: ac ideo, in ſumma corporis Reip. morum corruptione, cautius eſt agendum; nam prudentius erit, periculoſa accidentia præcavere, quam quavis levi alteratione, (nulla enim eſt parva in corpore Reip.) corpus inſalubre, adhuc præſumpto periculo exponere.

Sit nobis in exemplum quod his diebus vidimus, ſub catholico & piiſſimo principe Philippo IV. per annos 1628.& 1642. ubi valores monetæ intenduntur; & ob alias conſiderationes poſtea de valore detrahitur; ſi illa quæ inde graviſſima emerſerunt pericula perpendimus, nos hoc tempore populorum nutantem fidelitatem vidimus: & ſub clade ingentiſſima Regni ſubſtantiam attritam, hominum ſocietatem perditam, & omnem nervi ſubſtantiam exhauſtam; vidimus etiam regalia principis ſigilla, lucri ſacra cupiditate falſa ; & negotiorum alteratis commerciis, commeatus rerum omnino præpeditos: & quod magis eſt, neque neceſſitati urgentiſſimæ, neque communis vitæ, nec conſervationi tumultuantis & ſtridentis belli,ſat fuiſſe;nec inde in poſterum ſperatum auxilium, in valoribus rerum ex hac mutatione experimur: imo ex abyſſo in mille alias vidimus incidiſſe, nec ullo ingenio damna erroris jam exacti compenſata: illud tamen illa occaſione notavimus, parum abfuiſſe, quin Regnum, & Monarchia, initium ruinæ perſentiret: quod non ceſſit,quia magna Monarchia conſervatur ponderibus librata ſuis.

TITULUS XIV.

De callida & ſtridenti forenſium multitudine in ſimplicitatem populorum armata.

Ætates ante actæ ſimplicibus vivebant legibus, quia homines ad naturam vivebant, non ad artem: poſtea dominandi libidine pro pudore dominatur ambitio: aucta eſt opulentia, & vitia, paupertate ſuppreſſa,repullulant; ambitione & licentia: ex hac morum corruptione, talis legum multitudo irrepſit, ad coërcenda vitia, quæ ex illa quotidie emergunt,& in tam magnum numerum jurgiorum fautores, ut vix ignem ambitionis tota maris aqua extinguat: ex noſtris provinciis olim nulla non expers fuit eorum qui ſe litibus doctos jactitabant; quietem agebant oppida, & quidquid diſcordiæ inter cives exarſerat, rudis, ſed beata æquitas compeſcebat per arbitros: & ignari ſalutis paſſi deinde ſunt, ex illis hominibus apud ſe unum,ſaltem duos relinqui,ut judices Caſtellæ, in inſtauratione primitiva: illico ortæ ſunt contentiones validæ, & diſſidia per ætatem tulerunt inquieta ingenia: & inde orta eſt tanta litium multitudo, ut in foro exerciti,ſæpius lites excuderent, quam invenirent: & talem poſtea librorum multitudinem ambitio invexit ſuper ſimplices leges,ut ſolis titulis legendis Neſtoris vita longæva non ſufficiat: inde etiam in tam magnam multitudinem crevit multitudo forenſium, ut hac occaſione Advocati, patroni, ſcriptores, lectoreſque (nam judices, quod eos princeps creat, vereor nominare) adeo numerum ſuperant, ut pauciores ſint agricolæ, & qui in mercatura verſantur pauciores, & qui regnum cuſtodiunt: unde tanta gens vivit; & tam magna miniſtrorum auctoritas tuetur? niſi injuria populi, & clade & ſanguine miſerorum: eo majori Reip. periculo, quo in majori numero, quam ſi inter pauciores, ſed ſpectati candoris, miniſtrorum & Advocatorum munus eſſet; & tot illa ingenia quæ noxia calliditate ſe corrumpunt, melioribus ſtudiis ornarent patriam: cultura terram fertiliorem redderent, diſciplinas & artes, aut proderent novas,aut inventas excolerent.

At excuſabis hujus factionis multitudinem, & hos jurgiorum præceptores, & inductores litium, ex ipſo litigantium numero,& vivendi prava conſuetudine, & vitiorum quæ quotidie nova repullulant, quibus omnia fere tribunalia non ſuffi-

sufficiunt, & in vasta Monarchia, & variis provinciis, quorum expediendis negotiis adhuc cuique dicata tribunalia suppetias non ferunt; ne homines negotiorum dilatione, ministrorum inopia conficerentur: per pauciores enim tot causas agi, tot explicari negotia non posse: imo judico, quod ex judicum & patronorum numero crescunt lites, ut morbi ex medicorum numero: adde nova tribunalia, non deerunt quibus placeant novæ leges: quod si de veteribus adimas, ita cadet pars litium, ac de morbo decedat, si de hodierna medicina substraxeris.

Forensis hujus æstus causa est, quia judices adfectata principis dignitate, in summo jure semper inveniunt, quos submittant fascibus suis: nec rabulæ deerunt, & his quoque deterius genus homines, quidam scientes formularum, omnisque ad litigandum, articuli, qui alios, inter se committant: vel ipsi reperta litigandi materia, hujus ludi ignaros exerceant: cum hoc, quod sicut meretrices clientes spoliatos, absque misericordia projiciunt. Quare si pauci, & electi Reip. utili, negotiorum laboribus incumberent, brevius, & securius expedirent negotia, quam plures proprio lucro æstuantes, & adfectato labore delassati: plus enim valet unius labor, quam multorum inexhausta cupiditas.

Sed utcunque numerosi, justi forent, si brevi saltem supplicio contenti, mulctatos dimitterent, illud omnem calumniam superaret: quippe nunc æterna sunt jurgia: ut si cum sumptibus sit molestiarum ratio, & pudoris, gravius putes sic vincere, quam confestim damnari: illud hodie potissimum principis curam exigit, has amputare ambages, spatiumque constituere, ultra quod nullis litibus fas sit senescere; nam & modum, & numerum prægressæ sunt artes & nomina, quibus miserrimos clientes, patronos, & judices frustrantur; articulatim, & lente, hos discerpunt, qui semel mori potuerant; sæpe itur ad judices, sæpe narratur causa, & dilatatis articulis aliquot anni abeunt, & ne dum *contestatio litis* (ut dicitur) audita est; judices alio distracti, interdum negotio non vacant: & omisso quod litem facit negotio, hærent patroni in causis minoribus, quæ nunc sponte, nunc eorum studio nascuntur è prima; hæc adornant præludia, his proclamant inauditis iter ad verum judicibus esse non posse; sic dubia ex dubiis nascuntur, & ante pereunt litigantes, quam finiantur lites: & si his addatur pagina suprema auctoritate sigillata, nec sumptibus immensæ divitiæ sufficient; nam inde fere accidit, ut pupilli, viduæ, & pauperes, causas præ inopia deserant, magna in insontes, & inopes injuria. Nam qui in divitem inimicum pauper incideret, tam longo & sumptuoso itinere conficitur, procumbitque, utcunque delassatus: neque recuperato jure inultus, æmuloque minus suo, quam huic prolixæ æquitati irascitur: nec quære, cur tam diu judicibus placeat, & patronis, ad se delatos cruciari? quia nempe ex mora, & tempore sua opera æstimatur: sic enim utriusque crescit merces: multa scripsisse, multa addidisse, (quæ poterant compendio fieri) acerrime vendunt; eo pejores, quod quæ peccant, justitiæ imputant; & consuetudine videndi miseros, deinde faciendi exuunt humanitatis sensum: an potius, miserum esse non credunt, litigare; ita duri ad quæstus, parum supplicibus moventur: & ab ipsis tam culti, saltem amant longiora in ipsis exercere imperia.

Querelæ istæ non audiuntur à principe; aut si repræsentantur, fucatis ministrorum coloribus à principis mente decidunt: sic semper fuisse exclamant, & sic semper futurum: & his principem etiam indigere, (ultima convenientiæ, non rationis ratio) præstaret enim de remediis in eam cladem videre, quæ fortasse ab ejusmodi sanctione non incommode incipiet, prospiciendo, in miserorum clade adjuvanda, & inutilis factionis invidia coërcenda.

Labentibus sæculis specie æqui, & iniquitatum, novo scaturientium numero, in reorum auxilium, inventæ sunt cautiones novissimæ, ex quibus simplicitas legum occubuit, frustrationes rescriptæ, & quæ semel constitui poterant, velut religioso ordine, in varios dies dilata, tanquam ut perpendantur melius: hæc vero, quia judicibus & patronis ad lucrum sunt, jam neglecto reorum commodo, tam sancte observantur, quasi judiciis cives, non hæc illis inventa sint.

Ex istis & multis aliis deceret resecare quod justi temporis mensuram excesserit; nam & sex mensium studia, ac diligentia, nulla causa effugiet: & si illo spatio exacto, adhuc deliberabitis, juste à tribunali discedetis; neque religiosa scrupulositas nimii juris, cunctationem injiciat ex animi vestri sententia: quod tunc liquebit, discernite: quandoquidem, & sæpe post annos, & lustra, haud minus turbide, & si fas est dicere, inconsulto causæ principio obliti, statuitis; non enim tempore, sed diligentia veritas constat.

Dimitto stridentes tribunalium competentias, quæ toto egent principe, & nec adhuc sumptibus disceptantium, longo tempore finiuntur; hi sunt nodi, quos Magnus Alexander, cum arte & prudentia non valeret absolvere, gladio explicuit. Quid multum, & illa responsa ministrorum sunt sicut Apollinis oracula, quæ contraria postulantes spe dubia tenebant in ancipiti, sed eventu contrario; in moram erat potius ira, quam in damnationem. respicite ergo in majores, ubi magis ad naturam, minus ad artem degebatur.

TITULUS XV.

De inutili sarcina Medicorum.

Illa tandem Medicorum congeries in consultationibus veritatem confundunt; nam ubi multa judicia, ibi major confusio: lapidum enim congeries geometricam altitudinem condit, non unitatem physicam: sic ingeniorum multitudo non unum facit egregium; imo se mutuo impediunt, non juvant. Præsumptione unus, alius audacia, & alter cavillatione; quæ cæteros in propriam sententiam allicere, speciose magis, quam vere satagit: nullus enim simplicis veritatis inveniendæ modestia contendit; nam sæpe ex illorum simplicitate & istorum astu, ad ingenium causæ disceptatores non perveniunt; & callidæ eloquentiæ fuco, & simulata relatione, sententiam ad majorem solutionem vendunt; testibus adaptatis pro ut solventis necessitas exoptat, aut ipsi placet: & ubi causam adhuc nudam conspexerint,

rint, penes unum vel alterum est arbitrium: sed non an ad sententiam sat liqueat. Non ita est certe discernendum, sed ipsa perspecta veritate, licet à potentioribus violenter contorta: æqui bonique judicium est; nam contradicendo nunquam rationes defecerunt: quod si hanc fidem fefellisse constiterit, præter infamiam, aliud genus supplicii accipiunt, ut de ponte illorum suffragia dejiciantur: seu aliud quod aliis terrorem incutere maximum videatur: sed hæc omnia videntur in terroris imaginem adornata, nam qui prævalebunt in potentia, facile illos trahent in propriam sententiam; qui sperabunt sub tali imperio regnare: de quo populus queritur, & sine fructu dolet: nec putetis hæc levia esse, non enim dubito quam ampla factione, ista mala minentur: nec dubito etiam multitudinem inutilium novis malis occasionem dare; nam ita cadit pars litium, si de patronis inutilibus detrahas, ac si de hodierna medicina substraxeris: demitto noxiam & inutilem Medicorum colluviem, quæ mercenario potius stipendio vivit, quam honesta & nobili literarum mercede; nam apud illos potior est negotiosi quæstus diligentia, quam Reip. salus: sed hoc gentis genus semper erit vetitum, semper admissum: an sub necessitatis specie, libertate permissa, laudabili principio, incurioso fine.

TITULUS XVI.

Vtopiæ Romanæ facies crescentis, florentis, & cadentis, per varios status; Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ.

Ad optimam iustituendam Remp. illud profecto maxime interesse, rati sunt omnes viri Politici; severa nempe, civium disciplina, virtutis studium, & honesta paupertas: & si valent exempla, quibus maxime alliciuntur homines, patet, si faciem Romani Imperii quo tempore viguit floruitque, æquo perpendas animo, & si pariter vitia, quibus ab illa fœlicitate decidit.

Nam licet præceps & lubrica natura sit, & sponte ad vitia feratur, tam nitidus formosusque est honestatis & virtutis splendor, ut ejus amor non tantum à fraude, sed à flagitio viros, adhuc sui oblitos, revocet: & ad honestas atque præclaras res obeundas facilime traducat: quod profecto in gloriæ studio, quo quisque aureis funibus allicitur, situm est; quæ cum aliorum de nostra virtute opinionem intueatur, mirum est quibus quasi facibus generosas animi virtutes ad res ne tantum difficiles aggrediendas, sed ad maxima adeunda pericula; exigui sæpe fructus spei, uno famæ & gloriæ ardore inflammet, accendatque, nam gloriosa virtus adorat generosa facinora; ut quam caduco corpore æternitatem assequi non valemus, immortali animi actione consequamur: æternitas enim nostrarum actionum, in honesta hominum, qui futuri sunt, prædicatione & memoria libratur; quæ quo à puriori virtutum fonte, & honesta paupertate ducuntur, eo ad nos uberior gloriæ affluentia permanabit; quæ profecto præclara agendi ratio, licet variis studiis patere videtur, ea tamen est animi generosi gentilitia: quæ nescio quomodo omnium judicio excellere, ac proxime ad Divini Numinis imitationem accedere existimatur; quæ tota in juvandis hominibus est occupata, non tantum in actione, sed exemplo: ut merito quondam ii, qui hac gloriæ laude floruerunt sint inter Deos habiti, ac divinis honoribus aucti & cumulati.

Inter eos qui in hoc studio cum laude versati sunt, ii mihi præcelluisse videntur, qui civitates suas sancte administrarunt, & cives in severa disciplina, & honesta paupertate continuerunt; & exteris & suis fidelitatis jura integra præstiterunt: quorum, quo magis virtus in hominum genere sublevando enituit; & in tuenda pace; eo commendatior extitit in hominum memoria sempiterna.

Priscis sæculis gloria floruerunt, Romulus, Numa Pompilius, Camillus, Themistocles, Augustus: & corrigendis moribus & Socrates & Plato: apud nostros uterque Ferdinandus & Secundus Philippus; ego vero non tantum horum hominum, qui suis olim civibus regendis virtute & gloria præstiterunt, quam eorum qui admirabili postea sapientia Remp. legibus atque opibus munierunt, incorruptis hominibus, admiror: non potest enim civilibus studiis virtus ad majorem gloriam pervenire.

Tantum Resp. persistit, conservatur, & durat, quantum civium utilia ad Reip. commoda referuntur: mox perit, cum peculiare utile anteponitur; cum bene ac juste res geritur, sive ab uno Rege, seu à populo ipso, Utopia quidem recta erit; è contra modo vitiosa Resp. sed ne quidem Resp. existimanda est, sed civium confusio.

Et si Romanam Remp. ob oculos proponimus per varios status, vix eam fœliciorem æstimabis sub unius imperio, cum illam fœliciter auctam legas sub Consulibus & Senatoribus: sed omnium fœlicissimam, dum popularis viguit gubernatio, quod nec Polybius nec Tullius satis videntur mente comprehendisse, nec oratione expressisse; cum illam optimam tradiderunt; optima enim extitit, cum æquissimis legibus temperata: tunc sancta, cum summus in ea paupertati ac parsimoniæ honos habebatur: & illud viguit in Romana Rep. à Pyrrhi Regis bello usque ad tertium bellum Punicum: quo tempore nulla nobilium dissensio, nullus populi motus, summa honorum, ac rerum omnium inter eos communio fuit; merita præmia sequebantur; nullum in re privata cumulanda, atque augenda studium: omne omnium in amplificando ac propagando imperio locatum erat: hæc fuit sub populo Reip. facies; nam reliqua tempora, quo ab hac ætate magis, eo ab optimæ Reip. specie longius abfuerunt; siquidem extremis temporibus partim Regum, partim Imperatorum; mediis autem modo optimatum, modo populi, parum moderatum imperium civitas pertulit.

Illud inter hæc tempora perpendi, quod justi Reges publicæ pacis studiosi, qui legibus ac justis institutis Remp. Romanam fundasse video, ita firmiter illam morum severitate stabilisse, ut ab iis primordiis ac certissimum exterarum omnium gentium ac populorum bello paceque principatum, eam pervenire postea non difficile fuerit, pace quam bello, pluribus illectis civitatibus, fidei Romanæ admiratione potius quam armorum strepitu.

Postquam vero plerique eorum patricios, quorum ipsi è corpore erant, plurimum extulerunt, plebemque vehementius depresserunt; aut regnum per vim partum, imperiosius quam decebat administrarunt: ex hinc incipit odiosum imperium, (gliscit enim libertatis memoria) ut plerique populi jugum excutere præsumerent: nam injustum dominatum sequitur populorum seditio; quippe exactis propter immoderantiam, eorum in cives libidinem, atque audaciam Regibus; (non enim moderata videbatur Reip. forma instituta) facile in Remp. decidit Monarchia; quæ postea à paucis optimatibus, iis ambitione corruptis, haud minus oppressa videbatur; etenim quid tam non dicam injustum, sed à temperata Rep. alienum esse potuit, quam universam Remp. paucorum patriciorum imperio committi, ac plebem omni prorsus Reip. munere excludi; patricios solos consulatum, regium nempe imperium sacra comitia ferre, atque omnem in plebem necis & vitæ potestatem habere, ac plebem ipsam, non modo omnis expertem honoris, optimatibus obedire, sed diremptis connubiis, vitæ etiam ipsius prope communione privatam, maxima cum indignitate servire.

Quare ut aliqua moderatio induceretur, factum est, ut tenuiores cum principibus etiam æquarentur; & plebs, pari cum patriciis in civitate jure uteretur: sacrosanctus ei Tribunatus fuit à patribus concedendus: quo etiam contra optimatum potentiam atque libidinem, se libertatem ac pudicitiam suam tueretur, atque defenderet, connubia communicanda fuerunt; ne pars civium, tanquam contaminata ac indigna, à nobilibus contemni videretur; ne soli optimates in Rep. dominarentur.

Cum ergo plebs consulatum; (quæ firmissima semper prope arx patriciorum fuerat) præterea dictaturam, censuram, imperium, sacra sacerdotia, quæ unius ante nobilitatis fuerant; non sine magnis Reip. motibus ipsa sibi vendicasset; nihilque ad jus totius Reip. adæquandum deficeret, quam ut plebiscita quibus tunc sola plebs tenebatur, omnes Quirites adstringerent, quæretur, tum denique hoc etiam lege Hortensia consequuta est.

Quid inde? ita æquissimis demum legibus temperata Resp. atque plebe, omnium rerum in societatem vocata; magna Italiæ pars devicta, cum Tharentinis & cum Pyrrho Rege bellum susceptum est: ex quo tempore præclara atque ad omnis posteritatis famam, illustria abstinentiæ, modestiæ, justitiæ, fortitudinis, civilis denique concordiæ, usque ad tertium bellum Punicum, exempla edita sunt. Tunc enim Curii, tum Fabii, tum Caruncani viguerunt: tum Metelli, Sciiones, Pauli & Lepidi floruerunt: quorum cum eximiam in bello magnitudinem ac prudentiam, tum incredibilem in pace Justitiam ac moderationem, & juste admireris, & facile coleres: tunc enim viguit floruitque Romana Resp.

Hic fœlix status (labente veteri disciplina) incœpit declinare, totiusque civitatis mores corrumpi, & ad levitatem atque ambitionem decidere; præsertim vero luxuria, per Asiaticos Triumphos in civitatem invecta: atque exterarum gentium metu amoto, Pyrrho jam Rege pulso, Pœnis, duobus asperis bellis devictis, tertio
A etiam funditus deletis: Philippo, Perseo, & Antiocho, potentissimis Regibus superatis; Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyria, Macedonia, Græcia, provinciis in ditionem populi Romani redactis, Principatum orbis terrarum, atque imperii confessionem extorserunt.

Qui usque eo vere optimus Reip. status, Polybii & Ciceronis sententia, fuit, cum primum sensim ac leviter tentatus, deinde aperte translata jam ad injustum populi dominatum Resp. funditus labefactatus atque eversus est. Quem
B certe statum duo Gracchi, Saturninus & Drusus Tribuni Plebis furiosi, & amentes, partim Agrariis & Judiciariis legibus, quibus optimam tum potentiam frangerent, partim insolenti audacia, præstantissimum illum optimæ Reip. consensum perturbarunt: ab eo enim tempore majores in Rep. plebis, quam optimatum opes extitere: quippe quæ omnium jam honorum, quos soli antea Patricii obtinerent, particeps facta: præterea Tribunatum tributa ac comitia inter se partiti sunt sociorum suffragiis, quibus plebs aucta &
C locupletata, universam Remp. in potestate habuit; atque ex libidine administravit.

Postea vero hunc plebis dominatum Lucius Sulla dictator sustulit, qui etiam imperio à Caio Mario spoliatus, extorta ex inimicorum manibus Rep. Tribunorum plebis potestate imminuta, plebe agris pulsa, ac trucidata, judiciis senatui redditis, optimatum Remp. stabilivit, popularemque convellit.

Verum ne hic quidem status diuturnus admodum fuit; nam paucis post annis; Cn. Pompejus
D in primo consulatu, antiqua Tribunis plebis potestate, atque dignitate restituta, plebe ad judicia, cum senatoribus & equitibus, lege Aurelia advocata, vetus illud optimæ Reip. quæsisse temperamentum videtur: quod certe mutatis, imo corruptis jam penitus totius civitatis studiis, atque avaritia jam, & ambitione latissime grassantibus, assequi nullo modo potuit.

Ita perturbato sæpe Reip. statu, à paucis de universa occupanda Rep. cogitatum: Tum enim
E Piso, tum Catilina, cum aliis ejusdem furoris sociis adversum Remp. conspirarunt: tum Cæsar & Crassus, & ipsa mutata mente credo, Pompejus inita societate, extraordinarias opes (quæ liberæ civitati jure formidabiles sunt) sibi quæsierunt: qua sine societate dirempta, civilis repente discordia, ac totius Reip. perturbatio consequuta est, cum Cæsaris potentiam senatus, Pompeive populus ferre non posset.

Victo autem fatali prælio Pompejo, atque optimatum factione afflicta, rursus ad injustum
F Cæsaris dominatum Resp. recidit: quo ab his, qui libertati studebant interfecto, cum reviviscere prisca Patrum gravitas, ad spem autoritatis pristinæ, quodammodo respirare videretur; haud multo post, in ipsomet recuperandæ Reip. apparatu, à populo, cui Antonius, & postea Octavius, qui Cæsaris partes ambo susceperant, sublata, funditus, atque oppressa est; cum in Remp. inauditum ante Triumviratum intulissent; ac nefariam optimatum, atque inimicorum suorum proscriptionem & cædem fecissent.

Triumviris autem duobus sublatis, tertius

Octavius, tanquam bellorum civilium, quæ ipse confecerat, præmium, totius ad se Reip. vim, potestatem, atque imperium, quod ab initio Regum, post magistratuum, senatus, ac populi fuerat, in perpetuum transtulit.

Quibus ex rebus satis intelligi posse arbitror, vix Reip. formam, qualis fuerit, posse exponi; & quæ inter illos optima Reip. constitutio: nam pro rerum humanarum vicissitudine, iterum atque iterum commutata est Reip. forma; illud au- A tem constans & immutabile fuit, ut sicut militari studio conservato, pariter & justitia, æquitate, concordia, constantia, gravitate, ad publicam utilitatem collatis; subacta intra quingentos annos Italia, facile, ac brevi temporis spatio, magnam orbis terrarum partem sub suo imperio subjecit: ita neglecta civili disciplina, postposita utilitate publica, relictam à majoribus libertatem atque imperium amisit.

LIBER SECUNDUS

CHAOS UNIVERSI.

TITULUS I.

3 Annal. 3.

Mihi quanto plura recentium, seu veterum revolvo, dixit Tacitus, *tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur*: quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio: quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat: vetustissimi mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probo scelere eoque sine pœna, aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, at postquam exui æqualitas, ac pro modestia & pudore ambitio, & vis incedebant, provenere dominationes, & parum tutæ præcedentiæ; hinc *Chaos Universi*.

Nam res humanæ in orbem per tempora feruntur: sed in summa rerum infœlicitate, citatiori motu raptantur nefariis exemplis: quare sibi non constant homines, neque jus, nec fas gentium, non veritas: lucrum & injustitia dominatur: *Unicum est omnibus hominibus negotium, sua cuique Utilitas.* Et si adhuc studia ad rerum superfluitates convertuntur, hæc etiam ut vitæ necessaria æstimantur, hoc præverso judicio, fiunt acriores necessitatis morsus; ideo prævertunt omnes naturæ, & honestatis leges.

Plerique tamen aut principis incuria, aut Reip. permissione tacita, ad insolentem licentiam devenerunt: nam populi temeritas eam interdū licentiosam intulit libertatem, ut funditus Remp. everteret: cum eo deventum est, ut cuique licuisset de publico sumere quod in privatos usus converteret: ut plerisque in liberis civitatibus experiuntur alii. Tunc omnes, ab industria ad desidiam vocati, ad theatra & fabulas conversi, & reliquas animi voluptates, quæ Virtutis nervos incidunt, omnem Reip. antiquæ dignitatis memoriam deposuerunt: ac per varias illecebras seducti, peccandi licentiam assumpserunt: nescio an nobilium improbitate, an plebis petulantia; ut postea regressus ad pristinam Reip. dignitatem, morum severitatem, legum & justitiæ observantiam, sit pene impossibilis: quod extremam fere imperii senectutem consequitur: nam se ipsam longa dominatio debilitat; cum etiam Reip. calor, per A varias rerum cadentias repatiatur: & radicale humidum pabuli defectu, consumatur, dum non tantum reponitur de principis valore, & justitia, ac de Reip. vigilanti solertia, quantum civium insolenti libertate absumitur, aut tyrannidis arte populatur: quo accidit fataliter, ut omnis Resp. senescat, & pereat monarchia: quare fatalis necessitatis erit, ut renascens inter belli tumultus in aliis hominibus incipiat, veteribus attritis & consumptis vitiis, & hominibus, aut sub novo advenientis principis dominatu. Nos valorem B & artem præliandi docuimus cæteras nationes, dum vitæ moderatio nos sub militari disciplina fecit insuperabiles: nunc vero sub otio inerti opulentiæ, summa enervavit desidia; nam licentia suas opes præcipitat, atque urget: neque unquam immodica duravere: illud multarum urbium ostendit eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt. Nunquam tali periculo laboravit Resp. Romana, quam cum summa sentitur fœlicitas; hæc enim non consistit, sed ad fatales labitur climacteras, scansili C lege occidua; (sunt enim in monarchiæ duratione gradus, velut in vita hominum) quoniam quidquid virtute erat partum, intemperantia corruit, hominum vitio, non temporum. Alexander & Annibal vicerunt armis, vitiis victi sunt: quorum occasione fortasse eorum imperia ceciderunt.

Illud constat in hominum memoria, ex nobilis vetustatis monimentis, Romanam potentiam funditus periisse ob temeritatem multitudinis, in nobilitatem concitatam, forte ob insolentiam D imperantium, qui populum sibi alliciebant, per licentiam, libertatem, & varia facinora; ut inter Marium & Syllam, Cæsarem & Pompejum, legimus accidisse: bellis civilibus, antiqua disciplinā, & morum severitate, abolitis: quo imperium illud, quod per Reges primo, dein per optimates & principes partum, & amplificatum erat, brevi fuit vulgi furore & amentia dissipatum: nam plebis semel licentia comparata ita crescit, ut nulla ratione rescindatur; aut metu valeat coërceri: hoc Spartam delevit; Athenas dissipavit; Thebas attrivit; ut nil de his supersit in E hominum memoria, quam rumor potentiæ inanis, & fucatum gloriæ simulacrum.

Apud nostros extremæ valetudinis imperii com-

compendium, est propria utilitas, & lucrum, quo ministri infimæ & ingenuæ plebi insolentem libertatem & docent, & permittunt, licentia & civium injuria; ideo nemini in hoc sæculo, libertatis impunitas & peccandi licentia non licet, hujus fatalis calamitatis illud tantum reor superesse auxilium, ô suprema Majestas, si minister, populus, insolentia, audacia, temeritas, ac tandem ministrorum impunitas, omnes te norint, principem: & si nobiles & egregii viri, filios in severa contineant disciplina; ac illos generosas edoceant virtutes, sub quibus labori assuescant, & alii militari disciplinæ obsequantur: quo fiant vivæ leges, quas adoret & admiretur populus: sunt enim nobiles & generosi viri, virtute & exemplo fundamenta Reip. in his stat Reip. status; nam licet discrimina quamplurima sint per egregios viros populo importata, in illis tamen semper extitit Reip. defensio: nam & honor, & valor, Remp. tuetur; & conservat: animus enim generosus, & excelsus ingenio, fortitudine, valore, & industria, est Reip. murus: quibus si populus caret, temerarius, improvidus, abjectus dicendus: quo patriam perdere, non conservare valet: nec collapsam in pristinam dignitatem restituere: quo perspicue patet, quam male sit iis civitatibus consultum, ubi claris hominibus infimi præferuntur; & ad pudendam & extremam inopiam, fallaci politica reducuntur.

Nec ideo cogitent infimæ plebis homines, illud esse libertatem amittere, & nobilibus tradere libertatem: quoniam illud est libertatem tueri: liberi enim hominis est officium, iis certe parere, quos noverunt ingenio, valore & industria, Remp. & publicam salutem conservare, aut in pristinam dignitatem restituere: ægrotus enim non obsequitur Medico libertatis defectu, sed quia id sibi judicat salutare; neque imperatori miles, nec civis gubernatori, sed quia fructum obsequii consequitur: illi enim mala depellunt jam illata, avertunt imminentia.

Luxus magis exemplis quam legibus coërcetur; ideo Romæ præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit: antiquo ipse cultu, victuque: obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metus; quare irritum judico, mores pragmaticis & legibus coërcere, sed principis exemplo: inest enim cunctis in rebus quidam veluti orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nam singulis centum annis omnia sursum deorsumque vertuntur.

Errat, qui judicat nostri sæculi esse vitium, luxuriam & negligentiam boni moris, & alia quæ objicit suis quisque temporibus: hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacavit culpa: erunt enim vitia, donec homines; nec omnia apud priores meliora fuere; nostra enim ætas, multa laudis & artium imitanda posteris tulit: verum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant: nam una quæque ætas, sui familiares defectus morosa conditione notat; & acriter sugillat: sed tempore obliterantur maculæ, ut vilissimæ crescant in immensum familiæ, & Regiæ vilescant, ad servorum familias, contrario descensu: nam illæ opulentia, fortuna & valore ascendunt: has præcipitant vitia & ignavia: vitiorum enim tulit exemplaria omnis ætas, non omnis ætas virtutis: *Quoniam*, ut bene dixit Tacitus, *omnis ætas feret Clodios, non omnis ætas Catones.*

Hæc delicta, quæ nos conturbant hodie, respectu vastissimæ monarchiæ, non sunt gravia, forent talia respectu moderatæ; at unaquæque ætas sua vulnera sentit, calamitates luget; & ante actæ fœlicitatis memoria, tempus fœlix recolit, præteritum desiderat, ac dicit, *summum infœlicitatis genus est fuisse fœlicem*: ideo tempus præteritum præsenti anteponit, fœlicius considerat, ut melius adorat; nam in opinione tempus melius judicatur præteritum, in re tamen non est; nam una quæque ætas gentes suas vitiis vacuas esse non sinit: sed sua una quæque vitia lamentatur; laborum præteritorum jam oblita, & præsenti tristitia vulnerata.

Licet vitia hominum sint, non temporum, una quæque ætas tulit sibi peculiaria, in illo orbis circulo gentilitia: in nostra enim ætate vitia mercantur opulentia: nam emerunt meretrices ministrorum tolerantiam lucro pecuniæ infami; juvenes peccandi libertatem: & virgines nefaria exempla: prodiga rerum luxurie, nequissimi hominum atrocitates: fidelitatem corrupit avaritia: inter nos, olim corona extitit nationum fidelitas & valor; quod sub mediocritate essent sui juris virtutes: nunc Hispaniæ cives sunt principis obsequio fidelissimi, sed omnium infideles ministri; forte quod avaritia, fidelitatem & æquitatem superat, auri sacra cupiditate.

Hinc irrepsit illa species Poliatriæ sub hac confusione universi; qua (ut dixit Magnus Gregorius) justi simplicitas deridetur: hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere: sensum verbis velare: quæ falsa sunt, vera ostendere: quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio edisцitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo, superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi, in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur: dum mentis præversitas, humanitas vocatur; hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere; adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere; irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

Quid ergo? si publicæ necessitatis prætextu, ab auctoritate suprema emerentur delicta, quæ hominum securitas, quæ legum auctoritas inde erit; quid supremam majestatem indemnem conservabit, quis timor grassatoribus? & quod frenum erit transgressoribus legum, si emitur & venditur justitia? hoc non admittit publica pax: hoc certe monarchiæ enervabit potentiam, & illam dabit in fatalem ruinam: fateor quod nos debemus iis, quæ nova ferunt tempora adaptari; sed non justitiam & æquitatem perdere: originalis justitiæ nuditas necessitavit veste; hæc ad corporis defectus operiendos est inventa: purpura olim justitiam operuit, nunc animi defectus aperit; nostram ambitionem & vanitatem detegit: homo cum originalem exueret justitiam, se ipsum ornavit veste, nuditatis forte pudor;

dor; postea cum peccavit, de propria servitute gloriatur, ac si victoriæ nessiteria reportaret; ô inauditus furor; non dico ministros esse passim mutandos, hoc enim supremam majestatem non decet: fore tamen super illos cautissima solertia invigilandum, & in timore exemplari supplicio continendos: id quoque morum Tiberii
1 Annal. 15. fuit, dixit Tacitus, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ, in eisdem exercitibus ac jurisdictionibus habere: nam ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat; ediscant illi ex principis integritate justitiam: illud enim tantum legum transgressores timuerunt: Nullo enim magis Piso est exterritus, (in
3 Annal. 2. Germanici morte,) quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira obstinatum, clausumque vidit; ne quo adfectu prorumperet; nam supplicii defectus, & patientia sceleris, insolentiores audaciaque contumaces, adhuc ignavos reddit:
4 Annal. 4. Ubi enim Seianus vidit mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mœrore publico esse, ferox scelerum volutare cœpit, quomodo Germanici liberos præverteret, dissimulante Tiberio, neque senatus in eo cura: & princeps, an imperii extrema dehonestarentur, non curat.

Hæc etiam discrimina nostra ætate vidimus, quæ lamentatur Tacitus in similis opulentiæ Monarchia: pudet referre vitia antiquorum, & Reip. statum illis temporibus lamentabilem: sed in solatium vitiorum, quæ nostris temporibus aliquibus eximia videntur, illa referam: tunc enim, inquit, summæ infœlicitatis tempus erat, cum primores senatus infimas delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos à conjunctis, amicos ab ignotis: quid repens, aut vetustate obscurum, perinde in foro, in convivio, quaque de re locuti incusabantur, ut quis prævenire, & reum destinare poterat: pars in subsidium sui, plures infecti, quasi valetudine & contactu: quid multum? Nomen Matrimonii Messalina; (vivente marito) cum alio concupivit, & consequuta est, ob magnitudinem infamiæ; cujus apud prodigos novissima voluptas est: nolunt enim solita peccare, quibus peccandi præmium infamia est: & perditis hominibus, projectis ad flagitia, infamia voluptas est: proceres Romani specie oratorum & carminum scena polluebantur: quid superest, nisi ut eas pugnas pro militia & armis meditentur.

In hoc tamen vitiorum contagio, nullus ordo metu, & periculo vacuus, quanto magis occultare & abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi; multis afflicta fides; non metu, non amore, sed ex libidine servitii, alii incitabantur, ut in familiis privata cuique stimulatio, & vile jam decus publicum: nemo in aula Vitellii industria certavit, unum ad potentiam iter, prodigis epulis & sumptu satiare inexplebiles Vitellii libidines: maximum discrimen erat, penes quos aurum & opes, præcipue bellorum causæ; magna & misera urbs eodem anno, inter Vineos, Fabios, Isselos Asiaticos varia & pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus & Marcellus, & potius alii homines, quam alii mores. Neque hujus generis apud nostros defuere exempla; tunc enim præcipuum in aula adulatorii dedecoris certamen erat: ideo præstantes viri in occasionem defuerunt consilio & industria in pace; disciplina militari, in bello: quando enim eo miseriæ ventum est, non quærit ambitiosa cupiditas, an ad satias capiat, sed an sat sit quod capiat: illud tamen est miseris ultimum, cum ita adulta vitia, ut opus sit punire veritatem; ut vix credas, in delictis puniendis, an tolerandis, sit gravius discrimen, in hoc rerum statu, ubi cives nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre possunt.

Quo in statu & populi & urbes exarsere, veluti valetudine & contagio, vicinæ seditionis incendio; & nobis id evenit, quod olim Romæ; nam facinus incendii scelus instaurationis induxit, in conferendis pecuniis, devastata Italia, & eversis provinciis, sociisque populis, & quæ civitates liberæ vocabantur; inque eam prædam etiam Diis cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis ætas prospere, aut in metu sacraverat; hæc Tacitus.

Quoniam in hoc infœlici statu rerum, deligebantur ministri scelerum, ad puniendam modestiam & nobilitatis libertatem, sub specie largitionis necessariæ, non divini, non humani juris memores: ubi palam erat delictum, antiquas aut recentes possidere divitias; ac nulli impune erat, aut domus aut familiæ gratiosa supellex; nam præmia sub dominis & pœnæ sub arbitrio erant; (res enim scelere & pecunia vendebantur.) Et talem formam vitæ inierunt, quam postea celebrem miseriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt; dum charissimo cuique periculum facessunt: quia potentia erat penes unum, apud quem mos erat, privatum odium falsis criminibus tegere: quo pleraque deterrima impune, & honesta exitio fuere; (vinclum & necessitas silendi) erat enim palam compositus pudor; intus summa adipiscendi libido & ambitio: sæpius industria & vigilantia: quæ fortasse parando regno fingebantur. *Ab anno 1640. & 1643.*

Is tamen magnæ fortunæ pericula non effugit; nam pari exitio viguit ceciditque; repente enim cecidit illud humani favoris simulacrum Hispanus Ganimedes: nam favor ipse fatalem animavit ruinam; cessit rerum vicissitudini fœlicitas; & alternatæ novitati principis amor: ac favor implacidæ invidiæ; & omnia tandem imperii ruinæ; occidentem solem plures deseruerunt: nam plures gentes nascentem adorant solem; ac repente favoris machina, antequam ruinam minaretur, se præcipitem dedit; (quidquid in contrarium plures dicant) & hoc illius infœlicitati cessit, ut omnes impellerent cadentem: (fatalis infœlicitas cadentium;) *Est enim summum humanæ fœlicitatis periculum, fœlicitas, maxime cum ad summum pervenit.* *Anno 1643. 6 Calend. Ianuarii.*

Dicet aliquis, hoc tantum miri esse inexpertis Monarchiarum, & regnorum Peritiæ; quoniam illa morum corruptio est, & necessario fatalis in immensa Monarchia, quam ullum ingenium coërcere non valet, nec principis exemplum: quippe illa sunt huic rerum statui gentilitia, hominibus coæva. Huic objectioni duobus tantum principibus respondetur, & peritis Monarchiarum fit satis; Trajano nempe & catholico Ferdinando: non potest enim imperii statum,

eo

eo miseriarum esse magis perductam, ac illum A exceperunt dicti principes; in Romano imperio, post Tiberium, Cajum Neronem, Othonem & Caligulam: in Hispania post Henricum Ignavum, Petrum Injustum, & Prodigum Henriquum, ut clavum firmaret in Imperio: & in hoc statu uterque princeps, nescio an valore, an fortuna, prisca morum gravitate, severitate legum, modestiæ exemplo, ac tandem labore immortali; tam severa disciplina instituerunt regna, ut jam non quæ exceperunt corrupta, sed alia posteris dare viderentur, tali æquitate & justitia complanata, ut forent vicinis æmulatio, & posteris invi- B dia: ergo principis valor, & exemplum, & validus in principem æmulandi amor; valebit non tantum vitia coërcere, sed etiam in æquitate & justitia populos continere.

Incœperunt postea homines respirare: rerum auxilium in spe quærebatur; libertas incœpit resipiscere; illa etenim antea summa miseriarum fuerat, quod notæ & ignotæ aures vitabantur: & muta & inanimata, tecta & parietes, circumspiciebantur: interciderat sortis humanæ commer- C cium: neque enim erat loqui, neque silere tutum: nam pavor internus occupaverat animos: cujus remedium in adulatione quærebatur; cum nulla ex honesto spes esset; nam pessimus quisque, diffidentia præsentium, mutationem pavens, adversus publicum odium gratiam præparat; unde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitas.

Illud erat maxime violentum, quod ministri plura quam jussum erat confingerent: sed nefanda scelera, execranda odia, pepererunt: nullus D quippe ordo erat à calumnia liber: unde misera Resp. varia & pudenda sorte agebat, inter adulationem & avaritiam, ista in occulto, adulatio in aperto erat.

Hæc tamen quæ patimur miseranda; quæ lamentabilia lugemus, inter alia non ita deplorata, futuris in laude & invidia erunt; nam præterita tempora iis qui postea sequuntur, semper æstimantur meliora, licet talia sola opinione reddantur; quoniam memoria præsentibus afflicta, præteritas fœlicitates cum dolore recolit. E

Hæc omnia excepit justa Dei benignitas: patet hoc ex eo, quod nullum sat erat ab homine hominibus auxilium; quantumvis multa & varia sæpe machinarentur: id tamen sibi nunquam humana potentia persuasit: in hoc enim conveniunt habituales, & desperati morbi, ut quo quis pejus habet, minus sentit: ac ideo res in summa desperatione non timentur: illa tamen est divinæ clementiæ conditio, ut quando sibi homines non medentur, secando & urendo medeantur ante ultimum & extremum supplicium: *Nec unquam,* F dixit Tacitus, *atrocioribus populi Romani cladibus, magisque justis judiciis approbatum est, non esse curæ Diis populi illius securitatem, esse ultionem.* Iis suppliciis nos admonet, nec attendimus; forte vitiorum caligine: satius esset supplicio quam ruinæ credere: nondum abolevit memoria antiquæ lamentabilis Hispaniæ cladis, per Saracenos à Divina justitia immissæ: Ideo forte jus Romani imperii Stephanus Secundus, Romanus Pontifex, (dextera divinæ clementiæ, & justitiæ manus) à Græcis ad Gallos transtulit, cum Orientalium Imperatorum absentia & ignavia, Occidentalium rerum statum defensoris indigere præsentia & cura, expertum est. Jus postea Gregorius Quintus, extincta magni Caroli Sobole, eadem causa transtulit ad Germanos, licet electivo jure, & non hæreditario, ut spe tantæ dignitatis consequendæ, cæteri principes, virtute, valore & industria certarent; & ut talem subditi libentius ferrent imperatorem; ut qui optime calluit religione & valore imperia tueri.

TITULUS II.

De alio hujus Chaos principio ex publico errore.

Eo vitæ hominum communis error, ubi publicus factus est, vitæ politicæ necessitatem egit, ut errori plaudere, sit omnino necesse, adhuc illis hominibus, qui veritatem, justitiam & pietatem colunt; nam veritatem plausibili quadam violentia mentitur, ubi publicus factus terror: in hoc enim Chaos universi, unusquisque illius personam induit, quæ magis proprio utili conducit: facile enim quivis in tanta populi cæcitate, viri boni personam tueri potest; & amentis populi oculos fallaci splendore perstringere: constantia vero, quæ non in nostra potestate consistit, & pleræque vitæ politicæ directiones in amentia populari sita sunt, ut fere illa inevitabiliter impetus & dementia populares gubernet: nam lucri catena omnis vita hominum constringitur, ut virtutes adhuc recti judicii extra lucrum exercere, incivile & stupidum judicetur: omnia enim hodie opinione potius, quam veritate pollent; cum maxime major hominum pars sit in plausu hujus rei, aut illius consentiente; & tunc certe graviori periculo erratur, cum magis communis est opinio: hæc enim potiori dignatione occultat veritatem; quantumvis *opinio sit imbecilla animi assensio, nulla certa ratione munita, sed obscura quadam imagine veritatis excitata; falsa sæpe & incognita, pro veris & perceptis apprehendens; &, quantumvis sapientia, semper errorem fugiat.*

Quare ea quæ in publica *opinione* consistunt, necessario amplectimur, quantumvis nostræ intelligentiæ reclamant; ut communi consensui serviamus; nam unusquisq; cupit gloriam, honores, divitias, & stemmata illustria, ac tandem in ore hominum versari: & hæc omnia in hominum opinione consistunt. Demosthenes, Plato, & Aristoteles desererent fortasse Academias, si populi plausu fraudarentur: quis non cupit extolli in ipsa cupiditate gloriæ? adhuc illi animo fracto mærentes cecidissent, quoniam egregia facinora laudabili plausu coronantur, & plausu illustriora fiunt: est Gloria consentiens populi laus, opinione excellentis decoris excitata: ideo Ulysses ab Homero laudatur, quod sagaci solertia se mentibus hominum illius sæculi adaptaret: Antilochum & Sylenium eisdem etiam artibus ornatos celebravit vetustas.

Eo certe antiquis assimilatur nostra ætas, ut sicut illis temporibus, ita nostris: in variis Europæ Regionibus; neque latrociniis maria & terras infestas reddere; neque insidiis & perfidia, generis humani societatem violari: neque impia fraude perjurioque cœleste Numen offendere, infamiam

infamiam ullam habere; sed potius eos qui ea scelera scienter & callide suscepissent, magnam fuisse laudem eo artificio consequutos. Ubi sunt tot à majoribus repertæ leges? tot quas nostra tulit ætas? illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) comtemptu abolitæ: quid in leges ipsæ ansam impuris hominibus (favore ministrorum tutati) latrociniis & fraudibus præbuerunt; cum magis in ore hominum essent callidi & sagaces; longe lateque alliciunt exempla, & vitæ communis instituta; facile enim exemplis commovemur: hæc homines laudant, hæc vituperant, pro ut insiti mores.

Neque enim potest, is qui pudorem amisit, honestatis specie commoveri; nec qui omne studium ad fallendum adhibuit, vera simpliciaque laudare: neque qui diuturna cædis consuetudine efferatus est, humanitate & clementia delectari; nemo denique exprobrabit unquam, quæ suis abhorrent institutis.

Olim facile erat omnes esse in vitæ probitate laudabiles, quoniam omnes sequebantur vitæ laudabile studium, ad naturam compositi: hodie difficilimum, quod sit certa in vitiis honestatis apparentia, qua homines tuentur avaritiam, fallendi artes, vanitatem, ac ambitionem insolentem: nec stimulis honoris incitantur; neque fœda & turpia pudori sunt hominibus; longe aliter ac in aureo sæculo, quo Hesiodus dixit.

Vt dii, vivebant homines, neque tristibus ægri,
Curis, nec presi, ærumnis durove labore;
Omne malum cunctis aberat.

Illo vero exacto, neque juris neque religionis vestigium relictum; periit lex hospitii, societas & fœdus amicitiæ: deserta est probitas & justitia; timentur & laudantur insolentes, impii & injusti: nec est relictus pudor; est Nemesis in exilium acta; cætus hominum deseruit justitia, in cœlum evolavit; homines cæco animi impetu, prava consuetudine, & exemplo, salutaria declinant, & impia sequuntur; nam passionum impetu sine delectu ruunt; sunt tandem homines in vitiis antipodæ illo aureo sæculo.

Nam pro veteri, ac generosa constantia & valore, sunt viri nostri sub quavis afflictione humiles: in prospera fortuna elati, vanitate tumentes, timidi in armorum discrimine, in bello inconstantes, præfidentes in pace, in inopia supplices & abjecti; opibus affluentes ingrati; quovis levi periculo implorantes auxilium optimorum, quos antea despexerant; ac illos postea timore liberati, à patriæ finibus expellunt.

Est populi conditio, odio habere virtutis excellentiam, vitiorum infamia delectari; ideo Democratis Abderitæ severitatem populus Atheniensis non tulit; neque Socratis generosam constantiam; neque Roma Catonis libertatem; neque Belisarii fortitudinem; Hermodorum Ephesii ob virtutis excellentiam expulerunt; Aristidem, Simonem, & Themistoclem, Athenienses; Hermocratem, quod patriam obsidione liberavit; Dionem, quod Tyrannum & Tyrannidem expulit: haud impari causa parem calamitatem passi sunt, Camillus, Coriolanus, Rutilius, Metellus, Tullius, Brutus, & Cassius: hæc enim est conditio beneficii; nam populus (est humana conditio) beneficum ut creditorem adspicit, cujus conspectum cum tolerare nequeat, aut velut hostem fugit, aut à se ipso pellit; nam cum æquare beneficio non valeat, rubori ipsi est, beneficum aspicere, cum beneficium de vilitate arguat, aut de ingratitudine: ideo creditor fastidio & contumacia efferatur; & populus nec vitium, nec virtutem ferre potest: quo fit, ut nec totam servitutem, nec totam libertatem ferat; nam furor & audacia, in ipso levitatis studio, quotidie populum ad res novas solicitat.

Dum æquitas & justitia bona malaque populi erant in utile commune, floruit viguitque Roma; dum crevit in immensum Monarchia, lucro & avaritiæ cessit valor; ambitioni pietas & justitia: hæc est facies, hæc est vera effigies Hispaniæ; nam dum fœlices Reges, pari justitia ac valore certabant, divino freti auxilio, floruit & valor & Monarchia, ut apud nobiles reliquias Gothorum; Pelagium, Ramirum, Idelfonsum, utrumque Ferdinandum, & ad nostra fere usque sæcula: sed apud nostros creverunt etiam vitia cum Monarchia: nunc enim lucrum cum justitia certat, certat cum ambitione avaritia, cum valore luxuries, quia crevit in immensum Monarchia.

Quid ergo expectare par erit ex illo senectutis delirio? senescunt homines, familiæ senescunt, cedunt etiam temporibus imperia, ac tandem fatis cedunt Monarchiæ: nam omnia tempus, edaci dente consumit, & cum ipsis temporibus res ipsæ transmutantur, fluunt & revertuntur. Quid nostræ memoriæ, reliquit Phœniciæ Monarchia? quid Assyriæ, Græcorum, & Medorum Imperium? quid Persarum, quid Carthaginensium indefessus & importunus labor? ut fere Romanorum Monarchiam deleret? quid de illa vastissima Romanorum potentia, ad ultimos fines terræ protracta? quid tandem de immensa illuvie Gothorum, quæ fere terram universam inundavit; ac ultimo de Barbaro Imperio Mauritaniæ, quod pari exitio apud nostros viguit ceciditque? sed quid in istis moror, ut quæ fatalem imperii ruinam consequantur; nam illa deliria senectutis Monarchiæ, quæ illam naturali rerum transmutatione, ne dicam præversione indicant interire; sunt enim temporibus insitæ & fatales rerum vicissitudines; nam imperia etiam ut homines præ senio deficiunt; si non antea mortem prævenit violentia: non dubito quin perennis stellarum influxus, ad homines & mores permutandos, per varias rerum vicissitudines decurrens, sit magnæ efficaciæ, ut qui mutat Monarchias & Imperia; nam ut dixit Horatius:

Stellæ ducunt volentes, nolentes trahunt.

Nos conservat Romana Catholica Religio; & notos fecit valor: sed sacra imperandi libido, & nominis gloriosi ambitio, nos reddidit cæteris nationibus exosos: quia finem ubi desinat non habet: neque miror, cum certet valor cum ipsa laborum patientia, & gloriæ cupiditas cum magnanimitate: ô utinam non omnia cederent avaritiæ; nam hodie viri nostri, citra animi cultum, vitiis vastæ & opulentissimæ Monarchiæ addicti imperant, obsequuntur: sed nec populus crudelem avaritiam imperantium ferre potest: neque gubernatores populi petulantiam; servato semper veræ Religionis cultu; at semper politicæ disciplinæ ignari, ut qui minus illius observantiæ

incum-

incumbunt, gentilitio valore, & antiquæ gentis ferocitate præfidentes.

Ideo hoſtes noſtri ſagaci in nos calliditate potius certant quam armorum ſtrepitu, magis confidentia noſtri, quam viribus ſuis freti; quod cum pleræque nationes norint, ſe fraudibus exornant: & ſolertia pro fortuna utuntur: veluti his temporibus Galli: qui in bello à valore Hiſpano ſuperati in horrida Cantabria, fraudibus potius & ſagaci ſolertia, ſeditiones & tumultus in noſtros intulerunt, & in illa antiqua Celtiberia, & apud Luſitanos, quos ad defectionem excitarunt; ut quos armis ſuperare non valent, in civili certamine conſumerent: nacta occaſione à populo implacido, oneribus oppreſſo, impium pectoris vulnus ægre diſſimulante: quod tunc facile fuit, quod nefarii homines delictis impune manus darent, nec ab ulla improbitate abſtinerent, ſemper novitatum cupidi: tum etiam laudabantur ære alieno oppreſſi, non tantum cum ſuis creditoribus necem inferebant, verum & propinquis & amicis; cum hæc & alia delicta redimerent pecunia.

Anno 1638.

Hæc & plæraque alia, amaram reddiderunt ſervitutem, libertatem optabilem, in iis maxime qui erant adeq ingenio violenti, & obſequio ignari, inſita ferocitate, ut potius mori quam ſervire cuperent; nam ex iis permulti, pro honeſtis & præſentibus flagitioſa & incerta expectabant; ut mutarent fortunam; eo enim ventum erat, ut nullum dedecus imprimeret malitia, nec facinoris fœditas; imo res male geſtas extollebant, ut mallent plerique homines ſe in ſua improbitate callidos, quam probos & innocentes exiſtimari; cum in cætibus hominum innocentiæ nomen erubeſcat; inſolentiæ autem efferatur: nemini enim erat vitiorum indecens æmulatio.

Hoc eſt maximum imperii præcipitium, hic Reip. lapſus, hæc extrema imperii ſenectus; hinc omnis incœpit fatalis Monarchiæ ruina: nec eſt mirum; cum gens illa ſceleribus divulſa, funditus interierit: plures enim civili diſcordia, quam hoſtium armis ciciderunt: hoc extitit fatale imperio Granatenſi Maurorum; hic populorum furor Athenienſium imperium delevit Thebas, & Spartam devaſtavit, dejecit Romanorum potentiam: hic furor Barchinonenſem principatum ad Gallos tranſtulit; & Luſitaniæ imperium à noſtra Monarchia ſeduxit; nam populus adhuc juris vinculis conſtrictus, ſi implacidus & miniſtrorum avaritia vulneratus, iram condit, & novitatum cupidus motus turbulentos requirit: & qua data porta ruit; & cum vires temeritatis colligit, omnia juris repagula confringit; nam id ſemper optat populus, ut illum in ſtatum perveniat, quo impune per omnia pervadat maleficia; ut paucis ante defectionem annis Luſitaniæ tumultus notum fecit; qui legum ſeveritate, & militis potentia fractus, conquievit; nam inopes illo in ſtatu Luſitani, & imbelles, metu legum & judicum, armato milite perterriti, ſunt à flagitio revocati: ſed pleræque nationes, licet omni præſidio deſtitutæ, quietem ferre nequeunt, & novitatum cupidæ, flagrantes, libertatis flammas in animos populares immittunt: & facinoribus (ut transeant impune) ſeditiones moliuntur; veluti Barchinonenſis populus; in hoc etiam rerum ſtatu, alia fallacior occulitur politica; quam non attendunt principes, ſive ſui fiducia, ſive majoribus negotiis diſtracti; nam contraria, aut aliena regni vicinitas, periclitantibus utilis; ideo inter ſumma, & ancipitia purpuratis aſylum, ab illis facile inquietari patitur; & ſub ſpecioſo moderamine inculpatæ tutelæ, fidem fallit, quia illa civilia ingenia, lucro commoditatis potius, quam æquitati parent.

Nam dum animus pecuniæ cupiditate exardeſcit, inflammatur libidine, odio & iracundia efferatur, magis ad terrorem legis obdureſcit; & nullum eſt tam grande facinus, quod non aggrediatur: fit inde ut primum nefaria cupiditas ad facinus impellat: deinde ſpes celandi & occultandi animum audacia confirmet: ſi vero perfricta fronte jam pudorem amiſit, & legibus timorem, jam facinoribus facinora contegit, & ſocios facinorum ſolicitat, & alios conducit, ut propria tueatur facinora, quo ſocios male operandi conciliat, cum ex legibus norit, *fore multitudini parcendum*: (impiorum certe ſpes unica.) nam populi audaces, & jam tumultuantes, qua data porta ruunt: ideo conantur à juris & legum cuſtodia emitti; ac ita leges, paulo ſeverius nefariam libidinem reſecantes, abrogare contendunt; & ambitioſos homines, & facinoribus proſcriptos, in ſuam ſententiam reducere: hac enim via plerique opes & gloriam quæſiere: & ut publicæ libertatis cuſtodes in ore publico laudabantur; & prudentes viros, qui ad præcavendas inſidias, quas ex illis timebant, ſalutare magis quam jucundum conſilium offerebant, ut communis utilitatis everſores de medio tollere curarent: ſed illud aſſequuntur, quod Barchinonenſibus eveniſſe comperimus, ut dum propriam libertatem tuerentur, hanc penitus amitterent, & in vilem & miſeram ſervitutem deciderent; nam veræ libertatis propugnatores, ſeditioſi alii, aut multitudine opprimebant, aut in exilium mitti exiſtimabant: ſed eſt illis in ſola deſperatione excuſatio.

Eodem Monarchia & Reſp. periculo laborat, valida opulentia, ac egeſtate ultima; illa enim ambitionem concitat inſolentem; hæc res novas ſolicitat; ideo Solon ſuorum deplorabat inſaniam, atque cupiditatem, dum videret opes Atticas atteri & conſumi: potentum inſolentiam, & perditorum hominum egeſtatem: quoniam hinc timebant ſtupra, adulteria, convitia, & Reip. ambitus avaritiam, ambitionem, legum tranſgreſſiones; ex inopia, furta, latrocinia; proditiones, & ſecreta cum hoſtibus colloquia, & defectiones à naturali principe; ac tandem patriæ everſionem verebatur.

Quid ergo tot calamitatibus auxiliabitur, & tot malis medebitur; præmium & ſupplicium; nam hoc unico auxilio Romanorum Imperium viguit, floruitque ſub Romulo, Pompilio, Auguſto, & Trajano: & apud noſtros ſub Ferdinando Secundo, & Secundo Philippo. At tunc dirui cœperunt gloria & poteſtas, cum avara crudelitas ſubditorum libertatem, in utramque aurem dormientem ſuſcitavit; incorportabilibus imperiis & impia ſolertia, in violenta exactione tributorum.

Nullus populus fuit Romano prudentiæ opinione

nione gravior: nec rebus gestis illustrior: nec severa disciplina florentior: & adhuc sub tali disciplina, nescio an fuerit magis virtutibus & industriæ laudibus efferendus; an vix numerabilibus sceleribus inquinatus: ut plus valerent scelera ad ruinam, quam virtutes & industria ad conservationem. Nam principes eripere libertatem populo conabantur; populus, iracundia furens, ad nobilitatis imperium rescindendum stimulis invidiæ ferebatur: & in hac pugna Cadmica uterque cecidit: nam fatale est, rebus cunctis senescere, & omnino perire, dum senio deficiunt: sed sæpe violentia senectutem anticipat; aut cogit ocius advenire; principis ignavia populorum temeritate concitata.

Plerisque placuit, universam Hispaniam egestate & inopia coërcere, & nobilitatis valorem generosum infringere, ne opulentia elati insurgerent in principem, & leges; ut olim haud sine discrimine experta est Hispania. Illud practicatum invenio à Catholico Ferdinando, prudentissimo Rege; & ab illo Hispaniæ potentiam & valorem declinare comperio: forte quod ad summum potentiæ pervenit: non video cur egestas magis Monarchiam, quam opes tueatur: sunt enim divitię, bellorum nervi, populorum audacia, valoris alimentum, gentium fortitudo, hostium terror, & murus inexpugnabilis contra incursionem invadentium: nam civis æque pro patria ac divitiis pugnat: miles præmio alit audaciam; & ubi divitiæ deficiunt, neque restitit animus, neque valor: imo omnia concedunt egestati, ac extremæ desperationi cedunt; animus enim non operatur, cum vita est in dubio: inopia vilescunt animi, & nec sibi, nec aliis sufficiunt; & corpora etiam, ubi deficit alimentum, deficiunt: & Hispaniæ valor & nobilitas in abundantia, (qua generosa nobilitatis stemmata tuentur) spe æqualis retributionis potius concitatur, quam in desperatione paupertatis: sunt enim nostri homines ut animi generosi & invicti, ita gloriæ cupidi; quos mediocritas non satiat, sed sola gloriæ aut honoris, aut nobilis affluentiæ magnitudo: ideo heroum Hispanorum animos non cœpit orbis: & qui hos velit in patientia continere, illos ab egestate arceat, & inopia; quia quo major animus, eo illum inopiæ impatientia præcipitat ad majora flagitia, quam ambitio divitiis comparata; illud enim pertendit libertatem servituti contrariam: hæc gloriosum nomen: ideo viri nostri nomen summæ adrogantiæ subiere & vanitatis, non quod insatiabiles in divitiis, sed quod illud judicent maxime ad gloriam immortalem conducere; honorem enim divitiæ tuentur: quod plerique nobiles illo sæculo ante acto, in principes suos conspirassent, illud facile fuit; quia nondum Hispania ad Monarchiæ imperium pervenerat: & principes æque inopia & bellis premebantur: neque illis sat erat majestatis ad nobilitatis insolentiam coërcendã, quod nostro sæculo non valet, cum ad summam potentiam & majestatem principes devenere.

Populi studia in plausu plerique aucupari conantur; id aliter quam morum similitudine non consequitur, illud est argumentum, quod summa Christi bonitas hominibus non placuit; nam qui placere populo cupit, similem oportet ut ineat vivendi rationem; & qui vivit ad populum, ut sit A necessario humilis populi & passionum servus; amens & sceleratus oportet, non placet enim populo moderatio.

Sed illud orbis Chaos induxit, ut clarus esse nequeat; & summos honores adipisci, nisi qui popularis sit: & ille talis erit, qui nil facit aut dicit, quod populo placere non cognoverit: quare qui industria valet & solertia, & calliditate cæteros antecellit, si animum gloriæ populari inclinat, tanto communi hominum societati erit deterior, quanto excellentior in judicio; & tanto B dexteriora facinora suscipiet; quantum favor inspirat: ô utinam tales essent tardi & hebetis judicii: ut enim nihil est Reip. salutarius ingenio claro & excellenti, si est honestis artibus excultum: ita nihil Reip. pestilentius, quam excellens judicium pravis opinionibus imbutum! nam libertatem favor conciliat, & judicium machinatur flagitia: quæ si impune & parta libertate suscipiantur, validissimam adhuc Remp. præcipitat; viris dissociatis, secretis colloquiis inductis inter primores populi.

C Et talis est hujus sæculi livor, ut plerosque compellat ad operandum, ut communi hominum æstimationi se accommodent & serviant; cum hos elatos ut videant, ex favore provectos; nil enim est humilius innocentia, veritate abjectius, neque magis abolitum justitia; ut quæ cives contemnant, & despiciant servi, & aufugiant filii: omnes enim existimant, eos qui leges sanctas colunt, & æquali justitia omnia metiuntur, non consilio, sed imbecillitate, ab injuria, & violentia abstinere: ignavum & amentem, qui ad D honoris gradum per scelera nefaria non ascendit; nam omnes fere hodie in vi & audacia nominis & honoris gloriam posuere; cum videant æquitatem & justitiam contemni, & ipsum jus naturæ incredibili audacia conculcari.

Ideo contendunt communi via civium ad honores optare, & ascendere, & si aliter non valent, leges, & jura divina & humana convellunt; publicum consilium, ac omnem Reip. vivendi rationem, si obstare videntur; licet publicæ salutis immineat discrimen; nam qui princeps esse E cupit ut maxime necessariam ducit avaritiam, quę postea finitur in tyrannidem: quoniam ad dignitatis amplitudinem pertinere existimat, splendidi cultus elegantiam, & ad voluntates civium alliciendas, opes immensas indefesso studio comparare; & ita pecuniis cumulandis incumbit; ut quancunque furti occasionem omnibus rectis artibus anteponat, licet ad hoc conducat templa spoliare; ac nullum sibi non licere jus putant; ut adhuc naturalis defensio multum de majestuosa auctoritate illis detrectare existiment: ut si hoF mines liberi & opes alienæ eorum ambitioni non serviant; & adhuc politicorum plerique illorum ambitioni servire cupientes, jus principum in armis posuere; ac si idem esset, rectum & fas gentium, ac principum insatiabilis cupiditas, & sacra dominandi ambitio.

Illud tamen communis hominum consensus excusat: quid enim miri est, si tot gradus gloriæ & honoris homines detulerunt divitiis: & ipsæ mutuo hominibus paribus honoribus rependunt? quoniam primævi illi urbium conditores, & quibus curæ fuit magistratus disponere, ordines separare,

parare, & legibus civilem disciplinam constituere, tantum honoris & splendidi cultus, nec non & præcellentiæ cuique statuerunt, quantum illi divitiarum esset; censibus enim constitutis, omnique populo in suas classes pro pecuniæ ratione distributo, penes eos honores summi fuere, qui summis etiam opibus affluebant; & ita factum est, ut egentibus à Reip. moderatione dejectis, divites, ore vulgi fælices, res communes administrarent.

Neque potest negari divitiis comparandis, & in publicum usum adaptandis, industriam & solertiam cum valore fore omnino necessariam; quibus carere monstrant egeni & abjecti, utpote viles animo, & fortunæ ope non adjuti; & nec publico, nec civili negotio conducunt infœlices; qui certe mos, omnium gentium consensu, per ipsas rerum series confirmatus apparet: nam in nostra Hispania primarios viros, ab instauratione divites homines appellatos, monstrant omnia illius vetustatis monimenta: hos, Reges de majoribus rebus consulebant, & ii vocabantur in comitia; & summa belli & pacis iis committebatur; ab iis familiæ nostræ nobilissimæ descendunt: hic est illorum ortus & principium; & apud nostros omnes fere principes, & purpurati viri, ab his divitibus hominibus traxere ortum, licet non solis opibus, virtute & industria comparatis, sed invicto valore, & tot egregiis facinoribus, ut essent gloria immortali dignissimi; nam per eorum manus, Hispaniæ libertas est à Saracenorum tyrannide vindicata: sed opibus ad principem locum ascenderunt: & nobilem stirpem in multa secula postea exornarunt.

Nec immerito; nam cultus elegantia, hominum æstimatio, & uno verbo, omnis honor, omnis vitæ decor, familiæ splendor, neque valet absque divitiarum ope conservari, neque diu consistere: & tantum plerosque coëgit hæc necessitas opum, ut honorem, divitias inveteratas dicerent: sunt enim apprime necessariæ vitæ cultui, & splendidi sumptus & convivia: est etiam alenda amplissima familia: sunt muneribus & beneficiis alliciendi homines: & in communem salutem, & propriam æstimationem elargienda multa; ac ultimo sunt pleraque ad universi populi voluptatem & plausum facienda: illa tamen difficilime possunt sub integritate & justitia conservari; nullus enim divitum nomen suum immortalitati consecravit, cum vitæ splendore magnifico, quin multa contra juris præcepta & publicam salutem moliatur, & cum præda aut privatorum civium, aut publici ærarii, aut ipsius etiam Regni.

Neque deest ad male operandum excusatio: veluti ad arma capessenda inter principes; illi enim, qui propter animi magnitudinem, nihil abjectum aut humile cogitarunt, indigne patiuntur, ulla legum formidine conturbari: nam semper ad dignitatem & gloriam intuentur, cum vilis plebeculæ despectu, ut prius omnia jura violari patiantur: & universæ patriæ statum convelli, quam admittere dedecus paupertatis: & antiqui patrimonii nec momentum imminui; cum maxime videant, nobiles & antiquas familias non tantum senescere præ sæculorum cursu,

A quam paupertate & pudenda inopia abolitas; & ab hominum memoria obliteratas: quo in statu, non sunt omnes damnandæ hominum actiones, licet paulum videantur à justo declinare; sunt enim tumultuosis temporibus, validæ actiones necessariæ; nam pleraque necessitas immutat, & alia prævertit, leges derogat, & novas inducit vivendi rationes; si enim vir justitia & pietate præditus, velit opes partas tueri, & illud nisi sagaci solertia, & fraudibus consuetis non valeat, nonne in ultus ut puer flebit? Catholicum est illud

B Theorema, *propria defensio est de jure naturæ*: &, *licet nemini liceat injustitia, licet tamen inimicum solertia, in suismet fraudibus decipere; & omnem injustitiam illidere, & à contumelia se ipsum vendicare.*

Illud tamen multos impulit mortalium ad facinus nefarium, ut ex scelere laudem aucuparentur, cum videant egregiis laudibus efferri qui in cives & patriam conspirant, sub apparenti principis necessitate: & nec principi serviunt, nec publico utili prospiciunt, sed suo tantum in scelere nefario; ut expleant sacram cupiditatem, aut

C inferendi mala, aut dominandi, aut opes immensas comparandi; & non contenti privata vivendi ratione, hac tyrannide principis gratiam occupare nituntur: & in hac dominandi privata potestate tanto majorem laudem consequuntur, quanto magis crudelia facinora suscipiunt; contra suos concives, publicam libertatem, & salutem Reip. hac enim sola ratione spoliata Rep. summis honoribus usi, in civitatibus suis dominantur; & adhuc super principis avaritiam, quæ iniqua exactione alitur.

D Quid inde principes consequuntur? ex illis imperiosis ministris, (ô utinam hæc populi & principes attenderent) populorum furiam concitare: hominum prævertere societatem, seditiones & tumultus inducere: quærere principes alienos, & ab illis auxilia pro consequenda libertate implorare; nec furoris caligine attendunt, quod principes alieni, dum illorum necessitati prospicere conantur; suo consulunt utili, & libertate & opibus spoliant auxiliatos, ut experti sunt Barchinonenses viri ascito principe Ludo-

E vico II. in auxilium contra suum & naturalem principem: sed in ipso facinore pœnas luunt, opibus, honore, & libertate spoliati; ac sub illo prætextu principes, tenuiores invadunt: dein occasione victarum gentium, viribus duplicatis potentiores adoriuntur: & si vicini seditionibus atteruntur, attenti ad discordiam, se præparant ad prædam; nam si victi auxilium implorant, accurrunt in auxilium, ea intentione, ut tam victos, quam victores libertate & opibus spolient, aut saltem bello jam attritos aggrediantur: nam eo

F solo nomine principes gloriantur *bellatoris* & *invicti*, solo armorum jure: & de nomine *Iusti* nemo curat: nec illud est mirandum, cum publici moris ea sit insolentia, ut quos æquitas & comitas delectat, despiciat & reputet ut viles & abjectos; quos vero furiosa violentia irruentes communi laude celebrat; & inde fit ut populus ignavus celebret intrepidos concitatores populi, amentes, & audaces: *Iustos* & magnanimos despiciat.

TITULUS III.

Causarum Chaos compendium.

Recolligamus dicta brevi acoluthya: tanta vis inest in originis labe, ut honestæ adhuc actiones ab insitis passionibus corrumpantur; nec ad eam depellendam homines erroribus & mentis vanitate inflati, divinum auxilium implorandum existimant; & ita nobis accidit, ut falsa dignitatis imagine capti, fere semper delusi, in perpetuo flagitio volutemur; nam ipsa nobis adulatur deceptio; neque libenter ferimus ab ipsa illusione liberari: cum non tantum libenter sed voluptuose in ipsa deceptione sedeamus: neque volumus ab errore abduci; imo si quis nos cupit ab illo liberare, ut inimicum acrius insectamur: est enim in Medicum & auxilia, mentis error; & inde certe ultima desperatio; nisi ope Divina liberemur.

Dein cum homines laudem vehementer appeterent, eamque, in tantis tenebris, nec ubi, nec qualis esset, intelligerent; quidquid primo illorum animos alliciebat, inani specie pulcritudinis, in illud ferebantur; neque vitia occulta perspiciebant; neque quid esset ex illa temeritate proventurum, suspicantes; hinc animi elatio, vanitatis superbia, animorum ambitio, infœlix avaritia & morum insolentia, quæ homines extra viam rationis seduxit; vitæ rationem conturbavit, ac mille calamitatibus exposuit.

Levissimis enim rebus homines efferuntur; alii fluxa corporis forma, alii valetudine, mille corporis & animi periculis confracta; plerique virium corporis amentia delirant, ut Milo ille Crotoniensis; aliis aspirante fortuna efferantur; permulti pecunia & ampla supellectile, quo avaritia & infinita ambitione inquinantur; plerique inani nobilitatis nomine infatuantur, ut fumosas progenitorum imagines adorent, & fucato illo generis splendore, ac si in illorum gloriam vixerint: permulti splendidis titulis & honoris insignibus erecti, se extra hominum choros esse putant; & se somniant divinæ gentis sobolem: nam illud & vana mente æstimant, à multis ambitiose salutari, & majoribus negotiis interesse; & in istis tam infimæ naturæ muneribus, & temeritatis & fortunæ ludibriis, veræ dignitatis adorant ornamentum: sunt enim ista splendores quidam & imagines falsæ, quæ ante oculos delirantium obversantur; quæ furore sedato, nihil re vera fuisse, palam faciunt; nisi quasdam mentis illusiones.

Haud minus inflat scientiæ præsumptio, inscitiæ soboles illorum nempe, qui se tenere altissimarum rerum cognitionem, & omnem regnorum, & Reip. politicam profitentur: sunt enim isti chymici rationum, quarum scientia in fumum vertitur dum rationes sublimare contendunt; fateor sane quod fracta animi vis, impetum ad recte operandum assumit: at libidinis œstrum miseros mortales ab instituto honestatis studio abducit, ut non veram virtutem, sed apparens virtutis simulacrum flagitiis involutum insequantur; nam alius animi magnitudine elatus, eam elationem superbia confundit; alius frugalitati deditus, illam frugalitatis laudem avaritiæ fœditate inquinavit: & ita per omnes virtutes & vitia philosophari licet, ut fere nullum in hominum memoria invenias, quem non hæc vitiorum æmulatio superaverit, aut levis dignitatis apparentia; nec illi modo qui nobilem dignitatem venerantur, cum illam etiam è rebus levissimis petendam existiment. Sed qui gravem etiam sapientiam admirantur, & in virtute omnia dignitatis præsidia sita esse constituunt; omnibus gloriæ ornamentis spoliati jacent; & in summo dedecore versantur; quod quidem illis accidit, quia veram virtutis viam aut non vident, aut penitus ignorant; non enim opem divinam implorant, sed in se ipsis se compotes virtutis, & omnis sapientiæ esse credunt.

Quid ergo erit hac amentia turpius; & quid amentius quam rerum imaginibus illudi? isti sunt ut phrenitici, qui se valentes & sanos esse putant; & decepti umbris & imaginibus efferuntur; & interim inclamant, & se sapientes & beatos prædicant; fortasse cum magis desperati, valetudine in habitu contracta, causæ inveteratione, quam ægroti non sentiunt, quoniam alterationem inæqualem non parit; hos sanos fortasse appellabimus; non insani modo, sed etiam furentes sunt æstimandi tales. Et est certe tam fatalis deceptio, ut ego dum hæc scribo, quanto magis resisto, & altius disciplinam perpendo, in graviora vitia, invitum me ipsum ferre video; est enim illud insitum & ingenitum, in animis mortalium, (ad hoc nati sunt omnes) ut illam illusionem mentis & corporis subirent; ideo ad nos venit summus ille humanæ gentis conditor, & redemptor, ut sanguine suo hanc elueret labem, & ut nos à tenebris in lucem clariorem perduceret; & veram doceret virtutis differentiam, gloriæ splendorem & laudis ornamentum: illud enim humanis viribus assequi non valemus: cujus sane adventu, omnem vitæ caliginem mundo depulit: & nos à contractis sceleribus labis originalis expiavit; regni cœlestis ut nos capaces redderet; veræ virtutis gloria illustravit; ac in pristinam dignitatem multis ornamentis illustratam restituit: sacramentorum medio, quæ in subsidium reliquit & solatium.

Nam cum Gloria à vera Virtute oriatur, ille tantum, qui est auctor virtutis, veram docebit gloriam; hoc Christus Dominus non verbis & operibus tantum, sed etiam suo sanguine docuit pretioso; si ergo vera dignitas è veræ virtutis opibus emanat, nullumque virtutis genus aut specie pulcrius, aut fructu salutarius, aut amplitudine magnificentius esse potest; quod erit tandem in omni natura decus, quod sit cum decore Christi, & Regis & magistri, in cruce pro hominum salute sublati, aliqua ex parte conferendum?

Illud certe est unicum & irrefragabile argumentum, quod homines (Christi morte audita) quos neque ratio, neque leges, neque disciplinæ, neque postremo ullum auxilium, humanæ rationis opibus & industria excogitatum, & inventum, à flagitiis poterat revocare, neque ab antiquo Deorum cultu; divina Christi gloria & doctrina incensi, illiusque numine concitati, mox ad veram virtutem viritim mirabili incendio raperentur.

Ab illo ergo est petenda veræ & vanæ laudis & glo-

& gloriæ differentia, & ut à fonte purissimo est vera haurienda, & repellenda falsa: est enim Gloria, cœleste decus animi, atque divinum donum, & beneficium, apud homines propriam imbecillitatem agnoscentes, atque divinam opem perquirentes, divina benignitate collocatum: ac ideo tam breviter, dignitatem & gloriam corruere videmus quam homines in nobilitate, divitiarum affluentia, fortunæ pulcritudine, aut corporis robore, solita insolentia posuere.

CAPUT I.

De Generosa Tolerantia, quantum fert æstimatio.

Altior artium, fortasse difficilior inter politicas, est justa & generosa *Tolerantia*, in medio hujus humanæ militiæ pugnaturo, integra semper æstimatione manente, inter ipsa discrimina; nec est profecto ferendo quæ honesta, illustris, nisi quem longa domuit laborum patientia: ut virtus generosa magnanimi illustrat.

Hanc difficilem reddunt millia inter se pugnantia: propria æstimatio, & aliena vanitas: despectus, & propria elatio: ingrata beneficii oblivio; & livor alienæ fortunæ: propriæ æstimationis meritum, & vana alterius præsumptio; tot hominum mores diversi: divitiæ, paupertas, nobilitas antiqua: sed omnium maxime inflata ignobilis superbia, non sua vi enixa, sed populi favore, aut pecuniis sub vili usura comparatis.

Animi firmitatem, fidem, sinceram veritatem, veram esse philosophiam existimo, reliquæ vero scientiæ ornamenta: omnia lucrum invertit, & propria utilitas: nobilem & generosam Tolerantiam, voluntatis frenum moderatur, prudentia dirigit, imperat intellectus, majestuosa gravitas: pleræque virtutes generosæ serviunt Tolerantiæ, magnanimitas, modestia, mansuetudo; mos ferendi labores; nihil refert, an habitum dixeris, an opus generosum; ***Est enim magnanimus***, ut dixit Aristoteles, ***qui magnis est dignus, & dignum sese magnis existimat:*** qui namque non pro dignitate hoc facit, stolidus est: at eorum qui præditi sunt virtute, nemo amens, nemo stolidus est; ideo generose occasiones tulit, quoniam non se despectum æstimavit; solus enim humilis à propria vilitate superatur.

lib. 4. Ethicorum c. 4.

Qui namque parva meretur (procedit Aristoteles) ***& hisce dignum se ipsum censet, modestus quidem, at non magnanimus est; magnanimitas enim in magnitudine, ut pulcritudo in partium harmonia consistit. Is autem qui est indignus, & magnis se dignum censet, est lentus; at is qui se dignum minoribus, quam dignus sit, censet, pusillanimus est; sive magna, sive mediocria mereatur; sive parva quidem.***

Est igitur ipse magnanimus, magnitudine quidem extremus: ratione tamen ejus quod oportet, medius.

Circa unum maxime versatur Generosus; circa præmium nempe, quod dari ob res pulcherrimas solet; tale autem est Honor: hoc enim est bonorum externorum maximum: quare circa honores & inhonorationes, magnanimus, ut oportet, versabitur; sed aliquando res ipsas in æstimatione ad se ipsum metitur; & non ut sunt in se; viri namque magnanimi maxime se ipsos

A dignos esse honore pro dignitate censent; at cum sit maximis dignus, ut sit optimus in aliis virtutibus par est: melior enim majora semper meretur, optimus maxima: bonus ergo ut sit oportet, qui magni est animi: & magnanimo competit, quod est in una quaque virtute magnum: ideo turpissimum est generoso periculum aggresso, fugere ob timorem; aut injuriam facere ob insolentiam; nam si magnanimus bonus non sit, omnino ridiculus videbitur; nec etiam dignus erit honore, si pravus est: quippe quod honor præmium sit virtutis; & bonis hominibus tribuatur.

B Est enim animi celsitudo tanquam ornamentum virtutum: nam majores efficit ipsas; & sine illis, ipsa non fit: ac ideo tam difficile est, vere esse magnanimum; quoniam vere illum omnis commendat probitas.

Non tantum circa honores versatur animi magnitudo, sed circa illa quæ honori conducunt; velut circa divitias, auctoritatem, potestatem, prosperitatem, adversitatemque, ut in hac fortiter, in illis moderate se habeat magnanimus: potestates enim & divitiæ ab illo propter honorem expetuntur, non ob inexplebiles animi passiones; aliter enim parvula sunt omnia, cui parvulus honor: nam vere magnanimi, contemptores omnium esse videntur.

C Magnanimitas non semper est à natura insita: hanc enim etiam fortuna creat, nobilitas, potestas & divitiæ: ideo dixit Aristoteles, ***quod sunt honore digni divites, & in excellentia constituti; in excellentia namque consistunt; & omne bonum quod excellit, est dignum honore suo jure: quoniam talia***, inquit, ***magnanimos faciunt:*** Illud tamen intelligit de bono & de justo; non de omnibus, qui divitiis affluunt; nam illi quibus ambo hæc sunt, sunt honore dignissimi; neque semper magnanimi; nam sine virtute divites fortunati, contemptores petulantesque fiunt; vanitate sua cæteros somniant antecellere.

D In hujus virtutis fundamento, generosa alitur Tolerantia; fert enim magnanimus, quia rerum magnarum capax: nec timore succumbit; nec facile ab aliis superatum ire credit: & pacato animo incursiones accipit: nec præcipiti iracundia turbatur: sed vultus serenitate majora demolitur pericula: neo est animi generosi, prævisa non habere, quæ sunt illi eventura pericula.

E Non est periculorum cupidus magnanimus: at in periculo vitæ suæ non parcit; largitur generose beneficia: at pudet ipsum ab alio accipere: quod hoc de animi vilitate arguit: quare cum voluptate audit quæ ipse contulit, moleste quæ accepit: ideo Thetis Dea non enarrat quæ in Jovem contulit beneficia, ut notavit Homerus; gloriosum reputat, abjectos, & humiles tueri; sola præclara æstimat, & quæ honori sunt; est in sola libertate & veritate nimius, cum omni opinione superior considerat; vanitatis & æmulationis contemptor; non illum humilia delectant; nec servilia loqui, nec simulare; ni id petat occasio, & prudens simulatio; ideo adulatores odit.

F Non est proclivis ad mirandum, quia nihil apud ipsum est magnum: nec est illati mali memor, nec injuriæ: nec res suas extollit, nec aliorum minuit: laudator, non maledicus; de parvulis

lis non queritur; pulcra potius, quam fructuosa quærit.

Est magnanimi motus tardus, vox gravis, locutio expedita, sed tarda, quia non properat qui circa pauca studet; nec est vehemens, qui nihil magnum æstimat.

Qui deficit in his, pusillanimus est; qui exuperat vanitate, inflatus non lentus, ut male transtulit Argyropylus; neuter tamen ipso jure est malus, sed uterque aberrat: pusillanimus quia seipsum privat bonis, quibus est certe dignus, & seipsum ignorat, cum se talem non censet: & in hoc se à præclaris artibus & officiis dimovet, quasi esset indignus: haud minus se inflati ignorant, cum se majoribus dignos esse censeant, quam sunt; nam de se ipsis magnifice loquuntur, sed mox illos redarguit mendacium, aut vanitas; quo se honore orbant.

Est enim illud viri fortis officium, ut cum honestatem ratione duce prospexerit, eam omnibus vitæ commodis anteponat, illiusque retinendæ gratia, vitæ discrimen subeat; nam sicut in bene constituta Rep. omnes leges sunt in armorum tutela; sic in bene moratis animis, omnia justitiæ præscripta fortitudinis præsidio muniuntur: fuit enim necessaria, ad firmissimam justitiæ custodiam, generosa animi celsitudo, quæ superet discrimina, & animi motus coërceat, ab ipsa ratione alienos; ut illos rationi obtemperare faciat; ut juris æquitatem divina constantia tueatur.

Qui enim *fortis* est, idem est & *magnanimus*, & qui talis, & *animi excelsi*, qui fucatam gloriam, & apparentem dignitatem contemnit: nam qui frangitur quo vis animi motu; & quærit ex populi plausu, dignitatem, *magnanimus* non est; imo populo supplex obnoxius: quoniam animi excelsa magnitudo servitutem non patitur: bene potest animi celsitudo simulari in generosa tolerantia & audacia; bene potest imitari justitia in fallaci virtutis imagine; & laus sapientiæ adipisci & prudentiæ in animi moderatione naturali aut invalida; animi autem moderationem nemo unquam flagitiosus & improbus potuit imitari: habet quidem prudentia acumen ad mala præcavenda, id tamen sibi malitiosa calliditas assumit; clemens & generosus animus & benigna justitia, mentitur largitione & fallaci liberalitatis specie: fortitudo etiam falsa animi elatione fucatur, ab audacissimis improbis hominibus. Temperantia vero, cum totius honesti formam induat, ex consensu cæterarum virtutum, sapientiæ scilicet constantiæ & fortitudinis, nihil insipientibus relinquit quod possint simulare.

Verum tam hoc Chaos universi omnem civilis atque domesticæ disciplinæ rationem evertit; juris æquitatem expugnat: fidei sanctitatem violat; amicitiæ fœdus & legem labefactat, & honorem fucatis coloribus adornat; contentionem ambitiosam suscitat; animos libertate spoliat; concutit formidine infamiæ, & variis perturbationibus exagitat, ac tandem furenti libidine, ad omne facinus inflammat.

Vir tamen fortis & magnanimus flagrat etiam cupiditate gloriæ, (maximum ad justa ferendum instrumentum) sed id velim advertas, hanc non esse sitam in errante vulgi opinione, sed insitam in ipsis visceribus naturæ; illud est argumentum A quod omnibus ingenitum & radicatum est; illius desiderium quod est commune barbaris, & cultis nationibus, quæ ad laudis studium naturali impulsu concitantur; omnes certe & pueri & senes laudis gloria delectantur, omnes vincendi studio efferuntur; & sibi in laborum patientia complacent.

Cyrus, dum adhuc puer, inter suos æquales nobilem dedit indolem cupiditate gloriæ: Regulus patienter tulit Chartaginis labores pro immortali gloria consequenda: ille erit certe alendus ambitu, quem excitat honor, & mordet objurgatio: Plato, quantum ad virtutem ferendi, B gloriæ cupiditas valeat, in se ipso monstravit, & docuit in Socratis exemplo: nam laudem bonum quidem esse cœleste, dixit, & divinum quasi præmium, ac ideo ad excellentes artes instrumentum, quo maxime delectatur patientia: Philosophi, sapientiæ splendore non contenti, laborum patientia inhiarunt ad gloriam: hanc Diogenes apparenter despexit ut majorem inde consequeretur gloriam; hoc dignitatis desiderio, res C ad laudem insignes ab oblivionis injuria vindicantur: mortemque ipsam omnia delentem ingenio comprimere videtur: quod viri illustres per medios labores consequuntur.

Hoc gloriæ desiderium est nobilius ad generosam Tolerantiam incitamentum, cum omne humile & abjectum ab animo propulset; & ad omne difficile accendit: Quidquid ergo non est humile & abjectum, à forti & generoso debet ferri: quod in schola fœlicitatis non ediscitur: frequens enim consuetudo non ferendi, & delicate D & prave judicandi de rebus ipsis, inter homines semper male sentientes, vertitur in quendam habitum semper male judicandi, de iis quæ æstimantur à tali præjudicio pravis opinionibus informato & imbuto; quo fit ut contrahatur quædam insaniæ species, quæ clara judicat ut obscura, dulcia ut amara, generosa ut vilia; quia illorum intellectus judicat, delicate aut prave, à prava consuetudine abductus, aut fœlicitatis mollitie enervatus.

Ideo viri nostri non ferunt hodie nobili & generosa tolerantia militiæ labores, sicut olim in E illo splendore virtutis nobiles & generosi viri, quos admirantur hodie, & illustribus inter se consentientibus honestatis ornamentis plures amant, & laudibus extollunt; est enim illa quædam gloriæ species quæ est publica virtutis excellentis admiratio, cum insigni benevolentia conjuncta: non enim quod vis virtutis ornamentum gloriam gignit, sed excellens & admirandum: nec omnia admiranda gloriam meruere, sed quæ ab animi decore & honestate ducuntur; F sola enim dignitatis amplitudo hanc habuit sortem, ut perspicua & amabilis sit; cum sui admiratio homines rapiat, & amore inflammet pulcritudo.

Unde plane colligitur, omnem laudis excelentiam esse in virtutis splendore constitutam; quæ populi consensum quadam necessitate allicit, in laudem generosæ virtutis, non voluntate libera tantum, sed naturæ quadam necessitate: illud enim natura comparatum est, ut virtutis lumen celebris opinio consequatur.

Nec illud opinionis nomen semper intelligas,

rem

rem indicare dubiam: non enim verum est, omnes opiniones dubias & incertas esse: siquidem multæ sunt ita graves, veræ, & constantes, ut omne dubium & incertum excludant, velut illæ quibus ad religionem, ad amorem patriæ, ad virtutis æstimationem, & ad omnem denique virtutem incitamur; nam hæ opiniones; (sic viri doctissimi communes sententias animis nostris impressas vocant) licet nec ratione conclusæ, nec ulla disciplina confirmatæ sint, nullam patiuntur varietatem; sunt enim naturales & insitæ, nec ad illas confirmandas ullis rationibus est opus, quam ipsius naturæ magisterio.

Nec ideo Chrysippi opinionem sequimur, qui nihil præclarum in opinione locatum existimavit; nil enim magis perspicuum, quam universas gentes magnifice de virtutis laude consentire; & illud neque more, neque lege, sed insito à natura judicio: & qui Antilochum & Ulyssem laudarunt, de sagaci solertia non honestis artibus copulata, non vanitatem & sapientiæ simulacrum collaudant, sed solertiæ artem & industriam: sapientis enim hominis est, prospicere longinqua & futura: multa dissimulare; & pleraque hostilibus insidiis pro defensione propria prævenire.

CAPUT II.

An principes ferre debeant populum.

Nulla est prudentia quæ primum populi impetum valeat coërcere: pleraque auxilia sine fructu experta legimus apud Romanum populum, & magnæ auctoritatis viros, à furia populari occisos: ex alio principio vidimus transferre principatum popularis tumultus; ut nulla sit securitas, nec inferendo populo, nec injuria populari coërcenda.

Illud dicam quod longa sæculorum docet experientia: in populo ferendo non ita præsentanea discrimina, occasio objecit, quam in coërcitione. Patet, nam dandum est rumoribus tempus quo senescant; aut in melius mutentur; nec ulla valet auctoritas cum furiosa est insania: & populi injuriæ non sunt voluntatis delicta, quæ veniam ideo merentur, ignorantiæ jure & necessitatis; ideo multitudini parcendum rati sunt & principes & conditores legum: nullum enim est utilius humanæ vitæ præsidium inventum, quam populus; unico præsidio populi furia & tumultus sedatur, frumenti abundantia, & libertatis gratia, usque dum securior puniendi occasio principis auctoritatem tueatur.

Quid enim, si multitudinis labor, & manus defuissent? terræ cultura, ædium extructiones, nutritiones urbium, & publici muneris opera, navigationes, & mechanicæ artes, ad vitam sine cura degendam, populi ipsius ope & diligentia constitutæ, cessassent, nisi hominum multitudo humanitate & jure sociata, unum in locum convenissent.

Dicit aliquis, si violatur jus, unde vitæ præsidium? recte profecto: vivendi disciplina mores & constituta nulla fuissent, unde humanitatis cultus & politica oritur disciplina elicita, jure necessitatis, præterquam quod deficeret omnino militaris: id fateor, sed impetu exacto postea auctoritate hujus aut illius magni viri, promptissime sedantur; hoc Virgilius eleganter describit; dum sic canit:

Magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio; sævitque nimis ignobile vulgus,
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ideo civitates indolem adolescentum excitarunt, & paulatim hominum ingenia excolentes ad honestatis splendorem instruxerunt; nam à viris de populo excultis omnis progenies illustris dimanavit, & inde ortum traxit nobilitas: *Quoniam*, ut dixit Plato, *è servitia plebe Reges & servos produxit alterna series:* in illis est Religio, ab eis officiorum ministeria sunt inventa: iis lumen justitiæ eluxit, cum cœperunt in communi vitam degere: ibi animi magnitudo, modestia, & reliquæ virtutes extitere; artium maximarum studia & rerum occultarum inventio; quæ nulla prorsus essent, nisi summorum hominum ingenia fuissent civilibus institutis mansueta; & ad rerum naturam acriori mentis acie exculta.

Hinc homines ad humanarum divinarumque rerum cognitionem ducti sunt, ut commoda naturæ invenirent; nullo enim pacto summi viri sapientiæ studia colere potuissent, nisi multitudinis ope eorum vita muniretur; nec ad naturæ arcana lux & via pateret: omnes igitur artes, quarum ope & præsidio vivimus, & violentiam bestiarum, imbrium, tempestatum, & hostium arcemus, & animum sapientia ac disciplinis excolimus, ac tandem homines sumus, ipsius multitudinis ope inventæ atque perfectæ sunt: hoc est unicum contra tyrannidem auxilium, legum & publicæ libertatis, unica conservatio: hæ, & aliæ publicæ utilitates non possent usquam consistere, nisi fuisset innatus omnibus populis nobilis quidam pudor, & publicæ incolumitatis appetitus; naturæ ergo & necessitatis jure, princeps debet populum ferre, adhuc exterminatum, extra juris & æquitatis leges, & causam furiosi impetus quærere, & pacato animo sedare; cujus consilii defectu, Barchinonenses viri à naturali principe defecerunt.

Quando tumultus & seditiones concitantur in populo, illæ certe à nefariis quibusdam hominibus agitantur: & turba novitate seducta (spiritibus veluti contagio commotis,) irruit imprudenter, & tunc omnes communem sequuntur vocem; quousque lux consilii has tenebras illuminet.

Quis enim est, quæso, in populo legibus ac moribus constituto, qui à charitate humani generis abhorreat? omnes vidimus cives uno amoris fœdere sociatos, incomportabilia tributa ferentes; & quod magis miri est, summa violentia exacta: quod certe non fieret nisi dociles essent ad omnem vivendi disciplinam, si modo rectores habeant prudentia graves, & publicæ utilitatis amantes; (hoc præstat apud nostros Romana Catholica Religio) quæ inter eximia bona, homines in societate mirifice conciliat, recte instituta vivendi disciplina: mirum enim est, quantum populus principes & magistratus colat, ac viros virtute & præstantia excellentes observet,

quorum

quorum conspectu mox deponit furorem, ac seditionis incendium commutat in obsequium: ut cum Quinto Carolo, Cæsare, legimus accidisse, cujus valor & splendor, nubes publicæ seditionis dissipavit Germania; postea in Hispania.

Si quas vero calamitates viri excellentes passi sunt, in liberis populis, illud certe paucorum perfidia accidisse, multitudine reclamante, comperies: obiit in carcere Miltiades, non populo accusante, sed Xantippo, imo populum propitium expertus. Theremanes, triginta tyrannorum jussu, est veneno damnatus, invito populo, necemq; ejus ægerrime ferente. Phocio est etiam à sua civitate damnatus, sed paucorum calumnia, Regibus Macedoniæ adulantium, universa civitate reclamante: ob Socratis necem indoluere populi Athenarum; ut ob immeritum Xenophontis exilium: hic & ille damnatus, ob impiam inimici solertiam: ac omnes pene exitus miserabiles virorum industria præstantium, populi luctus excepit; nam ægre Roma tulit exilium Cæcilii, & Metelli Numidici: fuit ductus in exilium Tullius Clodii nefaria solertia; & populi universi plausu restitutus; populus enim summa benevolentia excepit viros à quibus accepit beneficia; ideo Catones, Paulos, Marcellos & Scipiones mirabili plausu coronavit; omnis populus sæpe honestatis tuendæ gratia summum discrimen subiit: illustres contentiones pro justitiæ defensione & Græciæ libertate, & Romanæ Reip. à populo susceptas legimus; impetu & ardore utraque cum summo fortunarum periculo, supplicibus opem tulit. Apud Spartanos puerorum institutionem admiraberis, studia juventutis, senectutis gravitatem, & populi universi in virtutis studio consensum: Romanæ gentis mores populum cæteris clariorem fecerunt. Quæ enim tanta fides, tanta juris jurandi religio, tantum honestatis studium, & disciplinæ militaris Academia unquam fuit? nec est facile creditu, tam longe lateque imperium augere potuisse, & conservare per tam antiqua lustra, ni tot præclaris artibus floruisset: hoc non esset possibile, si plus apud eum libidinis & ignaviæ turpitudo, quam industriæ laus & continentiæ valuisset: ô pudor nostræ gentis, quæ tot præclaris Paganorum exemplis, non valet coërceri ab ignava desidia, nec ad honestatis exempla excitari: nil enim est quod sine virtutis & modestiæ præsidio, diu possit consistere.

Si non valent externorum exempla, valeant gentilitia. Quam egregia virtute olim nostri, pro Religione & patria decertarunt, ut Saracenos pellerent, quam indefesso & importuno labore, hostes à finibus Hispaniæ depulerunt. Quam magna contentione armis suscepta, his temporibus Religionis hostes subegerunt: & alium egregia virtute nobis orbem dederunt, apud quem leges & vitæ instituta liberi populi susceperunt: homines enim non vis, sed ratio compellit, ad illa quæ valet quavis levi violentia dejicere; quæ vis sat esse potuit vastæ populorum multitudini, aut quo supplicii metu potuit coërceri, ut obsequatur legibus, nisi illos nobilis disciplina coërceat.

A

CAPUT III.

Quale nobilius ad labores ferendos incitamentum.

Utinam essent scholæ disciplinæ ferendi, ubi mitescerent indomiti, & delicatæ mentes obdurescerent: & assuescerent laboribus fœlices, ut ita redderentur ferendi consuetudine robusti, ut continua disciplina sapientes, & artis usu excellentes artifices! Nullum enim aptius instrumentum, ad ferendam disciplinam invenies, quam *honorem* cum *pudore*; est enim *pudor* vehemens ignominiæ & dedecoris timor: quam Plato *divinum* appellavit, quia custos est valoris & virtutis: id enim natura peculiari, indidit privilegio nobilibus hominibus, & brutis, quæ infamiæ potius, & metu turpitudinis, quam doloris timore commoventur, ut de leone & elephante legimus; nam ille honoris metus, & hic pudoris timor, homines acuit ad ferendos labores; & ad ferendi studia efficit vigilantes, inertes acuminat, erudit generosos: dum enim ab æqualibus vinci turpe judicant, omnem laborem perferunt: nec ulla ferendi occasio est ingrata, ut nobilitentur excellentiæ gloria; & inde fere accidit, ut dum dedecus fugiunt; honestatem sequantur; nam acriori morsu virtutis & naturæ concitantur.

B

C

Plerique etiam jam pudore perculsi, præclaræ artis studia sequuntur; alii militarem disciplinam avidissime colunt: alii Reip. laboriosa munia, patriæ amore exequuntur; & alii denique, ne subeant infamiam, honorem commodis vitæ præferunt; & illam majoribus periculis exponunt, cum maxime noverunt nil esse effæminati animi languore fœdius, nil turpius languidi & abjecti, insito turpitudinis & vilitatis odio.

D

Quid inde sub ista disciplina consequemur? ut quos adornat pudor, non in umbra & otio languescant, neque diffluant mollitia & luxuria; nec fugiant ad hostium conspectum, vili timore pulsi; nec ullum exhorrescant discrimen: imo illud semper optabunt, *pro patria pugnantes potius generose mori, quam vitam cum rerum omnium affluentia, & sine dignitate, ad extremam senectutem perducere.* Est enim semper mors clara, & illustris, obscuræ vitæ anteferenda: quoniam uti nihil est in vita tetrius *Impudentia*, ita nihil ad virtutem excolendam, excogitari potest utilius *Pudore*: est enim ille gloriæ comes, & omne honestatis studium gloria continetur; quando extremus dolor & insana voluptas hominem ad extremam vilitatem depressit: ita enim cum natura effæminatæ carnis, comparatum est, dum super nobilem spiritum dominatur, ut dolorem vili dedecore vitemus, & voluptatem insito appetitu asciscamus; quo cedit necessario, ut major hominum pars omne vitæ studium, ipsa voluptate, non honesta institutione metiatur.

E

F

Tu vero illud alta mente perpende, quod nec valor, nec sapientia, nec ipsa honestatis pulcritudo, in sola voluptate consistit: præclare dixit Plato: *Unica est præclaræ institutionis ratio; sed hac in recto dolore, & honesta voluptate consistit:* sic enim non omnis est fugiendus dolor, sic nec omnis voluptas insequenda: rectus enim est tolerandus dolor,

dolor, licet inde tristitia consequatur: & ignava voluptas depellenda, licet contra appetitus acrius explorantes insistas; & sola est honesta voluptas colenda & amanda, quam offert sapientia & virtutis splendor, valoris dignitas, aut honestatis gloria: & est ferendus dolor, ad hæc adipiscenda; *Nam hic est rectus dolor*, inquit ille, *qui à turpitudinis infamia capi solet: honestas vero & voluptas, quam laudis excitat pulcritudo*: ac ideo illam fore optimam institutionem puerorum, adolescentumve, quæ commonet, ut quam maxime doleant ignominiam, & laudis pulcritudine & gloria delectentur; ut majorum suorum facinora insequantur. Magnum est certe, *voluptatem* despicere, naturæ blandimenta & fortunæ obsequia renuere; vitæ cursum in corporis labore & animi contentione, conficere: hæc tamen honoris celsitudo consequitur, an pudore, an honestatis gloria: cujus illecebris opus fuit, ut animi à flagitiosa voluptate ad honestam traducti, nec doloris tristitiam, nec molestiam aufugerent; nec tantam animi contentionem homines ferre possent, nisi amor laudis & honoris gloriæ spectatione: cujus splendore adeo omnia spreverunt pericula, ut ad mortem per tot rerum discrimina, alacri & fidenti animo irent: *Hic enim laudis amor*, ut dicebat Cambyses, *labores efficit immortales, non optabiles tantum, sed jucundos.*

Illud tamen non subito, sed tempore consequimur: sic enim primam ætatem honor allicit, & in virtutis studium incendit, ut honestatis & rerum magnarum consuetudine, paulatim animos ad disciplinam & virtutem generosam excolendam, & amandam perducat; nam *virtus laudata crescit, incendit æmulata*, ut honestatis amor, qui alit generosum ardorem, qui acrioribus stimulis languentem animum explorat, & concitat ad virtutis certamen; non ut livore alienæ virtutis, principem locum obtineat; detrahendo de aliena gloria; sed ut animo generoso, æmulatione laudabili, parem aut majorem gloriam assequatur: sic legimus Themistoclem, ducem Atheniensem, Miltiadis gloria excitatum, ut omnem ætatem in virtute consumeret: sic Theseum, Herculis æmulatione, bellum contra omnia monstra suscepisse. In Platonis Academia acrius incitamentum ad virtutem erat, solius gloriæ & honoris decor; nam licet pars illa nostri animi, illustris & cœlestis, sit vitiis depressa, caligine passionum submersa, ubi primum honestatis specimen, virtutisve pulcritudinem intuetur, ad altissimæ naturæ memoriam revocata, amore honestatis incenditur, ac laudabili æmulatione flagrat amore gloriæ; quam si non assequatur, percellitur tristitia; est enim honor & generosa virtus humanæ menti gentilitia, & magis naturalis quam vitium; inde enim oritur hæc præclara contentio, inter generosos & sapientes viros, dum nemo aliis æquo animo cedit, ut singuli evadant excellentes; nam dum nituntur ad virtutis certamen, unusquisque superare contendit: illa enim contentio animum in angulo jacentem excitat, & instruit necessitatis arte, & inflammat cupiditate gloriæ, ac faxit labores pati, & oblivisci: ac ab omni vanitate abducit, ut ad magnorum virorum imitationem vitam honestiorem ducat; hic est ferendus dolor, hic tolerandus labor, virtute & constantia; sub hac severa disciplina sunt educandi principes: sub hac nobiles & generosi viri debent filios suos continere, ne torpore languescant; nam delicatas mentes solet enervare longa fœlicitas; præstat enim, (si Crœsi incertæ fœlicitati credimus) nunc prospere ire, nunc offendere.

Ad juste & honeste ferendum, prudentia fortitudo necessitat; est enim indecorum, supra decorem ferre; delicati nec generosi animi, omnia impatientia præcipitare; prudentia enim virtutibus novum decorem comparat: & ipsa per se munia amplissima dignitatis sustinet, & tuetur; spectatæ mentis est præcavere futura, & obscura prænoscere; non est humanæ mentis nunquam decipi; sed facilis est lapsus imprudentiæ; tanta est enim prudentiæ celsitudo & dignitas, ut adhuc qui omni caret honesti disciplina, viros prudentia illustres summo imperio dignos æstimet, ac illis facilime obtemperat; intelligit enim in cæco hujus communis vitæ præcipitio, salutem publicam illius auctoritate & judicio contineri; dum perpendit quod est omnibus utile, posse fidenter ab illo prævideri; ideo ægroti libentius obtemperant prudentiori medico; milites duci spectatæ prudentiæ, militaris disciplinæ præclaro; periit Hector, quod salutare Polidamantis consilium non probavit, licet esset apud populum nominis splendorem consequutus, mentita animi magnitudine potius, quam valore, qua vitam pro patria offerebat; nam elatus ex vanissimo plausu, in eam temeritatem incidit, quæ morte tristissima & acerbissimo patriæ funere reluenda erat; quod adhuc pro meritis non flevit Lusitanorum patria, in acerba & immatura morte *Sebastiani* Regis, ob temerariam principis imprudentiam; non est enim generosa virtus mediocri consilio præferenda; ideo à vetustate magis probatam legimus, Hannonis moderatam prudentiam cauta cum solertia copulatam, quam generosam Annibalis temeritatem, cum invicta animi fortitudine. Gravis animi constantia animos in sui laudem trahit, sed prudentia animorum conciliatione plausum comparat; si virtutis splendor homines sui amore allicit, nihil est virtute illustrius; si decus honestatis amorem conciliat, nihil est illa pulcrius: si utilitatis magnitudo mortales in illius studium incendit, nihil est prudentia salutarius; quod est enim officium civile, bellicum, aut privatum publicumve, seu ad honestatis cultum, seu ad vitæ commoda dirigatur, quod illius tutela non indigeat? ingenium enim si prudentia caret, quo excelsius, eo erit magis omnibus suspectum & invisum; magnus enim animus si prudentia vacuus, quo fuerit erectior, eo majorem pernitiem ex illo formidabimus: utinam apud nostros non essent tot exempla hujus calamitatis.

Prudentiæ tantum veteres detulerunt, ut omnia vitæ præsidia, in bonorum fide constituenda existimarent: principio enim, cum nondum essent homines certo jure devincti, & politica disciplina exculti, omnisque vita mutuis esset injuriis & cædibus exposita, ii qui à potentioribus indigne premebantur, confugiebant ad aliquem prudentia præstantem virum, qui ab eis injuriam propulsaret; is autem aliorum vim & impetum

reprimendo, aliorum miserias sublevando, saluti publicæ consulebat; quod cum videret populus, illum cujus prudentia tuebatur, in summo rerum imperio collocabat; inde Regum initium & potestas à populo tributa.

Unde plane colligitur, hanc esse munitissimam viam ad regiæ potestatis amplitudinem, quæ non tantum justitia & prudentia, ac beneficentia continetur, sed in ferendo, prudenti & generosa tolerantia, subditorum defectus: nam si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter, cito intermiserit; non est ergo laudanda temeraria animi fortitudo, qua omnes injuriæ, veræ & apparentes, citra omnem justitiam, & gravitatem prudentiæ, propulsantur: sed illa quam adornat prudentia, solertia, & justitia; licet ex illa generosa tolerantia quid decoris fortitudo perdere videatur; nam re vera non perdit, sed in summo honestatis gradu continetur.

Quare qui ad montem Gloriæ ascendere nituntur, illud sibi necessario patiendum proponant, non modo perditorum hominum furore & invidia, immensos labores subituros, & vitæ discrimina subeunda, sed etiam hypocrisi simulata, virorum adhuc qui zelum æmulantur, per pudorem & infamiæ vices transituros. Quæsitus Sixtus Quintus, Pontifex Maximus, (vir sui sæculi nobilis & acerrimi judicii) *quomodo, beatissime pater, summi pontificatus ascendisti fastigia*, respondit, *per summam patientiam*. Illa tamen discrimina & pudor, valore & virtute in valoris catino depurata, post breve certe tempus evanescunt; nisi omnia furiosa tempestas è radice evellat; tanta enim est vis veritatis, tantum virtutis decus & ornamentum, ut omnem infamiam & pudorem, aut scelere nefario imposita, livore aut errore contracta, deleat extinguatque; illud etenim, licet sero assequantur, est in causa, ut ab impiis & imperitis postea pleno ore tales laudentur; id tamen fortitudo civili disciplina non consequitur, sed insita natura; & in eo maxime Chaos universi spectare par est, ut qui omnia effrænata libidine metiuntur, qui virtutem odio persequuntur, ii ipsi illius splendore superati, illam omni ætate celebrandam & æterna memoria consecrandam existiment; & post mortem, aut exilium, ablatis stimulis invidiæ, homines spectatæ virtutis & valoris, & laudibus extollunt, & publicæ necessitati, si vere potuissent, revocassent absentes; in illis enim virtutem amissam lugent, & se bonorum præsidio orbatos, misera afflictione plorant; & optant postea illos quos occiderunt, ad vitam revocare; nam ita natura comparatum est, ut viri ipsi qui valore & gloria floruerunt, laude immortali post mortem efferantur, quam livor & invidia coërcuerunt in vita; nam mortis ultimum, est meriti principium; quoniam in vita alii solam meriti fœlicitatem consequuntur; alii laudis privilegio solantur, alii tandem in lucro præmia meruerunt; nam imperitum vulgus multos falsa virtutis & valoris opinione commendat: ac multos valore & virtute excellentes pari errore, æterna oblivione diversari compellit; & interdum sepelit ignominia, & quod magis lamentabile est, quod sapientes viri cum populo in virtutis probatione consentiunt; illud tamen inter utrosque interest, quod sapientes viri nebula populari dissipata, postea judicant vere & incorrupte, nisi illos aut retardet ambitio, aut livor alienæ fortunæ; insipientes vero id assequuntur tardius, dum valor gloriæ, & virtutis ornamentum, immeritas tardæ insipientiæ pœnas luit.

CAPUT IV.

Acrius ad non ferendum irritamentum ira.

Circa honores & inhonorationes fortitudo versatur, quæ sic perinde se habet ad valorem ut ad magnificentiam liberalitas; utraque enim virtus est animi magnitudinis soboles, & circa magna & mediocria nos aptiores reddunt, ut excusetur exsuperatio & defectio; in dando accipiendoque, veluti in honore appetendo; ne magis aut minus quam oporteat, sed unde & ut decet, appetantur honores; nam æqualiter peccat ambitiosus, quam pusillanimus, quia hic deficit quando ille excedit; nec ob res honestas inhiat ad honores; & nos quadam virtutis apparentia decipimur; quod illum tanquam virilem, & rei cupidum pulcræ, hunc tanquam moderatum modestumque laudamus; forte quod sint virtutes in vitii confinio; cum enim nomine careat mediocritas, de ipsa tanquam de regione vacua, extrema contendere videntur; non quod non sit medium inter illa, sed quod illum assignare sit difficile; hæc est virtutis habitus, qui mediat inter ambitionem & vacuitatem appetitus honoris; sed medio nullum est certe nomen, cum participet de utroque extremo; sed hic apud omnes dicitur mediocritas; dum nec magis nec minus, sed unde & ut oportet, appetuntur honores, meritorum & personæ respectu.

Sic mansuetudo est quædam circa iram mediocritas inter duo extrema, nempe inter iræ defectum, & iracundiam; sed animadverte, quod ira dum naturalis passio, cum mansuetudine compatitur; nam is qui loco, jure & tempore irascitur, non est tantum laudabilis sed mansuetus, quoniam perturbatione caret ira; nam tantum irascitur quando ratio dictat; ideo quando Homerus, Ulyssem, iratum introducit: ***Ejus affectus***, inquit, ***dulcior est melle jugiter instillante***; deflectit enim ad mansuetudinis extremum; non ad iræ carentiam; nam omnino non irasci, & sensationis defectum & animi vilitatem arguit, quo sibi ipsi deficit & communi naturæ; quoniam naturalis tutela honestat ultionem propriam seu communem; & ferre contumelias, ut & suos negligere, & animum de vilitate arguit; & communi societati gliscit.

Iracundia vero in ipso passionis extremo, hominem ad furorem præcipitat; nam in fervore sanguinis circa cor, duæ maxime elucent actiones, & excandescentia irascibilis, quæ obtinet imperium in corde, & æstimativæ depravatio, quæ imperat in cerebro, ab acri & mordaci exhalatione lacessita; quo in statu ira brevis intellectus parenthesis; ac ideo est acrius ad non ferendum irritamentum ira; quia quadam necessaria violentia totum hominem trahit, & rectrices potentias tyrannidis imperio subjicit: usque dum ebulliens bilis evaporet, & deferveat; nam antea ultionis desiderium ea omnia, quæ ratio aut convenientia proponit, pari violentia & furore excludit:

cludit: quoniam tunc cogitatricis depravationi, & irascibilis errori cedunt omnia; quæ exuperatio quanto magis distat, tanto mansuetudini opponitur, quæ est aptius ferendi instrumentum: nec est facile terminum præscribere, quem iratum præterire non liceat: illud foret utilius, pacatum semper animum conservare, & rerum incursionibus valore generoso obsistere: hydriam enim pectore fovet, qui irascibili primo impetu non obstat, nam qui corporis passiones alit, animum ferire permittit.

Iracundus in obvium furiam evaporat, si iræ objectum non offendit; Taurus in circo, cum provocatorem ferire non valet, terram pedibus ferit, & manibus attrectat, naturali instinctu, ut spiritus, & ferventem bilem, quæ cor opprimunt dissipentur, ut à suffocatione & angore liberetur; sic homines in ira de sola cogitant ultione, ut cor ab angenti angore liberetur; & iræ dolorem in voluptatem vertant.

Laudabile est, primum iræ incitamentum, ad injurias propulsandas inditum à natura; difficile secundum; detestabile tertium; quia jus iracundiæ à voluntate nostra datum est, nec facile postea coërcetur, electionem consilii confundit; tempus generosæ tolerantiæ, ne juste operetur præcipitat; animi magnitudinem & valorem, in ipsa violentia repræsentat & simulat, ut incautos decipiat; & omnibus apparenter imponit: ipso jure naturæ, injurias propulsandi: nec attendere finit quod non est virtus vitio adjuvanda: nec ratio debet ad vitia confugere, falsa necessitatis compellatione: est enim iracundia temeritati prona.

Ferre in iracundia magnum virum desiderat, plerisque videtur impossibile; mihi valde difficile; quoniam sapiens non omnino perturbationibus vacat, sed perturbatus modice: hoc tamen, quod nunc dico, non ejusmodi est, ut fieri non possit, si modo quis exercere seipsum velit, & longiori tempore assidua exercitatione periculum facere; nam ab ira prorsus liberari, simul ac quis velit, non est semper possibile: comprimere autem iræ perturbationes, intemperantiam & insolentiam iracundiæ, valet cum valore prudentia: illud in libro de *temperatione iræ*, Plutarchus ad practicam reduxit; & docuit exemplis; illud exclamat Seneca, & est primũ principium in Cynicorum Secta, quod plerosque legimus factitasse philosophos & Reges, & adhuc homines moderatæ fortunæ: Rex (dixit Cambysi Crœsus) noli, cuncta ætati aut iræ indulgere, sed cohibe & compesce te ipsum, conducit tibi providum esse; & sapientis est prospicere; quod hominibus pœnitentiæ fuit iracundia, & quibus non cessit in supplicium.

Tolerantiam adornat fortitudo, præoccupat constantia, virtus illustrat, tutatur patientia, ac tandem prudentia commendat; quem non commovet ad amandum, modesta & nunquam fracta tolerantia, & quam venerationem non solicitat; errores sensuum oportet prævenire, ac primos irascibilis impetus superiori modestia comprimere; ne in actum prorumpant: ego etiam aliquando injuste lacessitus errorem nominis veritus, curiose quæsivi, sed vocem aliquandiu continui ne in tanto animi tumultu quidquam excideret in modestiam, aut amicum indigne: ex hoc enim summa veneratio comparatur; & talia discrimina ex ira sæpe pullulant quæ vix obliteravit sæculum: *Pessimo sane loco sumus*, dixit Seneca, *nisi ita injurias pati possimus, ut videamur non sensisse*, (si ita fari licet:) nam si pondere quod nunc urget flecti nolumus, fortasse frangemur; cuncta enim sunt incerta, & in rerum confusione, plura sunt consilio, quam vi peragenda; nec est omnino inglorium injuriam, ut tempestatem ferre, quando est supra vires. Nobile tolerantiæ genus est ferre sine invidia & sine decoris timore; sicut non magni animi est, dare & perdere, sed perdere & dare: sic non magni valoris est, æquo animo ferre, sed inimicum beneficiis & benevolentia superare; nam agricultura sterilitatem vincit.

Fortis es, (dixit Barbarus quidam, sed cultissimus) *quia brevi speras futurum ut tempestas tranquilletur? & qui modo te oderunt, ament & amplectantur.* Nihil hoc cogito, nihil me spes in lætiorem exitum collata sublevat: non est fortis, qui fortis est spe: fortis est qui præsentia mala sentit, & perfert; ut etiam si duratura viderit, contemnat, in futurum nihil respiciat; alioquin si præsentia incommoda expectatione commodorum tolerat, compensatio est, non fortitudo; at si fortitudo, non ingenua, certe illa & absoluta, sed mercenaria plane atque mutila. Cum spem à fortitudine submoveo, non illam spem intelligo de qua dicitur, *bonum est sperare in Domino.* Sed illam de qua legitur, *maledictus homo qui confidit in homine.*

CAPUT V.

Quantum ad ferendum generosa conducat fortitudo.

Fortitudo est metuendorum aut non metuendorum habitus virtutis generosæ, qua quis obstat periculis; hanc indidit natura non tantum ad timores doloresque superandos, sed adversus voluptates cupiditatesque excessus irascibilis & concupiscibilis appetitus, ac contra illecebras, & hominum delicatas blanditias, quæ eorum etiam, qui honesti videntur, animos flectunt & quasi cereos faciunt. *An ille qui dolore frangitur, an qui voluptate superatur, habeatur deterior*, vetustas in quæstionem duxit. *Ille arbitror*, dixit Plato, *qui à voluptate prosternitur: omnes enim voluptate illaqueatum hominem inferiorem se ipso magis, & quidem cum opprobrio, quam dolore demolitum putant.* Ideo nobilis & antiqua vetustas, Fortitudinem *erectam* & non *claudam* depinxit; ut ad *sinistram* quidem *adversis resistere possit*: ad *dextram, ne rebus secundis latisque blandientibus succumberet*; imo ad utramque sufficeret. Miræ fortitudinis exemplum duo viri in eodem negotio tulerunt; Adrastus ex Crœsi Regia familia, Atium Crœsi Regis filium læta venatione sequitur; ac ille cum sagittam in bestiam intenderet, infœlici fortuna, principem Atym transfodit, ac peremit: & nihilominus tristis principis corpus sequebatur: ac stans ante Crœsum dixit, macta me super cadaver, ô Rex, ut qui occidi principem: cui Cræsus hæc dixit; tibi, ô hospes, indulgeo, quod te ipsum morte condemnes; desperati & pusilli animi est, & viri generosi indignum, ad mortem currere tædio vitæ; vir enim fortis non fugere debet è vita,

Dialog. 1. de legibus.

Fortitudo quasi non clauda pingitur.

Herodotus lib. 1. Clio.

vita, sed exire: *Non video quid habeat in terra Iupiter pulcrius*, dixit Seneca, *si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.* Nullum enim infœlicitatis genus est, quod patientia non superet, aut necessitas toleret: intolerabile est carere patria, & maxima pars urbis immensæ caret illa: nam alios abducit ambitio: alios seducit auri sacra cupiditas: multos cogit necessitas: alios amicorum fœlicitas seducit: ac ideo *omnis terra est viri fortis patria:* magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animalibus calliditatem dedit, quibusdam cor pavidum, aliis subdolum; ita nobis gloriosum & excelsum spiritum, quærentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivamus: ideo Socrates morti damnatus, cum esset qui fugam permitteret, noluit, ne fortitudinem vili timore pollueret.

lib. de Providentia.

A

Si videris hominem interritum periculi, intactum cupiditatibus, inter adversa fortem, fœlicitate moderatum, in mediis tempestatibus placidum, ex superiori loco homines intuentem, ex quo Deos, non subibit te fortasse veneratio ejus? quis dubitat; est enim virtuti indita veneratio: ubi ergo est illa generosa fortitudo, ubi nostrorum valor; qui pluris æstimant violentiam quam moderationem; hoc etiam accersivit hujus sæculi temporis infœlicitas, ut vitia potius æmulentur virtutes: forte vicinitate aut operis jactantia: nam temeritas sub titulo fortitudinis latet: ignavia dicitur moderatio; timidus pro cauto reputatur: & in his magno periculo erratur; nam perditis quoque recti similitudo est: sic mentitur prodigus liberalem, negligentia severitatem: negotiosus homo dicitur prudentissimus: plerique bene incipiunt, male peragunt cursum; cum finis totum cursum commendet; quid enim oportuit belle cucurrisse, si male constitit?

B

C

D

Sit tibi regula ad ferendos alienos defectus, necessitas ferendi proprios; tutus & in tuto ab adverso littore æmulationem respicias absque supercilio: nam ferendum est à forti si quid grave acciderit; nec sit excusatio, præmiorum defectus; nam virtus ob sui pulcritudinem colitur & amatur; nec putes sanctum Numen, à quo omnia eximia velut ab origine processerunt, Deum inquam, qui omnium origo virtutum, fas rectumque mortalium animis, ingenerata ratione, præscripsit, generosis hominibus deficere; quare constantia in ferendo non sit fortunæ comes: (si id præstat fortuna) sed cuicunque incursioni impenetrabilis, ne sit nobis in arcto & inglorius labor: nam generosis hominibus solet fortuna magis quam virtus deficere: nec minus miretur Græcia Xenophontem, qui in ipso sacrificio, (nuntiata morte filii) tibicinem tantum compescuit, coronam deposuit, cætera rite peregit; quam Hispania, suos qui valore in ferendis laboribus, pro religione & patria susceptis, nobis novum orbem dederunt.

E

F

Avida est periculi generosa animi fortitudo, & quo tendat, non quid passura sit cogitat: quoniam quod passura est, & gloriæ pars est: gubernatorem in tempestate, in acie militem, noscit; fugite delitias, fugite, labor improbus optimos excit, fortes commendat; ignis aurum probat, miseria fortes viros, alte ascendit virtus, & monte in Olympo consequitur.

Ardua prima via est, & qua vix mane recentes,
Innituntur equi, medio est altissima cœlo.

Simul cogita, (dixit Arius philosophus Liviæ Augustæ in morte Drusi Cæsaris) non esse magnum se rebus prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita procedit; nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare, & obsequens ventus ostendit; adversi aliquid occurrat oportet, quod animum probet: proinde ne submiseris te: imo contra fige stabilem gradum, & quidquid onerum supra cecidit, sustine primo dumtaxat strepitu conterrita; nulla enim re major invidia fortunæ fit, quam æquo animo; virtus laboriosa mortalium generi, honestissimum vitæ humanæ incitamentum est; pro fortuna sua suavis est laborum patientia, fructum mortalibus auro præstantiorem inserit, ut Aiaci Thelemonio, Herculi, Lædæ filio; ideo miles bellum optat in gloriam; agricolam annonę caritas exigit, eloquentię exoptat pretium litium numerus: Medicis gravis annus in quæstu est, institores delicatorum mercium corrupta juventus locupletat; non laudo corporis fortitudinem, ambitiosam gloriæ, sed quę virtus ex dignitate rerum ad temporum sumit utilitatem; hanc enim pro injuriis propulsandis, & ad loco & tempore ferendum, ordinavit natura; illa vero infœlicis aliquando interitus Miloni Crotoniensi causa fuit, qui vitam inter brachia quercus antiquæ deponit temerarius.

Nec timeas quod nobilis & generosa tolerantia judicetur ignavia; nam vilis fortitudinem non minuit detractio; est enim *Virtus repulsæ nescia sordidæ*, ut Horatius dixit; sit tibi exemplum supremum luminare; nobilissimo Apollini millia millium æmulantur meteora, terræ voragines insurgunt, accurrunt agminatim vapores: certatim nubes caligine obscura lucem bibunt, ut saltem per momenta obscurior videatur mentita; nec irascitur, nec maledicit tenebris luminare, placidissime cernit, nec iratus patitur violentiam: fert mira fortitudine, ac tandem regia vultus serenitas, importunam hostium demolitur proterviam: & sicut aqua certatim se præcipitat, crystallos per lapides allidens, ut sitim viatoris deliniat, sic Apollinis candor & fortitudo, tenebras, (deposita immeritæ æmulationis memoria) generosus illuminat; neque credas quod aliquis unquam tulit sine fructu: quoniam est animi fortitudo, tacita eloquentia; quæ occulta sympathia homines illicit, aut veneratione, aut amore, ut olim veteres Herculem valore, Amphionem harmonia, homines allicere tradiderunt.

Dicis fortasse, quod plerique vitam generosæ obtulerunt tolerantiæ non tantum sine fructu, sed futuro dedecore: ita cessit ætati infœlici; nulli enim ætati defuerunt fideles, ideo infœlices Belisarii: quæ vitare non possumus constantia & valore toleremus, ut mille infortunia, & improvisi casus, quæ cuique ferre licet, nemo vitare potest; insita rerum necessitate; res enim securius moderatione, quam vi componuntur; in animi tumultu, pauca secure dixeris, multa silentio tueberis; nil æque animum præcipitat quam lucrum; nil æque ferre docet; lucro incœpit orbis, idem lucro peribit: à sublimi incœpit, jam pastorum tuguria penetravit; unicum est hominibus negotium, lucrum nempe; est enim orbis ethica orbis

lucrum;

lucrum; quoniam solidas adhuc penetrat partes, nec se ab hoc periculo liberat œconomica, ut universum eo quo incœpit lucro, lucro pereat.

A Labores immortales sub fructus expectatione dulcescunt, ne sub amaritudine aversentur; multum enim laboris, parum securitatis habet civilis gubernatio; hæc humana conditio aversatur, voluptate dulciora prosequitur; non decere quempiam petere principatum, magistratus ambire, dixit Plato, ideo malos non esse admittendos: cives vero non malos, qui libenter grave onus suscipiant, invitandos præmio & honore; probos vero, qui nec avaritia nec ambitione moventur, uno dumtaxat discrimine metuque provocandos, ne ipsi, & universa Resp. malorum injustæ gubernationi subjiciantur; nam patriæ gubernandę officium à justo debet sponte suscipi, sin minus, debet impelli, si id petat necessitas; peccatur enim in utroque extremo, & cupiditatis & desidiæ; nec enim minus damnosam esse quietem desidem (dixit Thucydides 1. historiarum) quam operam laboriosam, usque adeo, ut brevi complectar, si quis dicat, illos hoc ingenio natos esse, ut neque ipsi queant, neque alios sinant quiescere, is recte dixerit.

Epist. ad Architam.

B

C

CAPUT VI.

Quantum valor ad ferendum conducat.

Ignobile familiæ principium, & pastorum tuguria, virtus generosa nobilitat, claram fecit originem valoris ardor, qui sursum velut ignis ascendit, de quo mille extant exempla; non ignobile tulit Ægypto Rex Amasis, de ignobili familia à populo notatus; quem ad justum obsequium perduxit solerti tolerantia, pelvi aurea in idolum mutata: *Hæc erat* (inquit) *vili servitio dicata, nunc ex illa Dei simulacrum adoratis*; & non antea beatior Ægyptus quam sub Amasi Rege, quod leges beatissimas condiderit, & urbes redderet fœlicissimas. Despicit abjectus animus honoris lęsionem, pendit ad æquilibrium generosus; sed hac nostra ætate, omnia sola lucri regula metiuntur; quia jam exolevit memoria injuriæ, neque flagitia dedecoris nomen meruere; Unica est injuria paupertas, ideo forte Marcellus, avorum clarus moribus, generosus paupertatem præcipuum malorum credidit.

Herodotus lib. 2. Euterpe.

D

E

Origo nec laudat nec vituperat, nec valor metitur ortu, vitiis vilescit Catilina, generosa virtute nobilitatur Tullius; fortuna est nasci principem; fieri generosum valor; *Inæquales nascimur, pares morimur*, dixit Bias; nos dicimus è contra, *æquales nascimur, impares morimur*: nam natura æqualis ascendit, aut descendit, vitio, aut valore; aut animi virtute bene fit dives aliena fortuna, non generosus alieno valore.

F

Spurii & nothi viri, ut plurimum, strenui, & heroës, quia amoris filii: quos nec parentium domus, nec familiæ luxus enervavit, nec opum abundantia, vitiorum illecebris seduxit; quæ majora ingeniorum sepeliunt talenta; aut antiquorum glorias obscurant; hos à domo & familia pellunt ignobilis paupertas, jam vulgaris infamia, si non livor alienæ fortunæ: aliquando licentiosa libertas hos præcipitat; ac concitati à magnis parentum spiritibus, desperati in patria, & tædio repulsi, per confragra & præcipitia, per varia discrimina montem ascendunt Gloriæ: eo magis, quod perculsi ex originis labe, (perpetua confusio animi generosi) calcaria, morsus acrioris injuriæ immeritæ non ferunt; imo hac repulsa concitantur, ut generoso ardore montem superent Gloriæ: aut è contra si inerti vilitate obdormiscunt narcotico infamiæ soporati, nec honoris calcar sentiunt, nec stimulis gloriæ concitantur; ut nec numerari, nec inter homines vivere mereantur; *Quoniam talis vivens moritur, & cum vere deficit, desinit tantum videri vivens*; ut de Claudio imperatore dixit acute Seneca. Inde oritur, quod spurii ad alterum extremorum relabantur, aut infamis ignaviæ, aut strenui valoris: & hinc optimis fortuna plaudit, pessimos comitatur infamia: illi & valorem educunt de fortunæ potentia, aut valoris ingeniti; nam generosus ardor hæc producit, non creat; plerique tamen ad superbiam prolapsi, cum se ipsos ignorent, fiunt fortunæ Icari, Phaëtontes insaniæ.

Qui tamen alios gloria & valore antecellit, ut fiat adamantinus oportet: amarulenter enim ab æqualibus fertur gloriæ antelatio. Superbia insolentem Goliat, David puer singulare provocat ad certamen: gloriam & valorem indigne tulit frater, temeritatem ratus, ne frater illum gloria anteiret: defectus naturæ inter speciem & individuum non discernens. Pictor est lividus qui atra malignitate, generosas imagines obscurat; perfectiones minuit: imperfectiones apponit & delineat; deinde in imagine vituperat quod ipse nefanda manu ademit vel adjecit: & quam fecit imaginem aliis conspiciendam proponit, sacra intentione, ut omnibus fieret odiosa; (ultimum miseriarum ac sævitiæ exemplum) sed tales quasi exprobrantes aspiciuntur, & sola sceleris conscientia in ipso facinore pœnas luunt.

Facile viri nostri inter ancipitia claruerunt, dum erat ingrata Hispanæ genti quies: nulla quippe nationum, ob immortalem gloriam, tot laborum congeries toleravit; ab occidente usque ad orientem, ubi debellatis vastissimæ Indiæ nationibus; superbo titulo monumenta Deo Trino & uno sacraverunt: ac nihil de se ipsis addiderunt, rati conscientiam facti satis esse: dicant etiam illud Germanorum Paludes, & inter lacus horribilis Gorgonia, inter Rhenum & Albim sub Carolo Quinto, imperatore maximo, ubi terdecim viri, vitæ amabili, vix credibiles labores prætulerunt, ob claritatem nominis.

Ob hæc & plura alia, quæ Seneca de Generosa Tolerantia disseruit, mihi semper habui persuasum, quod *mors non est ultimum rerum terribilissimum*: nec in illa est ferendi extremum, (quantumvis ad perfectionem universi necessaria) nam si nihil horribilius morte datur, quam animi & corporis angores sequuntur, illa quæ subito hæc omnia prævenit, erit bona: hoc omnia hujus universi antecellit, quod est in individuo deterius, supra quod orbis collosus cum se elevet, omnis ejus pulcritudo detegitur: & hoc est illa mors, ut pars harmoniæ superior, ubi omnis universi harmonia consistit; quid esset, si originali deperdita justitia, homines non deficerent; mortis timor homines in summa fœlicitate coërcet; ad numerosi exercitus aspectum, Artaxerxem exterruit

terruit sola mortis memoria; spes cito venturæ, A infœlices contra iniquitatem fati, fecit inexpugnabiles; qui à fabrica universi mortem toleret, lapidem angularem adimeret, harmoniam & concentum universi confunderet: est enim harmonia individuorum contraria; illa in unisona consonantia consistit, ista in multitudine confusa; mors non potest esse cum dolore, neque mala, si vere est naturale mori; quoniam res naturales sunt etiam natura bonæ; & *decrepito mori est dormire:* & licet inter deteriora numeretur, sine dubio una ex melioribus est bene mori; juvat B semper mortis consideratio: semper est bona mors; videtur interdum mala, quia sæpe non est bonus qui moritur; sed illi neque boni neque mali inest, ut plurimum; Cato enim illa honestissime usus est, turpissime Brutus.

Ferre leges & obediri principi, beatissimam constituit Remp. nam regnum inobedientia præcipitat; sed princeps non debet ferre facinora impunita dimitti: illud enim legum institutioni contradicit, institutoris auctoritatem convellit: est enim obedientia cum justitia comparata, anima C regni; quæ si deficit, hæc pars perit justitiæ, quæ Remp. fovet & vivificat; vitalis nempe spiritus justitiæ, in plebem & potentes distributus, in quo vita consistit; si vero supplicia pecunia venduntur, tacite irrogatur à principis ministro licentia peccandi; quo princeps tenetur ferre graviora facinora, si illa sub pretio emercari permittit: ideo forte prompti semperque mobiles & inquieti animi, in hac nostra ætate, sub libertatis licentiosæ nomine, seditiones induxere: nam cum essent assueti peccandi libertati, justitiæ ju- D gum facile excusserunt.

Et si quæras hujus status infœlicis auxilium, par fere nullum invenies: nulla est enim politica quæ nos securos reddat rebellionis animorum; & illos securitas præcipitat, neque favor coërcet; sed insolentiores reddit indulgentia; quare à principio hos decet instituere, in legum observantia, juxta severitatem quæ in metu filiorum coërceat, & contineat potius in principis amore, quam odioso & extremo supplicio; nec sit talis criminum indulgentia, ut viam paret peccandi E libertati; sed præmia super omnem politicam, & principis amorem conciliant, & regna stabiliunt, si meritis æqualia, æqua lance librantur; nil enim æque fortes, & generosos viros à principis amore, & à regni custodia abducit, quam si præmia assequantur qui periculis non affuerint: quod nobis hodie mille monstrant exempla; & maxime plerosque insignire, generoso stemmate ordinum militarium: valoris immortalis olim præmium, nunc pretium favoris.

Consultissimum erit populorum libertatem F majestuoso imperio tali moderatione temperare, ne acrius irritata patientia exballistet: illa gravis Taciti sententia non excidat à principis memoria: *Nunquam tibi, ô princeps, talem jurisdictionem dare potuimus, quin non sit nobis gratior servitute libertas.* Semper enim subditus in libertatem inhiat; tunc maxime quo acrior est servitus: ideo prudentissimum erit, illam temperare ad subditorum genium, ne acerbitatis attingat extremum, aut licentiæ; illud tamen maxime ingrate toleratur, patrias consuetudines à longinquo ævo altius radicatas, recentibus everti & confundi; nisi summa necessitatis urgentia; nil enim turbulentius communem societatem præcipitat, & in furorem agit universam Remp. ideo nostris temporibus Barchinonenses viri, & Lusitani, dicunt, jugum servitutis à cervicibus suis depulerunt; inde tamen graviora pericula gliscivere; (nulla in eo principis culpa) subditos inauditos damnare: illud enim animos concitavit elatos; & seduxit emeritos in bello & in pace, ut in seditionem audaci novitate immodeste conspirarent; nam qui inter libertatem & servitutem degunt, nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre possunt; & inter seditiones regnum pertendentes, qua data porta ruunt; infinita est homini dominandi libido, nec lex illam coërcet; nam imperium cupientibus nihil est medium inter summa & præcipitia. Illud, Pausaniam & Phisistratum seduxit ad horrenda facinora: sint nobis in exempla primus & quartus Juanes Lusitaniæ; nec nos valor excusat. *Improbe enim*, dixit probe Cyrus, *Neptunum accusat, qui secundo naufragium facit.* 2 Hist. 4.

CAPUT VII.

Quæ honorem non minuunt injuriæ, & quæ duelli certamen mereantur.

Injuria est dictum aut factum contra jus, quod honorem minuere, aut perdere intendit: Sub duplici facie spectantur injuriæ, seu pro ut vulgus æstimat, falso honoris pretio; seu prout summo honoris bono opponuntur, clarum honorem destruunt: sunt etiam mediæ quædam injuriæ; quarum labem opinio constituit; pro ut ab hoc aut illo æstimantur: ad meritorum & honoris regulam etiam metiuntur injuriæ; personæ item & officii, seu illius qui fecit, aut accepit.

Honor etiam (pro ut est hominis generosi ornamentum & justum separat à vulgari:) est virtus animi generosi, quæ ad heroïce & juste operandum inclinat, generoso ardore, de se lumen immittit, quo æstimationem creat in illo, qui attendit ad generosum opus: hujus veritas & essentia in animo consistit, ab ipsa natura ordinato: alius est spurius, qui honoris claritatem æmulatur, falsa æstimationis apparentia: hic est elata vanitas, sui ambitiosa æstimatio absque ullo fundamento virtutis; & cordatis hominibus ad despectum inclinat.

Illa tamen quæ cadunt sub hominis judicio, pleraque consuetudine & tempore æstimationem consequuntur, despectum & vilitatem alia; illa potius dixeris honoris accidentia si illa cum tempore mutantur: nam verus honor est semper immutabilis.

Præclaram nominis claritatem honori homines detulerunt, cum viderent insitum esse visceribus naturæ: jam olim Roma delubrum Deæ Virtuti sacratum adoravit, per quod erat introitus ad Dei Honoris templum; ut inde homines intelligerent, quod honor non nisi per virtutem consequitur; hæc duo dicavit templa Marius ex spoliis Cimbrorum & Teutonum, in nota via Appia, per quam mos erat olim milites in bella proficisci; ut illos edocerent, quod per solam Virtutem sit via ad Honorem.

Tanti pretii est honor inter homines, ut honore

nore carentem, pro mortuo veteres æstimarent, in sepulcro infamiæ, & dedecoris; ac ideo duelli legem invexere; pro recuperatione jam perditi honoris, seu ut mortuum honorem suscitarent: ingratum reputantes, hominem absque honore vivere; nam si caderet singulari certamine, mortem illam vitæ sine honore ante ire ducebant.

Virtutes quæ honori nominis claritatem addiderunt, sunt ita generosæ, ut splendorem Reip. concilient, in ordines & classes hominibus divisis; nam splendidis titulis honorati, Remp. tuentur valore & consilio; artifices conservant, & publicæ prospiciunt saluti: sunt virtutes honori servientes, veritas, justitia, magnanimitas, animi generosa fortitudo, illustris liberalitas; non tantum generosæ virtuti, sed omnibus & singulis opponitur injuria: ideo honorem aut minuit aut perdit tam magna Reip. jactura, ut honorem omnibus vitæ commodis homines anteponant; quare ita ingrate ferunt ignaviæ & vilitatis nomen, injusti & mendacis, ac omnes familiæ defectus, quod sint notæ injuriæ; ideo tot auxilia pro honore recuperando homines invexere.

Regulam igitur instituere quoad usque ferendum, honore non deperdito, quantum fert æstimatio, nullus unquam Politicorum instituit; cuncta invadentia æquo animo ferre, citra naturæ cultum Cynici Philosophi præceptis tradiderunt; honorem tueri, immeritam injuriam propulsare, sub definita lege, catholica docuit Theologia: quo præfinito ordine, quibus conditionibus id fiat, nos latius docuimus: *In exhortatione ad honorem & Honoris tutelam; quam patrio idiomate, pro filiis edidimus America degentibus*; revertamur ad ferendi præludia.

Videri patienti injuriam & violentiam à necessitate non timere, hominis incuriosi furor est, fortasse imprudentis: curiositas illa, quæ in solam sensuum delectationem cadit, laudari non meretur: si cum periculo, vituperio digna est; & ubi à nihilo, vel à nimio pendet, fragilitatis est inditium; tanto deterius est fraude, quam violentia perdere, quanto optabilius animo, quam corpore vincere; extra nos enim operatur; violentia autem ex aliena calliditate fabricatur sagaciter, supra nostræ inconsiderationis columnas; violentiæ vulnera dulcedine occasionis mitescunt, ingenii autem ipsa occasione, ex nostra inconsideratione oriente, ingrate tolerantur; sæpe necessitas excusat violentiam; quare sæpe est magis timenda valoris patientia, quam minacis loquacitatis ardor: hic enim exhalat conversus in vapores: at in illa vindicta intus alitur, & arma in ultionem condit.

Id tamen grave tulit ignava & infœlix tolerantia, ut tristiora sint pace, quam bello discrimina: nam qui semel offendit, sæpe lædit, multiplicat injurias, ut securior ab antiqua injuria reddatur; nec ad veram reddidit amicitiam qui intulit injuriam, (si vera est parœmia) quoniam injuriato non credit, nec aliter se judicat securum, quam inimico omnino debellato; nec inde ulla comparatur securitas; nam læsus & impatiens vires colligit, & tanquam desperatus se præcipitat; quare ubi non speratur amicitia, timeatur vindicta: quæ si moratur ad proportionem, periculum aget, cum non obsolescit fabrica ad vindictam.

A Ne igitur sub opinione periclitetur honor, non semper conducit tolerantia, interdum proportionata est opus violentia; ferre convenit, quando supra fortunam, supra vires, nec insigni honoris jactura toleratur, ut inevitabilis tempestas: quo in tempore reducere in memoriam ea quæ deberent esse in occulto, est inutilis labor; ubi fœlicitas esset oblivisci; potissimum ubi harum injuriarum auxilium est oblivio: & honestum est pati quod emendare non possumus; magni animi est, injurias despicere: sæpe satius fuit dissimulare, quam ulcisci: sæpe adeo vindicare injuriam

B expedit, ut ne fateri quidem expediat: *Quoniam*, ut belle dixit Seneca, *proprium magnitudinis veræ est, non se sentire percussum.* *Lib. de Ira.*

Quare oportet iracundiam à principio cohibere, sive par sit qui lacessit: sive superior, aut inferior; nam cum pare contendere, anceps est, cum superiori, furiosum, cum inferiori, sordidum: itaque decet si quid in te imbecillum agnoscas, ut id maxime protegas: non expedit omnia videre, omnia audire; multæ nos injuriæ transeant; tan-

C quam non audiantur, ex quibus plerasque non accepit qui nescit: non vis esse iracundus, ne sis curiosus; imo semper patientiæ prodigus; alia differenda sunt, ridenda alia, pleraque in lusum jocumque vertantur: & plerisque dandum est rumoribus tempus quo senescant, pacato & generoso animo: æmulationem semper ex adverso littore superior despicias; & adhuc contumelias contemnere oportet, tanquam à pueris jocos, si demens est qui intulit; dementia est enim iisdem modo delectari, modo offendi: quid autem est, quare hanc animi firmitatem non credas in vi-

D rum sapientem & generosum cadere; quis enim phrenitico medicus irascitur?

Si nos ad rationem componimur, nobis rationes sat erunt; si ad appetituum libidinem, nec ultio, nec ratio sufficient; & hæc qualia deberent esse judicabimus, non qualia necessaria duximus; nam iracundia sola in vindicta sibi placet; in omnibus implacida quæ huic appetitui non serviunt; nebula ergo passionum deposita, Senecam audimus, & rationi, non Senecæ credamus: maxima

E est enim, dixit Seneca, factæ injuriæ pœna, illam fecisse nempe: nec gravius quisquam afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentia traditur; illud tamen est illatæ injuriæ solatium, quod ex alieno infortunio quisque cœpit in suo: quemadmodum enim æquiori animo filium in angulo flevit, qui vidit acerba funera etiam ex regia duci: sic animo æquiori ferret ab aliquo lædi, ab aliquo contemni; cuicunque venit in mentem, nullam esse tantam potentiam, in quam non incurrat injuria: quisquis igitur sum, cujus aures lædi nefas sit?

F ignoverunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, & garrulis? puerum ætas excusat, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas, imprudentem fatuitas: num primum offendit, cogitemus quam diu placuerit: sæpe & alias offendit; feramus quod diu tulimus: amicus est, fecit quod voluit: inimicus est, fecit quod debuit: prudentiori cedamus: stultiori remittamus: pro quocunque illud respondeamus, nobis sapientissimos quoque viros multa delinquere.

Et si hoc non placet, respiciamus eorum exempla,

pla, quorum laudavimus patientiam: hæc semper à summis viris laudatur, ab omnibus extollitur; ergo est per se bona: non ergo erit in te minus laudabilis: & licet aliquid honoris videatur obscurari, id ad solem patientiæ dissipatur; hoc enim adversus virtutem possunt, & calamitates & damna, quod adversus solem potest nebula; ideo forte injuriarum remedium est oblivio; nam injuriæ, ut rumores, spatio & tempore senescunt, forte in melius mutantur: magnanimi enim proprium est, offensiones injuriasque despicere; quod objectas non valet, præ imbecillitate, adhuc nec ipsis auxiliis adjutus; ne te ergo præcipitet injuria: passionis violentiæ viriliter obsiste; donec transeat impetus, & animus in quiete te doceat, justitiam & merita vindictæ: aut fructum patientiæ: & postea de securiori convenientia delibera prudentius, securius, ut res ardua petit, &c.

Pudeat animum tot miseriarum victorem ægre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoso; fleant igitur diutius & gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa fœlicitas, & ad levissimarum injuriarum motus collabuntur; at quorum omnes anni per calamitates transierunt, (veluti in hoc sæculo) gravissima quæque, forti, & non superata constantia perferant: nam unum habet assidua infœlicitas boni, ut quos sępe vexat generose, induret; & magnus vir, si cadit, magnus jacet; & si contemnitur, etiam sacrarum rerum ruinæ calcantur; quibus antea grata extitit adoratio. Sola docet divina Philosophia, ut sequaris Deum, & feras casum; rubori tibi sit, homines sine fide, sine lege, illud exactissime peregisse, in hoc te superare Senecam, Socratem & Diogenem, solo naturali lumine Philosophiæ.

Potentum injuriæ non tantum patientia, sed hilari vultu sunt ferendæ, ab illo qui necessitat, sperans an mutetur fortuna; cum quidam interrogaret aulicum, quomodo rem rarissimam esset in *aula* consequutus, nempe *Senectutem? gratias reddendo*, inquit, *pro injuriis*. Magni animi est placidum esse, sed generosi, tranquillum offensiones, injuriasque despicere: muliebre tamen & invalidum, furias in ira ostentare: ferarum est urgere, & mordere projectos, interdum vilis timiditatis argumentum: iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt; illarum tamen Rex, pro aculeo utitur patientia: sævissimi & potentes domini, manus fortunæ sunt, sæpe Dei flagellum, illos ergo feramus velut Dei supplicium, ut hyemis rigorem, velut intemperantiam, ut tempestates & morbos, ut & cætera quæ nos fortuna pati cogit: Stilphon, victa patria, Demetrio victori generose respondit, non est quod me victum, & te victorem credas; vicit fortuna tua fortunam meam; caduca illa & dominum mutantia ubi sint nescio; quoad res meas attinet, mecum sunt; perdiderunt divites patrimonia, ambitiosi curiam, feneratores tabellas suas, quibus avaritia falso læta imaginatur, divitias: ego quidem omnia, integra & illibata possideo; servitus enim non in totum hominem descendit, corpus quod domino fortuna tradidit, hoc emit, hoc vendit, pars nobilis mancipio dari non potest: ab hac enim quidquid venit, liberum est, quamvis servus, ut placuit Chrysippo, perpetuus mercenarius sit.

A Maximum igitur solatium est, cogitare id tibi accidisse, quod ante te passi sunt omnes; omnesque passuri; ideo mihi videtur rerum naturam, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati solaretur æqualitas; laudanti mihi cujusdam politici viri nobilem tolerantiam; nunquid, dixi, talem virum, aliquam fortunæ tempestatem hilari, & non demisso vultu, ferre vidisti? nam ut ignis aurum probat, sic miseria fortes viros.

B Pleraque valore patimur: multa fati infœlicitas pati compellit: non pauca ferre ratio naturalis suadet: quia immutabilem fati legem necessitas non violat: *Si te tristis orbitas affligit*, (Liviæ Augustæ dixit Seneca) *puta ereptum tibi amplius quam ulla unquam mater amiserit; non permulceo nec extenuo calamitatem tuam; si fletibus fata vincuntur, conferamus: eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno tristitia consumat, atque omni se genere sævitiæ, profecturus mæror exerceat; sed si nullis planctibus defuncta revocantur, si mors immota & in æternum fixa, nulla miseria mutatur, & mors tenet quidquid abstulit, desinat dolor qui perit, & cedat generosæ tolerantiæ infœlicitas.*

C Antigonus, Julius Cæsar, & Magnus Alexander, à militibus & sociis injurias æquo tulerunt animo: serena fronte adversam fortunam tulit Cato: ferant principes animo generoso pleraque vel etiam subditorum ingrata: est enim excelsa animi fortitudo, cum virtus regia, tum aptius moderationis instrumentum: legite Xenophontis sententiam; ego vero arbitror, inquit, illos quibus prudentia curæ est, quique putant posse civibus suis quæ eis conducunt admonendo ostendere, minime violentos esse debere, cum sciant, ad vim quidem inimicitias atque pericula; persuadendo autem sine periculis cum amicitia eadem posse fieri: qui enim coguntur, tanquam expoliati oderunt; quibus vero persuasum est, tanquam gratum aliquod acceperint, amant: nequaquam itaque illorum qui prudentiam exercent, proprium est, vim cuiquam inferre, sed illorum qui sine ratione potentiam habent: præterea qui quidem audet vim inferre, non paucis indiget adjutoribus, qui vero persuadet, nullo: ne ergo ferantur fatali exemplo & imperio, redditi sunt ministri insolentes, crudeles impii sine Dei misericordia, nec hominum timore.

Lib. 1. de dictis & factis Socratis.

D E Lata & plana est vitiorum via: angustum iter & arduum ad Virtutem; quod sola prodiga tolerantia superatur; pravitatem simul totam licet eligere, dixit Hesiodus: *Virtuti sudorem Dii præposuerunt immortalem*: arduum enim & difficile est iter ad Virtutem: & cum asperum sit, amænum postea redditur; cum ad ultimam recentes nitimur; *Laboribus omnia Dii vendunt*, dixit Epicharmus: sic Herculem fertur extra urbem egressum, duplicæ viæ obviasse, ac nutanti, sese obtulisse Virtutem, & alio ex latere Voluptatem, ac illas inter se contendisse, de Hercule ferendo: Virtus horridam & incultam Virtutis viam intrare suadebat, nam supra compita montium stare Gloriam immortalem exclamabat: Voluptas vitiorum illecebris Herculem seducebat, plana & lata via, ubi favor aspirat & fortuna; ac tandem Virtutem superasse voluptatem, & Herculem duxisse per omnem laboris tolerantiã.

F Omnes

Omnes fere nationes, non à famæ tantum celebritate, sed à præclaro nomine, valore & armis comparato, inerti otio & opum affluentia decidisse nulla non ætas novit; inde enim viri vocati ad Theatra, ad fabulas conversi, se ipsos nescientes obliviosa inertia, omnem animi cultum perdidere; ac mollitie & luxuria enervati, militaris disciplinæ labores, (occasione tracti) ferre postea nequiverunt invalidi: hos postea rerum clare gestarum fiducia deturbavit: nam heroum præteritorum memoria, quibus fortuna paruit, præfidentes, res suas gerere decreverunt, & cum jam esset potentia non sua vi enixa, facile fatis, & rerum fatali mutationi cessit: quo isti perdiderunt ignavia, illa omnia, quæ claro & invicto valore majores sui acquisierunt; sit nobis exemplum & Romana potentia & fortuna: sit & nostrorum valor, quibus cessit vastissimæ Monarchiæ imperium, nunc desidiosa sui oblivione, & ignava luxuria sepultus: & adhuc omnia ad pedes Hispanorum non subjici, solo nomine Hispaniæ audito, ægre ferunt; nos inflat, non roborat præsumptio: quoniam gloriæ nomen ferunt nostræ gentes, non valorem antiquum: *Quia*, ut belle dixit Xenophon, *fiducia negligentiam, inertiam & inobedientiam parit*; timor autem circunspectos ac ordinatos homines reddit. Magnum argumentum nautæ præbent, qui quandiu nihil timent, nullo ordine cuncta peragunt; cum autem tempestatem aut bella suspicantur, non tantum facilime perficiunt, sed magno cum silentio attendunt quod eis præcipitur.

lib. 3. de Dictis & factis Socratis.

Anno 1648. Iulii 22.

Hæc nos incauta fiducia in manus hostium inopinato traxit, in improvisa & confusa Naumachia, haud procul à littore Gadensi, classis nostræ cum Gallica: ubi hostis non impune elabitur: ubi filius noster Laurentius ætate 18. annorum, dum pro patria & pro Rege pugnaret, occubuit exanimis ad ictum hostilis globuli tormentarii, fere capite universo dilacerato, cranei fractura altius penetrante vitæ cum extremo periculo:

— quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. —
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter geniti extremum audire laborem,
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit.
Incipiam.

Dum ergo classis Gallica adstitit improviso ante nostram; nostræ gentes & classis confuso rumore se immiscent: nostræ mercibus naves erant onustæ; nec prælio dispositæ, neque milites disciplina militari ordinati: quare novitate perculsi, omnes ad arma ruunt, ac velut desperati, absque ordine, armis percincti obstant, & unusquisque satagit alterius prævenire periculum, & hostiles naves provocare ad prælium: (licet non omnes periculo obsisterent) & cum incipit horribilis Naumachia, Laur. (miles nondũ expertus) jam puppi, jam prora magnæ navis intrepido animo & securo bellica instrumenta exercebat, jam hinc inde decurrens Gallorum hostium invadentium conatui, cum paucis qui perstiterant obsistens; cum, en, hostiles naves igne potius fraudulento, quam valore onustæ, à prora se immiscent navi nostrę prætoriæ, qua ferebatur juvenis, cum

A nautæ fere omnes, ac bellicis instrumentis dicati, & milites emeriti, se ad mare projiciunt; (ne sociorum fatis obruerentur, intimius fatali discrimine perculsi, navis alterius quæ brevissime hoc igne fraudulento, horribili spectaculo exarsit, ubi *Marchio de Cardeñoso* periit infœliciter, (licet Gloria cæteros anteiret;) pietatem in mari conquirentes, potius quam inter suæ sortis homines expectantes, & viri adhuc qui propriæ æstimationi altius prospicere fas esset; in tanta ergo virorum jactura & inopia, paucissimi, (qui vix navis gubernationi sufficerent) crebro alternatis

B officiis mittebantur: ex quibus sorte Laurentio contingit, (post varias bellici certaminis fortunas) ut bellicis tormentis infra tabulata præesset pro executione mandatorum: quo in officio animo intrepido assistens, ab adverso & hostili tormento, ignitus penetrat globulus, navis latera furiose rumpendo, quo partes abietis furiosa quatit violentia, & hinc inde demittit, cujus pars fataliter delecta, caput juvenis læthali ictu rumpit, in alta parte capitis ad lævam declinante, & totum fere caput dilacerat & dirumpit, profusa & fatali

C hæmorrhagia; sed diligenter postea, & perite curatur, à clinicæ artis peritissimo viro: quo (licet lente) consequitur curatio, ut ad 64 diem veniret ad salutem; cum jam Pater Anchises, classis Palinuro fatis vela dare jubebat: quo tempore puer, adhuc invalidus, iterum æquori insecuro & implacidis ventis totus arbitrii factus est fortunæ; nam fato profugus in Indiarum littora iterum navigavit: *Cum socii vela dabant læti & spumas salis ære ruebant.*

Catholicum esset semper ferre injurias, Chri-

D stiano & generoso viro dignum; sed id semper nobilitatis & honoris integritas non sinit, nec in Rep. virorum & ordinum divisio: id enim sæpe obstat, & honori tuendo & consequendo: ut plerosque coëgerit seipsos tueri ab injuria, illatam violentiam vindicare, ac vitam honoris pretio, singulari certamine exponere: qua cautione, quibus conditionibus, nos alio notavimus in honoris tutela: plerisque enim ad nihil aliud conducit injuriæ tolerantia, quam ad insolentis audaciam, cum ex illa ignobilem timiditatem ar-

E guit: si injuriæ tolerantia quietem ferret, supra vires prudentiæ foret dissimulare: sed injuriatum facit frustra vivere, ignobilem aut fatuum, ac si injuriæ qualitatem aut animi fortitudinem non assequatur; quare injuria palam quam nullum occuluit ingenium, nec sagacitas, est ipso vitæ jure vindicanda: est enim turpi vita mors generosa potior; cum honor politicam antecellat, & injuria sit sacrati honoris interitus: quoniam patitur injuriam, nec inter mortuos est, nec inter

F vivos; Divina Numinis Patientia archicreaturæ injuriam extremo supplicio punivit, quo in æternum vapulat; nos adhuc primi parentis supplicia experimur, vix crediti unius tantum verbi, *eritis sicut Dii:* antiquissimum est ergo, immeritam injuriam propulsare, si cum orbe incœpit; nec Christus Dominus patris & suæ æstimationi non prospexit, nec de bono & glorioso nomine est oblitus; nam parcere injuriæ, pro consilio dedit, ut gradus charitatis altissimæ, inimicos diligere mandavit; sed nobilis Theologia quousque ferendum nobis dixit.

Plerisque in supplicium cessit injuriæ oblivio: nam periculum qui vidit & contemnit, occubuit periculo: multi enim anteponunt præsentia dubiis & honestis, ut grande facinus plerique audiant; plures velint, & omnes patiantur: quare periculo in principiis obsta; melius est enim occurrere in tempore, quam post exitum vindicare; Valentini Theodosii & Arcadii Imperatorum refertur: *L. 1. C. quando liceat, unicuique sine judice vindicare*; concordat illud Justiniani, in *L. finali*, & in *quibus causis in integrum restitutio necessaria non est*; melius est enim intacta jura servare, quam post causam vulneratam remedium quærere: nec ita facile injuria exacta, honori & familiæ fit satis; nam in principio omnes periculo intenti, nullus obsistit, ac si nulli minaretur, & in communi miseria hic aut ille non timet, & in futurum auxilium à tempore, aut à fortuna speratur: interim casus novitas caligine suffundit intellectum, ut oculus novitate perculsus, non videat periculum, usque dum sit necessario pereundum in illo; tunc enim insipientes pigritiæ sese produnt errores, cum pœnitentiæ jam non datur regressus; nec aliqua solicitudo valet, ad perditum honorem recuperandum. hi soporati dormiunt, & solum expergiscuntur cum mori appetunt.

Qui quærit, occasione, loco, & tempore honorem restituere, excusationem meretur, nec debet infamiæ damnari: nemo enim ad impossibile tenetur; nec est de vilitate arguendus; sed illud alte perpendat, quod nil est festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto est opus: virtus enim fortitudinis est honestis consiliis rubor; sine hac omnia, quamvis egregia, invalida; stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala differuntur; consilium deliberatio excipiat; nam omnia quantumvis valido conatu, incepta initiis valida temporis spatio languescunt; prudentia docet occasionem; nam morosæ cunctationi dare nomen prudentiæ falsa opinione, melancholici consueverunt; pars potior honoris confuso naufragio, popularis sententiæ submergitur, nam confusionis voragine absumitur; præceps elabitur occasio, dum insana ignavia hominem occupavit; cum enim de occurrenti discurrit, jam præteriit: *Quoniam*, ut belle dixit Bion, *in idem flumen bis non descendimus*: nec debent momenta parvi pendi, cum ex illis fortuna æternitatis pendeat; qui ab origine fluvii viator cœpit iter, illum parvo in alveo, & torrenti, antequam altam miretur profunditatem, transcendat; fortassis enim postea transitus periculum obstabit, si non impossibilitas; sæpe convenit hostiliter pugnare, & non ad arma currere, nec speciosa rationum audire; honor enim filo rationum non sarcitur, est enim sicut vitrum honor, quod rumpitur, non finditur: hoc Romulo consilium cessit fœliciter; mora sine fructu Sabinis: sed neque sine lacrimis; potissimum remediorum est celeritas, ubi hostium potissimus est tempus.

Sunt plerique morbi adeo desperati, ut nec extremis auxiliis medeantur: quo in statu, in temeritate elucet spes unica; *Nam quos ratio non restituit, temeritas adjuvat*; dixit Celsus: ideo plerique viri, honore jam deperdito, temerario certaminis auxilio, exposuerunt, (postuma fide & fatali exemplo) vitam & honoris salutem.

A Singulare certamen provocare, nulla honestat ratio, si utili communi non conducit, aut sub honesta lege: communis tamen error ubi publicus factus est, impellit quadam veluti necessitate ab hominibus ficta: non enim existimat qui verbo violatus est, aut exprobrante opere; posse in pristinam dignitatem restitui, nisi prius contumeliæ illatorem provocet in armorum certamen, ut ibi aut illum confiteri compellat, in justitiam facti; sin minus, interficiat; neque honestum ducit, injuriam persequi in judicio: non est, inquit, viri fortis, cum eo jure contendere, quem manu &
B ferro possis opprimere: nullum est enim in legibus honestum virtuti præsidium, sed quoddam subsidium imbecillitati, necessario constitutum: ideo ne ætatem in armorum studio consumpsi, & tam multa facinora edidi militaris virtutis, ut post tantas res valore & laude gestas, sit mihi instar cujusdam viduæ, judicum auxilium implorandum? tum certe majus dedecus in me ipsum acuerem quam illud ipsum cujus macula mihi, vel cum vitæ periculo, diluenda est.

C Certum est enim vitæ non parcere debere, dum dignitati consulam, neque valeo in statu vindictę tantum ad præcepta Ecclesiæ attendere, quam ad id quod exploratum habeo; nihil nempe esse viro indignius, quam pati contumeliam, & ab ulciscendi studio, religione aliqua dimoveri; nam me omnes ut divini honoris oblitum æstimabunt vilem, abjectum & infamem; quid multum, nunc intendo egregium honorem adipisci ordinis militaris; & mihi denegabitur, nisi ultus injuriæ; quæ ergo lex, me poterit damnare, si me
D lex honoris & ordinis militaris absolvit: aut ergo se ad pedes meos abjiciat, erratique veniam supplex petat, ut ipse subeat infamiam; ego dignitatem meam recuperem; aut si hanc conditionem renuat, ad pugnam se accingat; vitari enim summa contentio non potest, in qua si se prius non dederit, in gladio peribit, & ego veritatem ostendam; aut fortiter & honeste occumbam.

Si forte non compareat, illum provocat literis & libellis per omnia compita muris & plateis affixis, & multorum testimoniis consignatis: pro-
E vocatus autem, tyrannicis populi legibus coactus, oblati certaminis conditiones recusare non valet. Hæc est horrida facies tam barbari certaminis: hæ speciosæ magis, quam veræ rationes, fortissimos, ne dum prudentes viros commoverunt, ut communem errorem sequerentur.

De hoc etiam extant pleraque nobilis vetustatis monimenta: lege quomodo Pallas, apud Homerum, Telemachum incendat; & Orestis incitet exemplo, qui singulari certamine patris necem vindicavit:

F *Nec jam res tantas puerili mente retractes,*
Nonne vides quantum nomen sit adeptus Orestes,
Cum patrem ulciscens, vita spoliaverit illum,
Qui scelere infando patrem demiserat Orco,
Te decus eximium præstanti in corpore tandem
Excitet, ut magno laudum capiaris amore.

Quid mirum, aliam contentionem susceptam honoris ratione, in vetustate legimus, in medio armorum discrimine: Tlepolemus Lysium Sarpedona convitiis insectatur, quod falso Jovem sibi patrem asciret; quam vanitatis maculam Sarpedon ille, non tam dictis quam factis delevit, egregio

egregio valore; à Tlepolemo enim viro fortissimo & Herculis filio, vitam singulari certamine eripuit, ut perditum honorem instauraret, ac in se infamiam deleret: nec ulla re, magis judicavit se posse egregii generis celebritatem tueri, quam illo virtutis & nobilis valoris documento.

Primus qui legitur singulare certamen permisisse, sub definita lege, quam dicimus *Duellum* inter duos; est Africanus Scipio, ut refert Titus Livius: Is cum feralia, patris & avunculi Scipionum, Hispaniȩ Carthagine obiret, quos tegit unicum aræ pavimentum Tharacona, unica urna capit, duos excepit juvenes in Hispania ex nobili & antiqua Celtiberia, apud nostros hodie *Cataluña*; unus erat Ursua, alter Corbis: ille urgebat illum super jus majoratus: quod cum alter ab altero ullo ingenio consequi non valeret, nec per judices arbitros: ad invicem ambo jus hæreditatis armorum judicio detulerunt; & judicem constituunt Scipionem, ut viritim singulari certamine jus finirent: in cujus conspectu, omni solemnitate uterque decertavit, lato & brevi gladio, & ancili rotundo, (arma Hispaniæ antiqua.) ac tandem Orsua concidit in barbaro certamine, licet hȩres legitimus; qua fortuna Corbis obtinuit in pace majoratum, (barbara & injusta lege.) legitimo enim hæredi nec profuerunt arma, nec justitia: & hinc in posterum invaluit singulare certamen; sed illis tantum in rebus, ubi honor jacturæ periculo laborat: & non potest aliter honestius, nec justius componi, aut restitui; id tamen nullis præscriptis legibus: usque dum postea in tempore Gothorum, Longobardi, sub legibus tam barbaro certamini viros suos immolare cœperunt, (nefanda piaculi consuetudo) & ab iis orta crudelitate moris nefandi, Italis colonis suis & aliis provinciis tradiderunt; externamque & barbaram devotionem in Deos territi, nec minus terribiles, & nostri, & plerique Gallorum usurparunt; quia miseri aut anxii mortales, terribilia & incognita remedia, arcanam vim habere existimabant, fœdæ sævitiæ auxilium implorantes, & sævioris numinis, quod tam turpiter placari amat, cum deceptæ mortalitatis infamia: inde prava exempla, (hæc enim ab hominibus avidius sectantur) in orbem dimanarunt; quæ ut breviter cognosci possint, ab illustribus selecta auctoribus, deligere constitui, ex domestica peregrinaque historia: hæc enim belli consuetudo ab iis temporibus Italia celebratur, & viget apud nostros & Gallos: illa omnia quæ ad *Duellum* pertinent, & leges & exempla, si tibi placet legere, vide *nostram exhortationem ad honorem pro filiis in America degentibus.*

Decade 3.

Optimæ resolutiones, magna expedientia, raro ad necessitatem repente decernuntur: nec res magnæ ex prima vice fiunt: sua cuique pericula circundant: si tibi non datur eligere quod optimum pari securitate, sit consilium tibi, minus malum eligere, sive boni dimidium, si bonum divisionem patitur: hostem debellare sæpe convenit, (saltem cum propria defensio id permittit) nunquam sine periculo potest: ac ideo sagacitas tempus eligit, occasionem & media, & non præceps vindictæ desiderium; nisi repente securior sese ferat occasio; solebat dicere Fabianus; rebus in seriis non esse subtilitate pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem, sugillationem esse evellendam, non vellicandam; quare, imminens periculum, antequam adveniat, præoccupa: est enim pars victoriæ, primus qui præoccupat valor.

Omnes accurrunt, ubi majus se ostentat periculum: interdum id præ timore accidit, in quo ad cor refugiunt spiritus & sanguis, qui concitant, non ducunt; sed repentino, & non præmeditato auxilio sæpe offendunt, aut mortem aut periculum: ac ideo antiquos ignavæ cunctationis errores recentibus & majoribus impatientiæ, compensare non laudo: nec ob honoris zelum imprudenter cœco impetu ruere: currunt enim sæpe homines ad vindictam præcedentis injuriæ, ac in novas miserias se præcipitant: nam cum non valeant iræ suæ inimicum destinare, irruunt imprudenter in alios, quos pœnituit aggredi: tunc enim vehementissimæ passionis insolentia totum hominem rapit: est enim intolerabilis vindictæ desiderium: quoniam tres miræ profunditatis affectus in animo producit; primo enim ex animo abolet amicitiam; secundo, honoris concitat stimulum; tandem cor solicitat lucrum: non foret grande malum necessitate compelli ad vindictam; hanc plurimi necessitatem optant, & illam honor ex tempore solicitat; & ex parvo principio occasionem fingit: vindictam, gloriam dixere, furiosi gloriosum victorem; sed isti ad solam vanitatem attendunt: hanc illi artem homines docuerunt, quos gloriæ vanitas, & non virtus solicitat; qui cum honestæ rationis talenta non assequantur, appetunt inter sæviores bestias numerari; non enim ob honoris æstimationem operantur, cum illius cognitione careant, sed ob quoddam splendoris simulacrum, aut ob innatum genium: vulgus plausu hoc genus gentis creat, at plausibilem gloriam excipiunt, prava Reip. exempla: nam quos vana extollit elatio, validius ad fœda facinora præcipitat. Sed vana æstimatione elati, nunquam à civitatibus deficient, donec falsæ gloriæ præpediatur iter, adversus veram pateat: quod tunc videbunt principes, cum valori præmia largiantur, & honorem extollant: sed illud gentis genus in Rep. semper erit vetitum, semper admissum: non multos detineret obstinatio, si indulgentia generosi valoris, in vulgari sententia, honoris æstimationem non minueret, cum minuit delicta: quæ divino Tribunali graviora redduntur; sed cum ignoscimus Humano Tribunali, in divino dolentur, si hæc dolet justitia.

Impatientiæ errores deteriores judico quam cunctationis; tutius est enim malorum principia excusare, quam obsistere: neque minus consultum, astu res externas moliri, arma procul habere: nam inconsulti impetus, capta nihilominus mala sunt æstimanda, licet fœlicem exitum sortiantur. Quoniam impetus semper amant extrema; nec habitat prudentia, ubi discursus deficit: frigoris & non caloris filia est prudentia: non præoccupentur animo concitato occasiones semper, sed pacato spectentur: qui enim in furore oppugnat bellum, à jactura incipit, affectui satisfacit, non obligationi: nam prius à propria fragilitate expugnatur, quam ab aliena fortitudine: quare impetum generosa tolerantia in occasionem

nem cohibere, generosi animi est; ideo est potius verenda, quam despicienda valoris tolerantia: superior est cæteris hominibus ferendo generosus; quoniam generosi animi ferunt præsentes injurias; aut sola vindictæ spectatione, videntur non sensisse: furorem in ultionem condunt, non ut furor exhalet, sed ut repressus rumpat, ceu pulvis tormentarius: tunc enim simulatio non meretur opprobium, si in oblivionem non mutatur, sed ad tempus differtur: nec illa pejor erit, quam dum erit oblivio, nec melior, quam cum talis appareat.

Iram natura indidit ut nos ad meliora excitaret, & se ab injuriis tueretur, periculis obsisteret; id nos *Ibidæ* docent; parvi serpentes, (ut retulit Solinus,) sed præsentis veneni, ad Arabiæ fines, certo tempore anni, ex limo concretarum paludum enascuntur, & magno in agmine volitantes littus petunt Ægypti: hos tamen adverso agmine *Ibidæ* Ægyptiæ excipiunt, & rostris ad prælium provocare non dubitant, ne illarum veneno polluantur, ac tandem illas importuno certamine & validis congressibus conficiunt: nam vim vi repellere licet: est enim hominibus & brutis naturalis tutela: quare cum nos adoritur vitæ, aut honoris injuria, non semper ferre licet: honorem semper augere decet, & claritatem nominis: non enim datur augmentum, ubi non datur motus; nec in pace aluntur civitates, neque crescunt, sed veterum ruina, recentes plantæ ex radicibus & umbra vicinarum detinentur, ne efferantur sursum: sæpe facilius est, universos impelli, quam singulos vitare: res non ad nutum cessere meliori usis fide, quam fortuna.

Vindictæ desiderium superat cæcum amoris ignem: comitatur audaciam, complanat præcipitia, valles & montes difficilis & ardui certaminis, & superat & æquat: non timet furiosus, quia vindictæ objectum aspicit, tantum qua potest lædere: non media considerat, semper finem intendit: cœco impetu ruit, quia præcipitem non agnoscit ruinam: auxilio in cor ruunt spiritus, & suadent se supra vires posse, & cum confuse ruant, minus solito valent; de solo furore cogitat qui exarsit injuria, sola aqua vindictæ saciatur; remedium in præcipitio quærit: sanguine, ignis ardorem extinguere conatur, naturali fortasse sympathia; ac sola in spe vindictæ delectabilis quiescit, si non frigore timoris contabescit: non est ferendo fortis, qui ab hoc desiderio superatur: quoniam sub undis inconsiderationis, fluxu & refluxu perenni, agitatur: nam temeritas se ipsam acrioribus stimulis, & sine fine provocat, & animum tristioribus lacessit & explorat: hæc prava generatio inundationem super terram induxit, & in individuis invenitur semper luciferinis: nam iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscuntur.

Nullam nominis celebritatem vindices meruere: adhuc celebrat plausu nostra ætas viros illos illustres, quos nobilis & antiqua vetustas, ex generosa Tolerantia extollit; & commendat posterorum exemplo. Mirabili animi fortitudine, Otho, imperator libellos epistolasque studio erga se aut Vitellium, contumeliis insignes abolet; ut fecit excelsa, & exemplari patientia Antigonus, & primus ille Cæsar, quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad ulciscendum potestas: cum Antigonus male dicentes audiret, longius, inquit, discedite, ne vos Rex audiat. Idem etiam cum quadam tempestuosa nocte, male deprecantes audiret, in lutoso cœno, pluvia & caligine oppressos sublevare accessit: nunc, inquit, male dicite Antigono, cujus occasione in has miserias incidistis: ei autem bene optatê, qui vos à tanta voragine eduxit: illa autem fuit vera & incomparabilis animi sublimitas, ubi captis apud Pharsaliam Pompeji magni scriniis epistolarum, iterumque apud Tapsum Scipionis, concremasse ea optima fide, atque non legisse. Haud dissimile Lepidum temporibus illis gravem & sapientem virum, fecisse comperio; nam pleraque ab sævis adulatoribus aliorum in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit: habet enim hoc optimum in se generosus animus: quod concitatur ad honesta; neminem excelsi genii virum humilia delectant, neque sordida: magnorum virorum species ad se vocat, & extollit, sicut flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest; ut nec contra pondus palma. Rogatus Aristippus, quid sibi ex philosophia comparasset, omnibus, inquit, fidenter loqui. Fateor quod ferre sine amaritudine est ultimæ perfectionis gradus: sed illa generosis in ipsa patientia dulcescit.

Pro Deo, pro fide, pro Rege, pro patria, pro honore, & amico est tolerandus labor: & ne palam fiat quod secreto mandavit, si in hoc periclitatur vita aut amici æstimatio: hic enim est actus tolerantiæ, non amoris, virtutis generosæ, & non benevolentiæ: nam qui judicat, amicum plus se ipso diligere, in se ipso decipitur, licet vitam & honorem pro amico exponat: hoc enim non est amicum anteponere; sed quod sola virtutis bona ut talia considerat: & ista melius consequuntur, quando fortunæ bona pro amico perduntur: quare semper tolerantiæ virtus in hoc amoris actu antecellit; (ni id prævertat noster insitus amor;) si lucri imperfectionem non admittit: nam hic tantum ab imperfecto distat, quantum à bonitate lucrum. Hæc eadem illusio comparavit, (proprii nempe amoris,) ut super mortuos flere, sit injustius cum videtur clementius, & tunc magis, quando minus debetur; nos debet lætari mors justorum, & contristat, & malorum lætatur, quæ nos debet magis contristari; (sic enim omnia noster amor confundit,) actus est invidiæ, non amoris, amici mortem flere; cujus merita in salvatoris sanguine gloriam meruere: vera tamen illa pietas erit, pias lacrimas fundere super impios, si æterna tormenta delictis æquavere; universus orbis laqueis implicatur; & si vitam non decet desiderare justis, ne forte ruant in pejus: hanc pium erit optare impiis, ut evadant tempore meliores; si propter lucrum flemus, majus est in Deum, quam homines flagitium; omnis illusio, à sensibus corporeis emanat: in terra omnia lucri cupiditas confundit; est omnis fœlicitas caduca; adhuc supra se animus elevatus, animam non ut decet considerat, quia non ut decet cognoscit: & voluntas falsa illusione non appetit, quod optimum & pulcrum sed apparens; intellectus consuetudine patiendi à falso,

so, non patitur à vero: nam tempus rerum perennitate, quando illius pulcritudinem minuere non valet, saltem admirationem tollit; quia habitum fingit, & hic actus facilitat, ut intellectus, sine resistentia operetur: quia sine reflexione, amor, aut rerum æstimatio minuitur, aut deficit: ob hoc fortasse pulcriores fœminæ fiunt minus fœlices; vel forte quod satis illis fœlicitatis ipsa natura dedit in pulcritudine, ut res humanæ ad pondus partirentur.

Multum patitur privus amicus Regis in pondere curarum, sed illa tolerantia, ut plurimum non est actus virtutis; nam plus valet majestatis illecebra, ambitio, sive lucri cupiditas, ad iniliciendum animum gubernantis, quam ipsa nuda virtus, quæ actum benevolentiæ præsupponit, altius radicatæ, aut insiti amoris qui non consequitur nisi temporis ante acti longa consuetudine, in animo multis aliis virtutibus adornato; præterquam quod semel acceptus labor non semper ob clarum virtutis splendorem suscipitur; frequenter ob æstimationem vanitatis, ne (si ab incepto desisteret) de vilitate animus arguatur: si vero privus vita sua principem sperat superare, in futurum aspiciens, se præcipitat, & benevolentiam non meretur ista consideratio; nam intendit solo proprio utili: hos tamen solus principis amor destruit, nec cadunt super amicorum brachia, sed super lanceæ mucrones, & linguas trisulcas popularis nequitiæ, incautæ insolentiæ: non minus enim affectus corrupti animi ruinam parant, quam corporis: non sunt motus naturæ, sed interitus, nec prius corrumpantur; nulli mortem licet eligere: esset fœlicitas, si uterque deficeret in puncto, & princeps & amicus; durum certamen est mori, sed durius principis mortem experiri; nam cuncta mortalium incerta: & multa fœlici consensu audiuntur, quibus omnia principis & amici honesta aut inhonesta laudare mos est; sed plures ista postea excipiunt, pro ut consulit labentis infœlicitas non pro fortuna vitæ antecedentis: nam cadente illa fœlicitate, qua nitebatur plausus (fallax humani favoris simulacrum,) ruunt fortunæ opes, honores & divitiæ: hominum æstimatio & acclamationes vertuntur in opprobria: qui antea plaudebant, hodie terga vertunt, & ignorant; amicitiæ & sacri hospitii leges violantur: nam quos fœlicitas & favor amicos comparavit, tot facit inimicos exosæ ruinæ infœlicitas.

Heroum cum plausu decet adjuvare facinora, (utpote viri in ferendo illustres) ne illa alta aboleat oblivio: nam mirabilia adorat reverentia, & opera plausu & collaudatione illustriora fiunt; virtus etiam apparentia commendatur: & hæc non frustra, si ad exempla fiunt: parva nobilitare, puerilia, & obscura, risum provocat: media quæ valor de potentia æstimationis educit, conducunt ad exemplum: & maxima ad gloriam: nil æque virum reddet plausibilem, quam nobilis & generosa tolerantia: nihil æque domitorem fortunæ, quam conatus undique imperterritus: nulla enim major invidia fortunæ fit, quam æquo animo; nam qui ante conflictum belli congressum timet, à propria persuasione victus cadit, & victoria quæcunque vox hostilis reputatur: & inter suos quicunque motus fuga; animum infringit aut intendit persuasio: qui de propria æstimatione pugnat, ante congressum superat: sed cadit ante illum, spe anceps: illa tamen est omnis politicæ & omnis œconomiæ exceptio: hic præcepta deficiunt, nulla valent exempla; nempe ubi fortuna deficit: aut ubi hominem extra communes regulas ducit lucrum: in hoc enim statu neque valet conatus, nec generosus animus; nam ille sibi in ipso valore mortem parat: hoc autem solo timore cruciat, aut ad incerta ducit, & impellit, neque sinit attendere quæ in occulto latent: sit exemplum Amulius Latinæ ditionis heres, qui ab oraculo augurium accepit, se à nepote orbatum iri imperio, & jurisdictione: ideo ille Numitorem fratrem interfecit, ac filiam inter Vestales condit, ne ex illis successio haberetur: sed fatum adhuc inter Vestales superat lucri cupiditatem, Amulii Tyrannidem; quoniam ad manus nefariæ prudentiæ cessit lucrum, vel ad Martis libidinem: oritur enim Romulus ab incesto, ex Marte cum Amulii filia Vestali: (fœdere & jure divino violatis) ut Numitorem & matrem vindicaret; nam Amulium avum de imperio & potestate orbat.

Inter columnas ferendi & imperandi longe difficilis versatur gubernatio, veluti in cardinibus politicæ, parum secura, minus fida, semper ingrata, & ubi quævis infœlix actio multis nobilissimis præponderat: ut sit semper sibi gloria, sibi semper supplicium; si est nimis acris imperandi licentia, irritata patientia exbalistat; si ignava, licentiosa, Remp. vitiorum congerie corrumpit; semper vulgum ad deteriora videbis declinantem; nam quem hodie dilexit, die sequenti odit; erit fortasse in principe securitas; hanc prius inconstans mare dabit; princeps enim voluptatis regula actiones metitur: nonne plerique principes amicos elevant ut præcipitent? ne forte successori contingat, ad nihilum redigere quæ ipse generosa manu creavit, vel adjecit: & sic zelo præcipitat, quod vana ostentatione & regia majestate majestuosum dedit: & quod calore fovit, per hiemis rigorem zeli sui abscindit.

Reip. barbara dissonantia confusæ, divina harmonia & perfecta symmetria, intellectus politice instructi, & placido genio moderati medebitur; nam sicut pulcritudo, (harmonia perfectissima) ex proportione & symmetria membrorum oculos allicit, quia bella, voluntatem, quia bona, intellectum, quia vera; sic intellectus harmonia, (perfecta animi pulcritudo,) obedientiam insita pulcritudine conciliat, societatem fovet, & barbaram ferociam demolitur: sic fertur, Amphionem & Herculem harmoniæ suavitate lapides dimovisse, & in unum locum conduxisse, hoc est homines barbaros & incultos, in communem societatem reduxisse, sola intellectus harmoniæ dulcedine; sic Herculis imaginem à Vincentio Cartario videmus exaratam, quam refert Lucianus, ubi senex videbatur decrepitus, calvus, paucis capillis, coloratus, fuscus, & rugosus, leonis pelle indutus, cum rhopalo id est, clava, dextera, sinistra arcum tenens, pharetra ex humeris pendente: catenulis vero ex auro & electro, admodum tenuibus linguæ suæ extremitate perforata, insertis, maximam hominum multitudinem non invitam, sed sponte se- *fol. 228.*

quentem auribus alligatis trahens: quo eloquentiæ vires adumbrari est perspicuum, quam Galli Herculi tribuebant; qua magis quam corporis viribus eum pollere credebant. Homerus orbes cœlestes cum luna, sole & stellis appellat pulcritudinem; & est certe pars harmoniæ divinæ, quam æternæ circulationis sphærarum aspectus, cum stellis inducunt, ob æternam obedientiam & imperium; nam animos (nobis ignota causa) si non compellunt, alliciunt & inclinant; raro divina providentia, perfectiori corpori pulcriorem animam destinavit, ne forte animi pulcritudo naturalis harmonia crederetur, aut cœlestis influxus, aut corporis perfectio; nisi dicamus, quod est fere semper infœlix pulcritudo, deformitas fœlicior; quod sat sit fœlicitatis in harmonia: in ipsa pulcritudine, & quod fœlicitate suppleatur deformitas; ut res humanæ ad pondus partirentur: partite enim juvat fortuna & natura, quæ interdum majoribus deservit; ita quantum valida Augusto fortuna in Remp. ita domi improspera, ob filiæ & neptis impudicitiam, quas urbe depulit, adulterosque earum morte punivit. Nam contrariis studiis, rebus humanis, natura & fortuna incumbunt, & quadam veluti Zelotypia, imperii & æstimationis, (dum utraque sibi jus arbitrii vindicare conatur;) efferantur; nam quos natura ditat, & donis præclaræ excellentiæ exornat, hos fortuna persequitur, inopia infœlici in angulo sedere cogit, obscurat, ac dolere de hominum memoria intendit; si hos fortuna beat, & suis lactat donis, aut solatur, grata fœlicitate, illos natura destituit, rerum æstimatione & judicio; & facit aut inopes ingenii, aut omnis humanæ pulcritudinis egenos: illos enim natura contumacia efficit insolentes, aut vili timore, seu execrabili avaritia miserabiles, aut claudos, aut deformes; hujus rei causam viri Athenienses enixe quæsierunt, quam ab Apollinis oraculo mirabili acceperunt emblemate, quem tu leges (si tibi cura est) *nostro Anti-theseo*, non longe à principio.

Tacit. 3. Annal. 5.

Musica Dæmonem pelleret, si corporeus; harmoniam enim non feret illius dissonantia; hanc induxit peccatum, & turbavit harmonicam symmetriam, & inter utramque proportionem induxit dissonantiam, portas malis aperuit, ac mortem tandem intulit, inter dissonantias ultima; salus in temperamenti harmonia consistit, & in illius destructione morbus: in ætatibus per septena climacteras temperamenti induxit dissonantia: à medicamentis etiam non sanamur, si major dissonantia quam proportio: omnibus malis musica mederetur, si eorum proportiones ad unguem consequi valeremus: & si illis daretur consonantia, quæ è diametro pugnaret dissonantiæ; si musica acroamatica commovet atram bilem, & ad furorem ducit, quare contraria furorem non frænabit; Thracium Cytharœdum, ad inferos descendisse fertur, ut sub umbris harmonia Eurydicis animam secum duceret: suavitate cytharæ animas delinivit, Tartari potestates harmonia suspendit: quo illi tantæ miseriæ condolentes consortem pia dissimulatione tradi jubent: admirationem celebriorem fecit postulatio, rei novitas plusquam harmonia: uxorem nempe maritum ab inferis repetere; non potuit enim uxoris desiderium in turpiorem locum Cytharœdum perducere: tortores & contorti novitati perculsi, immoti constiterunt; & Ixionis rota ad postulationem constitit obstupescens: & solus Cytharœdo sua & omnium tormenta patiebatur; at in communi ecstasi, uxorem delusus apprehendit: an sana mente constans umbram amplecteretur, non vidit, sed umbræ simulacrum disparuit; nam infœlix Thracius protinus uxorem amissam deploravit, ut uterque perditus videretur.

Si malorum peculiaris natura, suammet consonantiam persentiret, sic pariter concitaretur, ut nervi à temperata ad perfectum unisonum: hanc nos docuit veritatem, natura in morsis à tarantula, venenoso araneo, cujus venenum non antea infringitur, quam à propria consonantia excitetur ad sonum cytharæ saliendo; quæ peculiari consonantia illud valet depellere: nam morsi sono audito, tripudio concitantur, quo illud excitatur, & pellitur venenum: non solus iste morbus, sed omnes alii mederentur, si omnium consonantias ad unguem noverimus; profecto si quis tanta musarum arte diligentiaque concentus offerret auditui, quanta naturæ artisve circa vel sapores gustui, vel mollia tactui offerrentur, proculdubio noverimus Apollinem multo magis animum rapere melodia, quam vel Bacchus vino gustum, vel Venus proritu tactum soleat occupare; sed peccatum naturam non ad miseriæ tantum, sed ad ultimum ignorantiæ reduxit, quæ faxit ut Medicum consulat, qui musico necessitat; sic etiam in politicis, si perfectam noverimus symmetriam, morum dissonantiæ oppositam, perfecte moribus mederemur corruptis: sed ut plurimum deficit rerum intelligentia, excessu vel defectu, nempe passionum excessu, intellectus defectu, seu seducente lucro; ut Socrates, nec Plato, illud excelsa intellectus harmonia consequi non valerent.

Laborum patientia plerique in periculis validi, valore proprio arma aliena, ut strutii, in propriam substantiam converterunt: sic Gustavus Adolphus, Sueciæ Rex, sibi exercituum devotionem alliciebat; hæc tamen non est fida politica; nam Patroclum exitio Achillis destinavere arma, & fortasse Gustavum aliena.

Anno 1631. usq; ad 40.

Virtute adornat fortuna parvulum, ut superet Gigantis fortitudinem: forte quod in minori cordis spatio magis unita virtus; nam breve corpus cito penetrat ignis, quantumvis moderatus, cum fere à majori sparsum non tepescat; hæc vulgo à philosophis accepta referuntur: nobis ista non placent, quoniam animi fortitudo formaliter in corde non consistit, sed in cerebro; illam enim alit imaginatio, in qua insidet timor & audacia: nam ira temeritatem alit, non fortitudinem, dum est fervor sanguinis circa cor; nec est idem, temeritas ac fortitudo; illam enim producit cordis impetus, sub ardore flagrantis, dum rectrices potentias præcipitat, ista vero versatur circa metus mediocritatem, & fiduciæ, ut dixit Aristoteles: utraque vero consistit in imaginatione, non in corde; illa dum depravatur, hæc dum à moderato non excedit; metum enim mali expectationem vetustas definivit, malū expectat animalis potentia, cerebri, non cordis gentilitia; prænuntia furioso temeritatis est longa tristitia, longus

2 & 3 Ethicorum utrobique cap. 6.

longus timor furoris, ut dixit ille maximus Medicorum, quia cerebrum ad calorem disponit, calidis fuliginibus, punctionibus lacerat; quo ejus potentiæ depravantur; calore cerebro, non corde lacessito: illud est argumentum quod cerebri rectrices potentiæ depravantur; nam si solus cordis calor sufficeret; febrientes semper forent audaces, irati valentissimi.

Nihilominus ad fortitudinem duo prærequiruntur, antecedens cognitio, & imperium animalis potentiæ, quæ in cerebro residet, & concitatæ irascibilis impetus generoso ardore, quo ferantur periculi labores; qui affectus in corde moratur; quid enim aliud reddit homines ad ferendum idoneos; forte parvulum cor? quod magis incalescat; non ædepol, sed certa intellectus suasio, periculi despectus, & mali expectatio, quo suadetur, se aliter non posse devitare periculum; quam obviam morti & periculo ire: quare timidis conducerent exhortationes, in valoris eclipsi? cor fortasse validis rationibus incalescit; an persuadent mentem rationes? quis dubitat, quod ignarus periculi, est audacior? ideo sapientes, non sunt validiores; hæc tamen per gradus metitur fortitudo; nam quæ ad audaciam declinat, est furoris species, quam cerebri, non cordis calor concitat, cum rationis adimit libertatem, in discriminis aut in mortis periculo; nam qui discurrit in prælio, omnem perdit audaciam, si omnia pensat quæ evenire possunt: quidquid dicant Philosophi, quod animosus est qui periculla novit, ut illis obviaret; in justi aut honesti tutelam: hoc enim intelligitur, cum ante conflictum à longe intuentur pericula; invalida fortasse inter illa; ut de gladiatoribus nobis dixit vetustas: quia multo antea agnoverunt pericula: cerebrum ergo & cor simul sunt audaciæ fortitudinisque & causa & principium: forte quod vegetantis & animalis actionis origines.

Si vero ad rationis extremum fortitudo declinat, tum ratio imperat generoso ardori, tum coercet quæ metam rationis excedunt: sed quia raro simul assistunt, rerum intelligentia & generosus ardor, raro virum fortem & sapientem una ætas acclamat, licet pleræque ætates illustrium virorum sint feraces; quod tunc maxime accidit, cum hos creat aut cœlestis influxus, aut principis exemplum: vidimus enim sub Carolo Quinto, Imperatore maximo, viros militari disciplina illustres, valore, & sapientia floruisse: sub Secundo Philippo, sapientia clara, Politicæ & civilis sapientiæ præmia emeritos: hac exacta ætate, sub Tertio Philippo, Olympiacis Ludis, in otio fœlici, haud inglorie plerique enituere viri: sed sub Quarto Philippo, lucralis arbitrii gloriam adoraverunt homines; nullo enim illustri certamine floruit nostra ætas, usque ad annum 1643. quod invalida & oppressa Resp. sub unius arbitrio, postea vero principis exemplum, viros nostros, (licet non omnes, quod essent otio inerti enervati) ut alios exteræ nationis, ad nominis celebritatem & gloriam excitavit, sub duro Palladis & Martis exercitio.

Non circa omnia difficilia ardor generosus versatur; sunt enim pleraque mala, quæ vir fortis metuere oportet; & est certe honestum, formidare; non metuere, turpe est, ut dixit Aristo-

A teles, infamiam: nam qui timet, probus & verecundus est; qui non timet, impudens: ideo à viro forti majori animo adversa tolerantur, quam relinquuntur; neque si quis pro filiorum atque uxoris pudicitia timet, aut invidiam metuit, aut aliquid tale, timidus est: neque etiam fortis, si cum est verberibus cædendus, confidit: circa quæ igitur vir erit fortis? nemo etenim tolerantior est malorum viro forti: erit fortasse circa mortem? est enim illa omnium maxime terribilis: non circa omnem mortem est vir fortis: non enim circa illam quæ in mari contingit, aut in

B morbis; sed circa eam quæ pulcherrima est, qualis in bello accidit: in maximo namque fit, & pulcherrimo profecto periculo, quo etiam pulcherrimi consequuntur honores à civitatibus, & à Regibus constituti. Is igitur homo proprie *fortis* erit, qui circa honestam mortem, & ea omnia quæ repente eveniunt, atque afferunt ipsam, interritus est: talia vero sunt quæ in bello contingunt, & circa honores & inhonorationes versantur: quin etiam in mari & in ipsis morbis vir

C fortis timore vacat: ii etiam fortiter ac viriliter agunt, in quibus vires aut valor habet locum, aut honestum est mori.

Dicet fortasse aliquis, non est idem universis terribile, quin imo pleraque superant hominis facultatem: nos hominem dicimus juste ferre, quod est homini sanæ mentis terribile: quare fortis impavidus debet esse ut homo: & is timebit quidem quæ formidari debent, verum ut oportet & ut ratio dictat, si honestatis causa tolerat, quod est virtutis finis: qui ergo sub hac regula & metuit & tolerat, is etiam confidit & for-

D tis est; fortis enim pro dignitate patitur & agit, ad ipsam fortitudinem pertinentia; nam qui non metuit formidanda, aut insanus, aut stupidus est; veluti terræ motus, tempestates, & principũ potentiam: sed is qui circa res formidolosas exuperat, audax est, cum arrogantia, & simulatione fortitudinis: at isti præcipites sunt ante ipsa pericula, sed in ipsis quidem operibus fervidi sunt, antea vero quieti; nam fortitudo mediocritas est circa ea quibus confidimus, & ea quæ vere terribilia sunt;

E quia illa honestum est, aut turpe non subire, atque perferre; mortem autem sibi conscire, ob fugiendam paupertatem, injuriam, amorem, aut aliquid molestum, neque fortis, nec sanæ mentis est: sed fragilis & timidi: est enim fragilitatis & invalidæ mentis, laboriosa fugere: non enim ob honestum mortem appetit, sed quia malum fugit, quod omnem exuit fortitudinem.

Non est æqualis fortitudinis gloria, neque dignitas; non enim circa rem unam versatur fortitudo; nam alia est fortitudo civilis, alia militaris:

F quædam ob iracundiam; alia ob spem; postrema ob ignorantiam periculi: prima & secunda fortitudinis gloriam promerentur; sunt enim illarum fundamenta in virtute; cæteræ vero, animæ & corporis passionibus agitantur.

In illa civili fortitudine, cives ob increpationes quas ex legibus metuunt; si inde opprobria verentur, honoris pericula subire non recusant, ac ideo fortissimi, apud quos timidi, infames reputantur: Diomedem & Hectorem Homerus introducit, ex hac fortitudine gloriam perquirentes.

Nam me Polydamas ante omnes ipse rependet,

Et Dio-

Et Diomedes,

Inter enim dicet Trojanos optimus Hector;

Tiıydes metuens, puppes confugit ad altas.

Hanc enim fortitudinem pudor firmat, & rei honestæ gloria, nempe appetitus honoris; reprehensionis, qui consequitur fuga: ad hoc alii legum timore compelluntur; sed ob metum id faciunt, qui licet non fugiant rem turpem, abhorrent rem molestam; ideo non sunt tam magna laude digni.

Est etiam fortitudo rerum singularum peritia; ideo forte Socrates scientiam fortitudinem esse existimavit, qui hac nobili fortitudine excelluit, adhuc morti damnatus; ut Plato etiam in sua disciplina existimat: hanc docuit Æneus Seneca fortitudinem: hanc Cato Censorinus practicavit, adhuc everso Reip. statu, inter ruinas publicas rectus: ad hoc maxime valet experientia, qua se ipsos tuentur, & improvisis conatibus obsistunt; at hoc magis creat solertia, quam fortitudo, non sunt enim pugnacissimi, qui magis fortes, sed qui calliditate & valore solertissimi.

Alia etiam ob iram fortitudo: irati enim veluti feræ ruunt, & in præceps feruntur in illos, qui eos injuria afficiunt; quia fortes iracundia concitantur; iram enim ad pericula ipsa natura indidit, ideo in periculis sanguis retrocedit ad cor; ut sentit Aristoteles: ideo forte dixit Homerus; *Cor vires injecit iræ & ira animum concitavit, vis per nares expirat, ut cor ab angore liberetur.* Hæc sunt impetus soboles & generosi ardoris consectaria; hæc fortes ob honestatem agunt, & est ira ipsius fortitudinis instrumentum; feræ tamen ob dolorem feruntur, seu quod timeant, seu quod vulnus acceperint: sed illa est maxime naturalis fortitudo, quæ ob iram suscipitur, licet sit ob dolorem; nam homines etiam cum irascuntur, dolent: si vero ulciscuntur, capiunt voluptatem: hi *pugnaces* dicuntur, sed non *fortes*; non enim ob honestatem agunt, nec ut ratio præcipit, sed ob solam iræ concitationem, sunt tamen fortibus similes.

Ob spem plerique etiam fortes evaserunt; nam eo quod multos in palæstra vicerunt, fiduciam in periculis habent: nec ista est vera fortitudo, quod utrique confidant; nam ebrii id faciunt: at si illis res prospere non eant, facile terga vertunt, contra veram & honestam fortitudinem: cum honestum sit ferre, turpe & inhonestum periculo succumbere: quare fortis animi erit, interritum fortuitis, quam prævisis persistere, sine turbatione.

Est ultima ob ignorantiam fortitudo; & hi non longe absunt ab iis qui spe freti confidunt; sunt tamen illis deteriores; nam isti sine prævisione in pericula ruunt: & postea decepti, cum aliud esse noscant quam putabant, terga vertunt, primo impetu fortes, postea invalidi, periculo præterriti: hæc est apparentia fortitudinis, quæ circa fiducias metusque versatur; nam vere fortis non turbatur, nec nutat qui confidit.

Suos etiam dolores affert fortitudo; ideo non injuria laudatur; nam illos & docet superare & perferre: difficilius est enim dolores ferre, quam à voluptatibus abstinere: mors enim injuria, & vulnera forti viro molesta sunt: fert tamen quod honestum est ferre, & nominis dignitatem tuetur: & quo major est dignitas, eo dolet acerbius; aut quo bonum fœlicius: illa tamen est nobilis

A patientia, quæ honestatem ferendo anteponit: non tantum ergo est indita homini fortitudo, ad aggredienda gloriosa facinora, sed ad ferendum quod ratio præcipit, & honestas in bello & in pace civili; at superbam ignaviam tolerare, est plane difficilimum, sed insipientem, omnino impossibile: ad hoc enim nobilem ferendi artem nondum inveni; nam crudelius tormentum est insipientem ferre, quam cætera quæ crudelitas tyrannorum invexit: aboleant jam horribiles tormentorum congeries; fatuis torqueantur

B prudentes, biliosi phlegmaticis, præcipites inertibus: reor enim quod brevius & securius, hoc, quam alio ex tormentorum genere, fatebuntur delicta.

Valori & fortitudini sæpe fortuna deficit, ut plurimum prudentia: quod à contemptu accidere plerique crediderunt: fortis enim nihili facit hostem, ac veluti certo superaturus, vires omnes non colligit, dum invalidus omnibus collectis viribus præliatur, & vita in angustum adacta,

C æquat validi fortitudinem; nam quem natura destituit valore, sæpe fortuna fœlicitate juvat; semper enim contrariis studiis operantur: ideo valorem ut plurimum sequitur infœlicitas: nil ergo mirum, si superet invalidus, superbia minuente, fortitudinis gloriam, superaturæ aliter.

Nullibi tamen magis fortunæ & naturæ oppositio observatur, quam meritorum præmiis: præmia enim emeritis denegavit fortuna, quanto emeritum natura præclaris virtutis donis cumulavit, forte quod sat sit præmii, generosæ

D virtutis ipsa virtus; id non attendunt homines, sed exclamant impios, & ignavos, fortunam perenni fœlicitate lactare, ac vulgi opinione fœlicissimos reddere, cum sit illa fœlicitas defectus naturæ compensatio, & generosi infœlicis obscuritas & labor, continentiæ frænum, ne virtutis excellentia, fœlicitatis vitiis maculetur.

Ipsa rerum mutatione fortuna contra naturam utitur: momento enim fortuna vertitur, quia momento res ipsæ transmutantur: inest enim rebus cunctis quidam veluti orbis: iis pravis exem-

E plis hominis solertia edocta, est etiam fortunæ manus, quoniam illa fortuna utitur, cum hominem deprimere aut extollere nititur. Nulli enim fere ascenderunt fastigia, quos non oppositio, aut protectio alterius magni viri commendavit; nec infrequenter accidit, ut quem favor evexit in sublime, sola favoris abstractio confirmet in hac fælicitate, quantumvis jam favoris pœniteat, adjuvantem: seu quia in subsidium infœlicitatis natura compassionem dedit; seu quia jam tempus opprimendi transivit, cum humiliandi frustra

F quæruntur artificia; quoniam inter illa haud sane humiliantur, sed clarescunt; qui valore plauduntur, aut fortuna; ad violentiam enim manus non extendunt isti pseudopolitici delusi, usque dum omnis impleatur vafrities, & omnis violentia reddatur insecura.

Nec ideo laudo in populo plausibili blandiri: Catilinam enim Cæsar omnino deturbavit, antequam plausus aut contrarietas victoriam difficiliorem redderet, quia ubi victoria erat dubia, erat certa jactura. Exemplis politici utuntur, non ut rationes stabiliant, sed ut faciant: Napelus nisi attri-

attritus non interficit; hostilitas (si convenit) sit omnino ad debellandum, aut intra metas prudentiæ consistat: nam extollere in ruinæ auspicium, parum securitatis habet: difficulter comprimitur, qui multum antecellit; nam favor fœlicitatem sequitur; hoc est inter politica supremum; illud foret securum, si natura grandiori periculo, majorem gloriam non offerret; sani esset consilii, periculo exponere quem perdere desideras; sed quia circa profundiora præcipitia imminent altiora cacumina, parum securitatis habet generosos ad montis gloriæ fastigia promovere: exinde enim possunt pariter præmuniri ac præcipitari.

Occasio ingenuos & fortes fecit homines, & plerosque fœlices, si maxime æstimant stemma honoris generosum, ne sub honore fucato blanditia vilescant; voluptatis illecebris seducti; vir generosus honoris lumen laboris ferro, à silice patientiæ extrahit; semina inter gemmas & aurea vasa, æstimationem non fœcunditatem nanciscuntur; palmas producunt in terra macerata; quibus datur in honore proficere, quies est imperfectio; est enim soli Deo perfectissima quies, quod augmenti non capax; summum attingere celsitudinis nobis non datur gratiæ; nam dimidium actionum nostrarum, in manu aliena libratur, & alterum in nostra; quot celsitudini habiles bustum operuit, ante animi generosi ostentationem: bonorum virorum ruina ex numero malorum oritur, non quod mali semper, sed quod imprudens zelus sub hypocrisi falsa hos præcipitet; nam falsum à vero palliato difficulter distinguitur.

Cæteris hominibus vehementius principes suis passionibus agitantur, quantum potestate & imperio excellunt; nam imperium subditos adulatione, libidine, & obsequiosa majestate metiuntur; ideo ægre ferunt, si homines, & feræ servitutis ignaræ, & adhuc elementa, imperiosæ majestati non cedant; est hydropis species imperium, cujus indigentia, nec omnis aquarum servitutis illuvie satiatur; & subditus è contra, nec totam libertatem, nec totam servitutem ferre potest; sed hoc medio utitur, non ut serviat, sed ut secure vivat, semper memor pristinæ & gratæ libertatis. Quomodo enim pessimis imperatoribus, dixit Tacitus, sine fine dominationem, sic etiam cuivis egregio modum libertatis placere: non tantum hominum corpori & divitiis mali principes dominari affectant, sed omnis servitutis impatienti animo, jure naturali violato. servitus enim non in totum hominem descendit: corpus est, quod emitur & venditur, animus imperiosæ libertatis domitor mancipio dari non potest.

Hoc libertatis nomen plerosque incautos ad ingrata præcipitia seduxit; nam subditus non sibi suam, sed principis libertati, libertatem metitur, contra jus servitutis, & nobilis majestatis privilegium: quare qui re in aliqua, aut nobili virtute, principem subditus antecellit, & libertate suam ostentat præcellentiam, semper habeat sua suspecta bona, & timore vivat; inde tamen majora egregiis viris gliscivere pericula, si à populo majores æstimentur, aut à principe, glorioso valore aut ingenio: quoniam quem favor popularis evexit, zelus præcipitat; nam princeps quod possibile judicat, mox credit, & ab ipso timore suadetur, & majestas ne re in aliqua videatur inferior, ad nihilum redigit, quod judicat æquale; hoc ideo in statu subdito, inertia pro sapientia erit, obsequium pro libertate, obsequiosa obedientia pro ostentatione: ô infœlix conditio animi generosi, qui semper in aula inter duo fortissima contraria agitatur, livorem scilicet & timorem: aliud vinci difficile, aliud impossibile: quin imo primi victoria est secundi Triumphus; livor enim adsimilatur monti; si valoris aquæ crescunt, submergitur in illis: est sicut navis timor, qui ut æstuant, unda elevatur: quid ergo inter hæc difficilima faciendum? præsumptionem sui, sagaci solertia, demoliri, donec meliori obviemus fortunæ: sin aliter, improsperæ cedamus; nam procelloso mari, si portus cominus instat, votis & ventis obsistere viriliter oportet; si vero procul, violentiæ ventorum obediri, ne in procella fatis cedat fortuna; nam interdum illustres & magnanimos superat infœlicitas; livorem enim superat solo in principe valor, quoniam meruit adorationem inter homines; si hanc non exuit vitiorum dedecore; si virtutum eminentia posset ad nutum exui, fortasse inter homines quidam mediocritatem affectarent, ut saltem tuti viverent ab æmulatione, à livore ignoti: sed ita est formosa virtus, dum consequitur, quam noxia, dum non potest amitti; à livore sectatus ostreum imitetur, pateat ad ros cœli, ad venatores clausus; constantia & fortitudine Catones & Brutos decet æquare, sed solertia principis æmulationem fugere, & quendam modum libertatis appetere, quo plausibilis, non odiosus fiat; fortuna primum poterit offerre periculum; si autem secundum ejusdem conditionis offeratur, quod incautum præcipitet, imprudentiæ, non fato tribuatur.

Non abhorrent principes virtutis, nec valoris pulcritudinem in subdito, sed illius incontinentiam ferre nequeunt, si valorem & virtutem præcipitat ambitiosa vanitas: & illud non injuria, cum maxime præsumit, illum principis sævitiam, aut ignaviam in opere glorioso damnare; neque enim decorum fuerit, nobili aut sapienti viro, unde amico aut principi infamiam parat, inde gloriam sibi recipere; ideo non laudo, ut ministri fucatis coloribus adornent, & principis servitium, & alta judicis ministeria, solo proprio utili servientes, sub pallio necessitatis & principis & publicæ: forte principis nulla in eo culpa, sed majoris ministri, qui sola crudelis exactionis & avaritiæ facinora extollit, æstimat, & præmiis honorificis retribuit, quo nec sibi, nec principi gloriosus honor comparatur; & inde accidere compertum habeo, ut adfectatæ severitatis ministri, jus præcipitent, ad extremum injuriæ; unde ministri boni sunt interdum optimis meliores; nam isti solent evadere æque periculosi atque pessimi; nam qui ad nutum violentiæ operatur, plura quam jussum erat confingit, societatem perdit, tumultus ac seditiones excitat, ac pacem subditorum deturbat: & nostro judicio, hi sunt pejores hostes quam alieni.

Fœlicitas esset, nancisci ministros provincia æquales, nam superiores occupat negligentia, inter-

interdum avaritia: inferiores, non bona gubernatio; nec est regula, quæ necessitatem ministri & provinciæ metiatur; multa fecit Vitellius (dum minister) ostentui potius quam mensura: alios seducit ambitio, adipiscendi ditiorem provinciam, quo merces & justitia negotiantur; nulla non est venalis injustitia: sunt divitiæ, delictum & impunitas.

Inde orta est apud nostros politicæ confusio, quod defuissent ministri provincia æquales, (omnes enim ætates virorum illustrium non sunt æque feraces.) quo prætulerunt milites in pace præsidere, togas bellorum certaminibus, quia defuit militaris disciplinæ Academia in ingenuis, ex otio inerti: & utrique erant solo suo judicio sapientes: hi favore & fortuna elati, facti sunt vitæ & necis arbitri, divitiarum domini; viros cuique ministerio necessarios, æque nobiles in bello & in pace solet offerre servitia & ingenua plebs; sed favor confundit ministeria; nec enim his temporibus omnino viri illustres defuere & ardentis valoris; sed unius imperium Reip. munia permutavit; an quod illorum valor, & militaris ardor, vitam aulæ sedentariam & ignavam argueret? fecit enim illa virtutem & ferociam subditorum, ingratam imperantibus: exteris nationibus erunt exempla militaris disciplinæ, illustris *Gondicalus de Cordoua*, Feriæ Dux, illustris *Figueroa*, & Dux de Alcala, æqualis valore & prudentia; & nemini secundus Marchio *Federicus de Toledo*; ac tandem *Vrsaonæ* Dux, hujus sæculi gloria, quem natura erexit ut fortuna deprimeret, quidquid æmuli dicant: nam præmium servitio minuitur, quantum excellit valor & gloriosum nomen; creditor enim tantum gloriæ lumen intueri non valet, ideo lucem fugit, non solis culpa sed depravatæ aut debilis potentiæ defectu; inde confusus rumor, ut libertatem & vitam hominis tuerentur. Rep. ad ultimum servitutis adacta, ne *Anno 1638.* dum tributis incomportabilibus oppressa, quorum occasione nec vitæ ulla erat securitas.

Hæc apud nostros extitit parum fida Politica; tutius est enim nobiles & generosos viros, quorum valore potentia consistit, præmiis, honoribus, ac beneficiis allicere; & in principis gloriam & utile Reip. nam domiti & grati miti alliciuntur genio; parum securæ inclinationes in seditionibus aluntur, & tumultu bellorum: & si valent exempla, nostris periculis, nostri & caveant & discant proprio, non alieno capite, in defectione Celtiberiæ & Lusitaniæ, occasione illustrium virorum, qui se læsos honore existimabant.

Plures sagaci fortuna, quam valore his temporibus ascenderunt fastigia, quia facilius assequitur calliditas quam valor: ideo plures arbitrii & lucri fortunam sequebantur, quia major inde proventus oriebatur: inde inter milites & ministros lites insuperabiles: quoniam antiquum Hispaniæ valorem & præmia laboris immortalis valore comparata, fortuna commutavit, fortasse rerum alterna series pro otio inerti: ne dicam, pro adulatorii dedecoris infamia, & crudelis arbitrii.

Eo rerum perennis mutatio devenit, (rebus tumultuantibus) ut æstimationes confundantur, in lucro & æmulatione, ut non assequamur ubi sit æstimatio; nam mercatorem æmulatur agricola: ille civem, hic procerem: militem artifex, illius æstimatio in valore consistit, hujus in æquitate & justitia: in moderatione fortunæ mercatoris; hic militis agitat libertatem, principis inexplebiles cupiditates induit, ingenui & proceris vanitas: ut inter miserum Chaos homines confundantur: & electionis armis nudetur æstimatio; cum ad propriæ fortunæ leges nemo consistat. Quot in abyssos inciderunt mulieres, hac ipsa opinione delusæ, propriam egredientes sphæram, & fortasse pudorem; nam cultus vanitate viros provocant: & pro cultu muliebri honorem vendunt, & pudicitiam ut fere non agnoscas ubi pudor consistat, in hoc sexu. Neque honoris æstimatio in nostro: sunt enim multæ ut scytharum communes: in viris nulla fides, nullum juris jurandi sacramentum: sunt multi transgressores nobilis veritatis & virtutis; nam amicitiæ fœdus, commutant pro infidelitate, & amicitias sibi fide commissas, negotiantur; ac experimenta uxoris alienæ per infideles iniquitates agunt; ac nulli non datur impune vivere, in hujus sæculi vitiorum colluvie; ut fere extra iniquitatem æstimentur adulteria: extra potentiæ nobilitatem se judicat, qui contra immunitatem publicam, legum severitatem, non ostendit potentiam.

Mulieris virtus est domum gubernare, honestam pudicitiam conservare, ad nutum domesticæ virtutis custodire domestica, & obedire viro: mulieri est honesta domorum habitatio, æque periculosa deambulatio extra chorum: interjectiones debent esse cum marito communes: has leges quas longa parcimonia, & honoris æstimatio induxit, subita opulentia, & sexus licentiosa libertas derogavit, permisit virorum indulgentia. Rogatus Socrates, melius an esset uxorem ducere, ad utrumque inquit, sedulo adveniet pænitentia: illas publicis spectaculis inferre, si deformes, ad despectum movet; ad concupicentiam, si pulcræ; quos illæ amicos conciliant, tot viris suis comparant inimicos: domo juvare possunt, extra domum nocere: quo magis est alienis grata familiaritas, eo magis est ingrata marito: si propria cupiditas non offendit, maculat aliena. O mulieres, si fugitis eos qui vos desiderant infœlices, quare illos qui vos amant inhonestas perquiritis; ô sera & importuna virorum patientia; hæc est hominum vana insipientia, non mulierum, cum præsumunt fieri invidiæ capaces, loco invidiæ accedit compassionis infœlicitas; nec aëris obnubilitati accessum patitur lucidissimus color: ex solo infecti animi contagio, lucidissimum maculatur crystallum: in hoc honor vitro ad simulatur, ut prius rumpi, quam findi patiatur: occasionem periculi semper fuge, ubi semper periculum est honoris: *Cæsaris Thalamus*, dixit probe Cæsar, *non extra adulterii modo infamiam, sed citra omnem suspitionem debet consistere.*

Vitii & virtutis fœminæ semper amant extrema: maxime cupiditatibus efferantur, in vetita nituntur; mulieris suasio est ante petitorum consequutio: qui illas prohibuit docere, magis timuit suadendi periculum, quam ingeniosæ doctrinæ imperitiam; callidior illis ut instrumento utitur, ut consequatur quod aliter non valet: est enim magica incantatio, illarum pulcritudo: hominum

minum mentem ligat chara amoris illectio: hæc est una, qua datur inter fallendi artes; lucrum enim amandi novam artem invexit: leges præscripsit indicibiles, sua cuique utilitas; si non ligant mulieres intellectum, voluntatem alliciunt; omnia consequuntur, aut sexus privilegio, aut veneratione, ne illis saltem molestia inferatur: sunt lacrimæ illarum argumenta: pulcritudo domesticum imperium; ubi benevolentiam non conciliant, compassionem movent; & dulci melius interdum silentio suadent, quam severa modestia præcipiant; nec artificium præsupponitur, ubi artificiosa calliditas non timetur; nam pulcritudinis artificia, rethoricæ artem excellunt, ut homines vinci, quam superare æstiment gloriosius: omnis cedit Aristarchus blandæ illectioni: ac illarum fragilitas irati vultum compellit erubescere; mortem & salutem utraque manu portant; familias, regna, & civitates devastatas legimus per mulieres: illud constat, ex Græcorum historia, primo Phœnices à mari rubro ad Græciam transfretasse, onusta mercium multitudine navi, ac appulisse Argos, & cum ad merces fœminæ convenissent, & inter illas, Io, Inachi Regis filia; omnes simul rapuere Phœnices. Postea Græcorũ quidam Tyrum appulere; ac Europam Regis filiam rapuerunt, ut par pari suarum raptus penderetur. Cretenses postea, longa vecti navi, cum ad oram Colchidis, ad Phasim fluvium transfegissent, filiam Regis Medeam rapina deduxerunt; dein Rex illam per caduceatorem postulavit; hanc illi denegarunt Cretenses, allegantes illos adhuc de rapta Io pœnas non dedisse. Secunda hinc ætate, Priami filius Alexander cupide accensus, per rapinam uxoris adipiscendi, rapinam pœnæ insontem judicans, Helenam rapuit, quæ tam vastæ civitatis Priami familiæ, & Regni Teucrorum fatalis ruina causa extitit.

Herodotus lib. 1. Clio.

Pari etiam constantia fœminæ virtutis adorant pulcritudinem; par ***Est illis, mihi crede, vigor, par ad honesta facultas***; Laborem, doloremque ex æquo patiuntur. Lucretia & Brutus, Reges à Romanis capitibus dejecerunt, Bruto libertatem, Lucretiæ Brutum debemus, dixit Tacitus. Quare (meo judicio) errat, qui mulierem ***errorem naturæ*** esse dixit; est enim perfecta in natura, perfectissimi opus, materia nobiliori genita, & in forma virili sexui æqualis. Perfectionem & essentiam, civitatis, familiarumque nobilitatem constituunt; nascitur à matre filius, pater in filio renascetur: nec majus desiderium, nec necessitas major, in natura existit: nec illustrium mulierum per ætatum decursus illustria defuerunt exempla. Apud Lycios, nobilius maternum genus erat, dixit Solinus: indeque si qua ingenua servo nupserit, liberi æstimabantur nobiles, & ingenui: sin autem vir, licet primus inter cives, uxorem externam duxerit, liberi putabantur non ingenui: tantum apud nobilem vetustatem valuit generis splendor, ut Plato dixerit; ***O fili, qui ex bonis parentibus ortus es, eas nuptias sequi debes quas prudentes viri honestas ducunt, qui sane te monerent nec pauperem fugere, neque divitem quærere, sed honestam eligere: quippe quod moderatum est, & mediocre, moderato & excedente, mirum in modum, ad virtutem præstat***; ***si maxime illam comitatur prudentia***. Est enim illa ignis quæ venena convertit in antidota, & faxit ut deformis appareat gratissima & pulcra; ut bene feratur pauper: pulcra in quiete fruatur, & sicut bezaar, venenum quod sub illa pulcritudine latet, corrigit; majestuosam facit non veneream; radiorum Jovis, & non Veneris filiam venerationem movet, & non cupiditatem: & cum in illa potius veneretur impossibile, voluntas dum allicitur, infringitur; non enim amat nisi qui in objectum reflectit; quoniam assiduæ reflectiones sunt etiam amoris causalitates: quare in uxore bona tanto major est laus, quanto in mala plus culpæ est; cujus considerationis defectu, plerique apud nostros ut etiam apud exteras nationes, sunt de nobilitate ac valore suspecti, ob servorum miscellam, & externarum gentium, quibus non curæ est nominis claritatem tueri.

de legibus. Dialog. 6.

Non laudo utcunque tolerantiam: hanc enim prudentia modificat, quoniam ***Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque***, res ipsæ, recte non consistant: nam contra decus & veritatem ferre, de vilitate arguit: non ferre toleranda, barbarum & incivile est: ideo forte Pontifex Romanus ***quadam regula***, dixit, ***Noli esse nimis humilis***. Sunt etiam pleræque naturales passiones quas ferre ipsa natura docet, velut inexcusabiles: ferantur ideo alieni defectus ad divinum exemplar: sic se tulisse morosam uxorem, dixit Socrates, sicuti equites animosos equos: ***Sic mihi***, inquit, ***post Xantippis usum reliquorum mortalium facilis toleratio obveniet***; Ideo forte Pythiæ testimonio laudatur; præterquam quod tolerantia demolitur superbiam, si avaro non copulatur lucro: nam barbara lucri avaritia nullo ingenio demolitur; ideo in Davide tolerantia Saulem provocat, quod esset Davidis patientiæ, & fortitudinis creditor: & agrestis superbia humilitate agitur in furorem, dum magnanimitatis defectu affligitur & confunditur: at generosa patientia occasioni cedit, cum humilitas pro æstimatione commutatur: in antro Sauli parcit David non vilitate, reverentia potius, an ob timorem Dei? quis ex tempore hanc politicam novit; hæc est valde subtilis, hanc oculi caligine passionis obducti, non viderunt, superbiæ occulitur; alias non dignoscitur. Hæc divina clementia antecedentem attentionem postulat; antequam strages labis originalis fatalem calamitatem portet.

Alios obstinatio, (si patientia deficit) in Dæmones convertit. Ideo David homines pacare non intendit, livore lacessitus, quando sacrificio Deum pacat; quoniam novit, quod hominum malitia extinguitur, non pacatur; & sicut eadem actione finitur agendo & patiendo calor, sic se ipsam interficit malitia, ac sola sceleris conscientia pœnas luit: livor animum ad non ferendum acrioribus stimulis explorat, & iram super omnes passiones solicitat: est enim livor tristitia quædam & injusta lætitia; hæc ad iram prona, illa ad iracundiam: ut maculas in sole, & montes tenebrarum in luna ***Christophorus Scainer*** videret, tubum invenit opticum; ô vivacissimi ingenii ***Scainer***; ad hoc fortasse livoris telescopium non sufficeret.

Pusilli cordis est qui artem malignandi exercet; non est prudentis propria, sed iniqui: est anceps gladius quo succumbit armatus in alieno vulnere: hac sola funditus perditur æstimatio:

vilescit avorum clarum nomen antiquum: quæritur nihilominus, & auditur: quare & ad quid A nescio; & docere, nec ediscere volo: quoniam indecens disciplina: nam si modos malignandi docerem, ante tribunal Bonitatis damnarer: artem malignandi docere, infanda est iniquitas, furor esset in me: & gladium, cujus vulnera adhuc sanguine madent, in me ipsum acuerem: & artis illius hactenus magister essem, quam solum passive practicavi.

Occasio ferendi alios, non deficiet; deficiet fortasse patientia; quare talenta tolerantiæ in B longam navigationem oportet cumulare; hæc enim durabit donec vita; occasiones passim offeret æmulus; nam ejus telescopium lincem superat; sunt apud illum alieni defectus mensura, animi sævientis malitia, ut bene novit Job; qui feram prius in mari inveniet, cætum Jonas, quam in ejus naturæ homine mansuetudinem: *Nauta feritatem præbuit*, dixit Sedulius, *fera misericordiam, & navigium ministravit*: Vidit Jesus hominem sedentem in Telonio, peccatorem non vidit; hominem, ut misereatur naturæ, dixit Chrysologus, C non Matthæum, ne se peccatorem vidisse crederetur: ideo dixit Propheta, *melius est incidere in manus Dei, quam in manus hominum: miseretur enim qui nescit errare, non miseretur, qui erroris est particeps*: Quam belle dixit Seneca, expedit vobis neminem videre bonum, quasi aliena innocentia vestræ sit improbitatis exprobatio, nudum & inermem natura produxit hominem, munitum utrumque brutorum genus, cornuis mansueta, pennis volatilia, feriora veneno & furore; pro armis animalium, miserationis affectum vestit homo; D qui dicitur humanitas, ut se in vita sociali constituat; quod aliter quam ferendo non valet: ô quantum nos illudimus, cum ultimam vitæ fabulam agimus, genesim vitiorum insequimur, ac lucem nictapoli, noctuæ instar, fugimus. Sit nobis regula ad ferendos alienos defectus, necessitas ferendi proprios; nam *propter quod unum quodque tale, & illud magis, tale est*.

Malignæ æmulationis sirtes prætergrediatur modesta tolerantia, ne nos præcipitet quævis falsa politica, seu lucri avaritia: nam illa in his rebus humanis primas partes obtinuit, non bonitas: E hæc enim non datur in politicis; & fallitur qui illam præsupponit: nam hominibus dominatur fallacia; hanc colunt, ut lucri & omnis vitæ politicæ nutricem, & propriæ conservationis alumnam: iracundia facimus quem non habemus hostem: bene dixit Rex musicus, *& peccatum meum contra me est semper*: quoniam si hostis deficiat, nos inimicum facimus, ne solus Saul ad manus peccati moriatur, quod postquam mortem induxit, in speciem individua etiam depopulatur. F

Regis in aula, (palæstra nobilis patientiæ) ad lucem hominum, corda intuentur; sapientes & fortes depurantur in catino tolerantiæ; vitia à virtutibus facile discernuntur; ibi vera docetur tolerantia: hæc est militiæ illius disciplina: hic freno indomiti mitescunt, perficiuntur mites: aulam non recusent homines generosi, & magnæ sapientiæ: nam ibi gloria exercentur; est enim aula politicum emporium, ubi artis sapientiæ & valoris excellentia comparatur; nec illos terreat continua aulici implacidi querimonia, cujus semper fortuna meritis non respondet: hos enim si consideres, alios prudentiæ defectu laborantes videbis, alios serviles animo, laborem non ferentes, otio ignavia inertes: sublatos alios vana præsumptione, ut merita altiori pretio sua vendítent, & pluris genus æstiment, ut nobilia avorum stemmata, nunquam ab ore cadant: hæc sunt præcipua convivarum obsonia in prandio & cœna; excellens in arte aut scientia, semper implacidus, de vili virtutis æstimatione queritur: at principes ut plurimum ad mensuram meritorum compensant, sed non ambitionum, cum magis queritur ambitiosus quam emeritus; si omnia non confundit adulatio, aut privi amici Regis domesticum imperium.

Sed in aula inde major confusio, Chaos inexplicabilis, non quod alter nolit majori cedere, sed quod superiorem nemo novit, nec ista facile assequitur notitia, cum in æquivocatione homines confundantur, negotiis inter se confusis: quia majoritatem generis unius, cum majoritate absoluta & universali confundunt peculiarem æstimationem in re quapiam, pro absoluta æstimatione judicantes; illud est aulicorum principium, ut gravis professione primogenitus, & excellens, majorem æstimationem assequatur, quantum ars sua fuerit cæteris plausibilior; quo fit ut omnes plausibilem sequantur, licet alios æstimatione non excellat; plausus tamen non subito, sed longa temporis tolerantia consequitur; novo ingressus Hispalem in quodam porticu civitatis, illud inscriptum legi: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*.

Id altius perpende, quod plausus, temporis filius, si repente consequitur, est fortunæ profusissimæ comes; si vero per gradus comparatur, luce splendescit sua, usque dum admiratio nomen clarissimum diffundat, aut volitet, in resonante *fama*: nam clarissimi viri veluti orbis lumina, non egent adscititiis, sed lucent & illuminant: ac ideo ab omnibus plauduntur celebritate nominis, fama late diffusa: nam plausus unus legitur, unus canitur, unus auditur; sed claritatem gloriæ, non nisi grande genium, magnum opus consequitur in utile commune: illorum maxime quibus mascula dictio, plus in recessu, quam in fronte gerit: hos certe oculata decurrentis ætatis memoria, & admirabunda posteritas reverebitur: quos semper Mausoleum in posterorum animis expectat, mutui amoris monumentum; quod fama posthuma coronantur, & plauditur super omnia sapientium monimenta; in quibus extat plausus, nunquam peritura memoria.

Si vis bene de omnibus audire, de omnibus bene loqui oportet: natura nos edocuit à pulvere homines elevare, ac potentes deprimere, & coërcere: invisa est enim hominibus superbia, & omnes ad has sirtes allidunt. Hoc etiam Deus edocuit, cum à pastoris tugurio ad regale solium, humiles, sed emeritos in principes & populi pastores conduceret: hoc etiam monstrant influxus astrologici, qui tunc fortuna major, cum transferunt homines, ab humili ad majorem fortunam: hoc tandem terra monstrat, quæ altiores producit ab stercore plantas, & ex depressis vallibus,

vallibus, quam è terra, quæ pretioso abundavit metallo.

Nemo te integrum legat, prudens te ipsum condat simulatio, major inde veneratio comparatur: nam omne ignotum pro magnifico est; silentium ut fidissimum amicorum cole; designia & decreta futura, consilio aut calliditate, intra carceres silentii coërce; secreta tibi soli velanda, alii non committes: vix enim amicum æque fidum invenies ac prudentem: magnus ille Scipio Africanus, quærenti filio quo nam castra duceret, severissime dixit, & tu solus tubarum clamores non exaudies? unicum est hominibus negotium; & hoc est cuique proprium; & si adhuc amici proprio non conducit, est æque peregrinum ac extorrens: semper sis caute suspitiosus, nunquam maligne fallax: ***Sermonem quidem silentio, silentium vero tempore signari***, dixit Solon: rogatus Chilo quo differrent ab imperitis sapientes? *Quod isti valeant*, inquit, *arcana reticere, otium disponere, ac injurias fortiter tolerare.*

Quare tibi non deficiant in hujus vitæ militia; ad ferendum honesta, Geometrica architectura, Arithmetica unitas, Musica consonantia, Philosophiæ præcepta, Medicinæ antidota, Theologiæ documenta, Legum æquitas & justitia, militiæ severitas, Ethicarum prudentia, ac tandem Astrologiæ præscientia; quoniam illum tantum Politicæ peritum dixeris, qui tanquam in aciem, omnibus armis instructus, sic in forum, sic in civitatem, cunctis armis armatus, cauta præscientia, sese ab incursionibus tueatur; si tamen tibi rerum deficiat experientia, & te lateant tot hominum fallaciæ, & inexplicabiles mentis humanæ labyrinthi, non valebis nisi cauta solertia, tot reconditas ac varias rerum vicissitudines, & artes lucrandi & fallendi, comprehendere: nec si scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis & acrimonia ingenii, neque adhuc si eloquentiæ incantatio accedat: quare in media luce debemus studere & inter ipsa discrimina: quæ omnia fere præcepta & documenta sub hac unica sententia Seneca comprehendit: *Considera, quæ sint quæ hominem in hominis pernitiem instigent; invenies spem, invidiam, odium, metum, contemptum: & ex omnibus istis adeo levissimum est contemptus, ut multis in illo remedii causæ delituerint: quem quis contemnit, calcat sine dubio, sed transit; spem improborum vitabis, si nihil habueris quod cupiditatem alienam & improbam irritet, si nihil insigne possederis: sic raro invidiam effugies, si te injeceris oculis, si bona tua jactaveris; si non scieris in sinu gaudere; odium aut ex offensa sic vitabis, neminem lacessendo, aut gratificando, à quo te sensus communis tuebatur; hoc enim fuit multis periculosum: quidam odium habuerunt, nec inimicum; timeri enim tam domi molestum est, quam foris, tam à servis, quam à liberis: nulli non ad nocendum satis virium est: adjice nunc quod qui timetur, timet; nemo potuit terribilis esse secure; cæterum inter hæc omnia, nihil æque proderit, quam quiescere, & minimum cum aliis loqui, plurimum secum.* (2 Epist. 18.)

De ingenua libertate in comitiis.

Libertatem olim adoravit Hispania, cum arbitrii gloriam æstimabat, nec erat adulterinus, nec spurius valor: cum vero æstimatio cessit lucro, cesserunt prima postremis in curioso fine; sed interim attende quod alia est nobilis libertas, & ingenua, quæ valorem adornat, & virtutem; & hæc principem & magistratum decet, purpuratos & nobiles, & primos in Rep. viros: quæ si in Reip. & regni præcipitio non occurrat, ærumnisve publicis auxiliari properetur, de vilitate arguit ingenuos & nobiles: nec erit excusatio in principis, aut amici tyrannide, nec in fatali veritatis exilio: non est enim inglorium, pro religione & patria occumbere, in opere laudationis capace: imo sordidum & vile putaretur, in illo qui ob nobile familiæ ornamentum, aut officii, aut nominis claritatem, publicæ custodiæ tenetur: ideo hæc libertas in gloriam cessit, Democrito, Socrati & Soloni: & Roma Catoni & Aruleno Rustico, Peto Thrasea, Herennio & Heluidio Prisco.

Nec hujus libertatis pericula ignoro; sed illa sub gloriæ pretio emercantur; ideo forte Socrates poculo veneni damnatur: Democritus nomen subit insani: Aruntius temporum tædio vita abiit; illud tamen posteritas rependit gloria immortali.

Hæc pati noluerunt nostro sæculo nobiles & purpurati viri: seu quod sit redditum vile jam decus publicum, seu valoris defectu, seu desperatione proventus, positis rebus Hispaniæ in ultimo discrimine, Anno 1640.

Est alia libertas soboles vanitatis, adrogantiæ comes, quæ fumosis alitur imaginibus, & avorum generosa familia, sed aliena gloria, non propria: nemo enim in nostram gloriam vixit, neque quod ante nos fuit, nostrum est: & hanc, ut prorsus vitiosam, & magnis periculis expositam, damnamus: non quærimus enim ex vitio virtutem: quoniam in hac non operatur valor, sed sine consilio temeritas, aut importuna vanitas, quæ semper sibi maxime placet, illiberalis, cum velit omnia, ad nutum propriæ voluntatis metiri: sed illa ut plurimum, ignorantem præcipitat: nam despicit consilia illustrium virorum, quos longa domuit experientia; & auctoritas populi fecit arbitrum.

Nec justa, & necessaria libertas, adhuc in desperatione proventus, nobilem & generosum excusat, ubi instat necessitas: illum tamen poterit excusare nobilis honoris timor, aut jacturæ antiqui patrimonii, ut libertas sub limites silentii obseretur: nullum est tamen peculiare utile, in discrimine civium & regnorum, quod sit universali anteponendum: illud tamen his temporibus sine fructu Hispania ploravit, quod in curiæ comitiis, & apud Regni proceres sit omnino abolita libertas, ut ne scintilla quidem Hispani valoris, inter ictus imperiosæ libertatis priori amici Regis eluceat: principis necessitas valorem non excusat, nec senatoris gloriam; quam abolevit lucrum, aut valoris defectus: lucro enim apud nostros extorquentur suffragia, non feruntur; & ad votum unius moderantur, arbitrii gloria omnino denegata; ut sit penitus libertati imposita necessitas: quod altissima Numinis providentia cavet vigilantissime, ut ex hac libertate in finali judicio, æstimarentur merita & supplicia.

In aula cujusdam principis casu se libertati obtulit adulatio: serenissima libertas, inquit, quod nam fatum, quæ profusa tempestas, quod naufra-

naufragium, ab Sylla & Charybdi liberavit, ut ad occultas haud minus insecuras ignotæ rerum novitate tumultuantis aulæ, sirtes allideret: quæ te anceps fortuna horrenda ad præcipitia deturbavit, & rupes ad infaustas allisit: Horrores nemorum, & inculta silvarum te tutius civem solitudinis occulerent, & tutiori fortuna ab infami livore conservaret: me homines adorant, meas amant blanditias; ut unicum temporis infœlicis solatium; non alio quæsieris: domi habes exempla. Tertius, quam uterque adorat orbis, Philippus: D. Franciscum de Gusman y Zuniga; tertium Aiamonte Marchionem novæ Hispaniæ Indiarum provinciæ præposuit, vice-Regem creavit, extemplo provinciam accepit: at irretito postea desiderio inter contrarios affectus anceps pœnates Deos incepit agitare: & interim D. Gondicalvum, Guaxardo, spectatæ prudentiæ virum, vocavit ad consilium; arctissimaque benevolentia constrinxit: non ut clientem, sed amicum rogavit, quod sibi optimum ancipiti in provincia consuleret; hinc domini imperium obversatur, illinc libertatis periculum in mari procelloso politicæ; ô domine, inquit, tantæ provinciæ pondus nostris humeris impar sustinere non valeo; ac vulpis fabulam simulans, sese à consilio decrevit abdicare: sed illum iterum dominus arctioribus votis compulit, & constrinxit, ut amoto timore, & omni sincera libertate, quod sibi optimum eligeret; at ille, fatis potius quam domino obtemperans, fatalem sibi libertatem elegit, ac domino invisam & ingratam, decori tamen ac æstimationi nobilem; obligationi servio, inquit, & famulatui; accipias consulo, domine, provinciam, si propriæ consulis æstimationi; cum Marchio, jam te, & tuam deseruit senectutem sapientia; jam deliras implacidus, ac domino ingratus, voluptati nostræ potius deberes inservire, quam tuæ insanæ libertati: non tua moderatio, si odisti avaritiam, nec quies, si reliqueris dominum, sed aut ignavia aut periculi timor in ore hominum versabitur: quod si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere: eme politicorum psittacum, si in aula vivere in posterum decreveris: nam ingressus olim politicorum officinam; illustrissimus Poëta Brisianus Indiæ psittacum attente contemplatur, loquentem avidius audivit: & an fœlicem alitem venirent, & loquacem perquirit, institores anuunt, & centum & quinquaginta aureorum numorum pretii convenerunt: hoc tantum Poëtæ obstitit, pecuniæ paupertas, (fatalis magni ingenii calamitas) nec quantitas displicuit: hanc tamen pro lectulo (requies ærumnarum) pulvinaribus, & domi supellectile commutavit, nec illi abnuerunt, quin acciperent; ille accepit psittacum, & conduxit: hæc attente contemplatur Menante Poëta perillustris, ô Gambera, inquit, (sic erat Poëtæ nomen) te semper admiratus, nunc admiror, dubius an emeres insaniam, an ista compassionem moveat; quid psittacus, cum lectulo & supellectile, ut pro illo corporis & animi requiem compensares; charissime Menante, inquit, jam olim fœlicitatem istam adfectavi, quam docet iste psittacus, & pro hac non mea solum, sed cætera universi donarem, ac me ipsum: quoniam ego, (ut scis,) natione Longobardus, communi nostræ gentis miseria educatus, illius insignis libertatis, ex qua quæ nascuntur pericula experior, (virtus licet olim celebris & antiqua, nunc culpa & occasio graviorum malorum, & non satis compensandi laboris) his omnibus finem impono, hujus pretiosi psittaci exemplo, qui mihi fœliciter virtutem doceat adulandi, Longobardis penitus ignotam, at fœliciter ab aliis nationibus practicatam; vera scilicet in animo recondere, & ore proloqui ad nutum & voluntatem imperantis illa, quæ ad hoc solum memoria mandavit. Memento infœlicitatis Demarati legati olim Græci apud Xerxem, hominum potentissimum: cum enim oculis Xerxes perlustraret exercitum, dixit Demarato, nunquid Græci sustinebunt manus contra me levare? cui legatus: utra, Rex, inquit, apud te utar; veritate, an jucunditate? veritate, inquit; Græcia ergo, dixit, semper alumna fuit paupertatis, hospes virtutis, quam à sapientia ascivit; & à severa disciplina paupertatem tuetur & dominatum; ac ideo tuam non admittent servitutem, sed venient obviam licet pauciores: cui Xerxes, si pauci sunt, agedum, tu solus decem dimicaberis? sin minus, blaterare videberis: nam sub uno apud nos imperatore, milites illius metu, etiam contra ipsorummet naturam, meliores efficiuntur; & sic multi non erunt inferiores vestris paucis: cui Demaratus, intelligebam, Rex, me vera dicentem non jucundum tibi futurum, sed non est credibile, virum prudentem respuere benevolentiam exploratam, sed observare maxime: ego enim neque cum decem promittam me posse dimicare, neque cum duobus, ac ne singulari quidem certamine, volens, certaverim: nam licet simus liberi, non tamen usque quaque; quippe quibus præest domina Lex, quam multo magis nostri metuunt, quam tui te faciunt; namque quæcunque illa coëgit, cogit autem idem semper ut scilicet vincant, aut occumbant; hæc ego loquens si tibi blaterare videor, volo post hæc in cæteris silentium agere.

Simul stare nequeunt, & Princeps, & Libertas; nam quo magis ille imperio crescit, libertatem excludit: senatum servire, & esse liberum, non patitur; sicut principem non imperando dominari: principem dicet libertas imperandi; nobilitati licet, & purpuratis, & principem, admonere & advertere de illis quæ regno parando & conservando conducunt: quoniam principem præcogitat interdum avaritia, inordinatus amor, aut effrenis cupiditas. Ideo forte quatuor pædagogos Persarum Reges filiis imponebant, ut eorum juventuti præessent, ut instituta Regia edoceret; secundus, ut solam veritatem erudiret; tertius, ne ulla superentur cupidine, ne servis fierent viliores; quartus, ut intrepidos redderet & impavidos: ac inter politica liberrimos. Non potest enim honestum esse quod non est liberum: quoniam qui servit, timet, qui obsequitur, mutat: principes, sapientes honorent; principibus libere consulant sapientes; nam *sapientia absque potentia prodest paucis, & potentia remota sapientia obest multis:* potentia quidem expers sapientiæ, quo major est, eo perniciosior; *gladium in manu furentis*, dixit Socrates: sapientia vero

procul à sapientia manca videtur; nihil enim pestilentius est, ignoranti audacia, ex qua mala omnia omnibus hæc & radicibus hærent, & repullulant, & in posterum producunt fructum iis qui nascentur, amarissimum, ut posteri experientur nostri: at ex sola vera contingit libertas Philosophica, aut ex valore generoso. Cum inter alios legatum ageret ad Philippum, Xenocrates; donis cæteros majestas demollivit; Xenocratem non valuit; quare illo despecto, cæteris celebravit convivia, (quod apud nostros hoc sæculo reticuit modestia, ne posteris gliscat invidia) postea vero suis dixit Philippus, solum Xenocratem munera sprevisse: qua propter illum civitas sua multiplici honore decoravit; hic legatus iterum ad Antipatrum, ut captos redderet in Lysimacho bello, ab eo ad cœnam invitatus hoc illi respondit metro.

Quis cupiat Circe prudens vel sanior unquam
Sustineat bibere, atque cibum gustare priusquam
Solvantur socii, mihi vel reddantur ad unum.

Seque ad cœnam non venire renunciavit, antequam socios absolutos videret: cujus dexteritatem princeps perlibenter amplexus, omnes continuo absolvit, & remisit.

Mediatorum paupertas superat provocantium numerum, quia libertatem superat adulatio: plures dejecit Principes retrocessus verecundia, & liberi consilii defectus, quam vindictæ necessitas, quos dedit furor præcipites, ut apud nostros hodie in Barchinonensi tumultu experimur: calor & frigus in tepido junguntur, quia contraria medio copulantur: & illius defectu, alter alterum perdit: in rebus ardius quæ in pugna deficient, prudentes mediant occasione potius, quam causa concordiæ: quia non difficulter suadetur qui ab alio suaderi desiderat; nam elementa contraria in mixto jam defessa quiescunt. O hominum fraudulenta deceptio, quæ ut desiderium fabricet dominandi, vindictæ necessitatem induit, ut rerum honestarum aversio, stabilem possessionem periculo exponat, legitima ab apparenti occasione longe distat, illa sistit in vero; hæc vanescit in falso; altera obstinata persistit; ut posteritati fiat hereditaria; pacem supplices petierunt Barchinonenses viri; (fateor quod perculsi ex horrendo facinore) misericordia denegatur obstinata politica, inde orta est æterna bellorum vicissitudo, Bataviæ simillima; & insuperabilis necessitas vindictæ, ex illa necessaria seditione; (nam bella incipiunt, cum necessitas imperat, sed desinunt, quando victores velint.) fateor facinus execrandum in comitem Sanctæ Colomæ Vice-regem; & hujus gentis crudelitatem fateor; sed erat relinquendum rumoribus tempus, & tribuendum spatium pœnitentiæ, differenda supplicia, in majorem potentiam, ut crudelitatem fati consolaretur tempus, & spes melioris consilii; nihil enim crudelius ipsa impatientia præcipitat. In re gravi ancipiti senatu, olim Junius Rusticus fatali quodam motu sive cauta solertia senatum suspendit, discrebatque brevibus momentis summa verti posse, dandunque interstitium aut pœnitentiæ aut temporis. At nostra vanitas nos seduxit, ut majora crederemus quam possumus: nam factum ad nostrum desiderium metitur, cum fine ut principio utimur, quod interdum in medium convertimus, ut talem orbis vanitatem non capiat; ad legem humani intellectus, qui cum finem adæquatum non habeat in hoc mundo, omne quod illi objicitur appetibile, ut finem appetit, & cum illo potitur, in medium convertit, in alium finem, qui in hoc latebat medio, & tantum persistit in ratione finis quantum in consequutione: omnis parva possessio pro magna, (si nihil obtinetur) reputatur, sed ubi aliquid, si non totum, pro nihilo: nos ipsi nostra perdimus desideria; quoniam in consequutione finem cum mediis confundimus, in humano affectu, inhumani; & inhumatos relinquimus affectus: victoriam affectamus, & causam victoriæ illudimus, si gentes debellemus: & in ipsa quiete motum quærimus, semper in passionibus contrarii; omnibus dominatur dominandi libido, ut uni imperium laboriosum reddatur: quod forte non accideret, si unusquisque victoriam facilem redderet in se ipso: in victoria scilicet, amoris gentilitii: de inimico triumphare nescimus, sine amicorum jactura: id illa fatalis necessitas effecit, cum morbos adhuc cum jactura caloris naturalis superemus; ac tandem tali facilitate perdimus quantum violentia superamus: eadem vi consequuntur status & servantur, ***nec facilius est parere, quam parta tueri:*** populi vincuntur sanguine: & illi obedientia victorem superant, & in ipsa jactura dominatum impediunt, & retardant victoriam, ut nulla detur æternitas in rebus, quæ sub Luna versantur: nam omne quod agit patiendo agit, & agendo repatitur; hæc ipsa illiberalis vanitas hominem, quem inter alios considerat supremum, deïficat, quia majorem vanitatem in illo admiratur, aut adorat fortunam: & ubi hæc magna proprio non assequitur oculo, judicat infinita argumento superioris potestatis, aut naturæ, ut in Belo & Nino Babylonia, Romulo in Italia; qui *inter illustrissimas actiones solus* moritur gloriose, quin adversam experiatur fortunam. Hoc tamen humano non gliscit aspiratui, quoniam æternitatem appetit: *Optimos quippe mortalium altissima cupere,* dixit Tacitus: sic Herculem & Liberum apud Græcos, apud Romam Quirinum, Deorum numero additos, cætera principibus statim adesse, unum insatiabiliter parandum sui memoriam; nam ***contemptu famæ, contemni vertutes,*** vetustas judicavit. Hæc tamen idealia apud nostros cessere in desperationem, apud unos, & in vile servitium apud alios; nam speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque majori libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium experiebamur.

Plerosque principes hoc sæculo, augures ad bella impulerunt, & pudenda fallacia, ut Ludovicum Francorum Regem: hic nobis libertas liceat; nam illi suammet necessitatem implicant, & confingunt, in lucro aut in principis genio, fortasse defectu libertatis consulentium; sed hæc sunt sicut pleraque alia desperata. Nam augures, fallax hominum genus, sperantibus & imperantibus infidele, semper erit vetitum, semper admissum, ob necessitatem gubernantium: licet postea damni experientia illos ipsa necessitas expellat. Inter principes olim, sub eadem fortuna, vagabantur, venenorum artifices, & augures; sed hodie inter privos amicos, illos Principes

cipes illi ob occultam malignitatem admiserunt, & ob ipsam postea expulerunt: ne talione postea damnarentur, hos consulebant, ut illi astra consulerent, de magnatum imperio, ut gladio superarent vim astrorum, hos expellebant postea, ne ad idem illis postea successor uteretur, insatiabili dominandi libidine: an ad belli Mars militem, an negotium in quæstu Mercurius exceperit, an blanda annuerit nascenti Venus, an ex humili in sublime, Jupiter tulerit; tot circa unum caput, tumultuantes Dii futura nuntiant; plerisque dixere victuros; at nihil metuentes oppressit dies: aliis dedere finem propinquum, & illi superfuere egentes inutilis animæ: fœlices nascentibus spondere annos, at fortuna in omnem properavit injuriam: unicuique ista pro ingenio finguntur, non ex sententiæ vi. Futura præscire velle, à dæmone aut Astrologia, error, aut vanitas est: ab illo enim notitias apocalypsis petimus, ab ista scientificas: illas Deo permittente assequemur: istæ genii humani metas excedunt, & ex illis ad futura intendere, est Deum similari, cui soli præscienria sine revelatione conducit: sed utraque solo nomine differt; in una enim dæmonem voluntarie consulimus, inscienter in alia: quis novit, an sint figuræ illæ astrologicæ, circuli Necromantici, & illa astrorum signa, characteres, sequentia, quorum medio dæmon inclinat, ad futuri præsagium, & semper ad fallaciam! & si forte per has artes dæmon futura revelavit, quare quærimus illa, si ad malum? erit profecto furor: si ad bonum? ignava sane fatuitas, illum bonitatis auctorem acclamare: sed principes plerique sectam Atheorum colunt; Libo Drusus capite damnatur, quod Chaldæorum promissa, Magorum sacra, somniorum interpretes consuleret; factum est inde senatus consultum de Mathematicis Italia pellendis, quorum è numero Lucius Pytuanius Saxo dejectus est.

Unius favor, & principis delegata potentia, non tantum minuit, sed in totum abolet libertatem: tum inter Regni proceres, tum inter aulas Regum; at extrema necessitas extremam adorat libertatem; nam extremo discrimini est extremum auxilium: sunt enim tentanda remedia, adhuc ipso morbo graviora, si levia non possunt: est enim aliquando temeritas auxilium; quoniam satius est anceps remedium experiri, quam nullum: ideo uruntur & secantur necroses & gangrenæ: & animadverte quod pars sana uritur & secatur, adhuc cum dolore clamoso, ne partem sanam necrosis afficiat contagio; & corpus universum corrumpat. Illud hodie apud nostros dixerim lamentabile, abolitam esse omnino libertatem Hispanici valoris, & cessisse ad manus violentiæ, & crudelis politicæ, nempe ut nobilitas, adhuc cum valoris injuria; obedientia exactissima conservetur; at nunquam immodica & violenta duravere: id enim tutius morum severitas, & legum justitia consequitur: id suæ invalidæ Fortunæ dixit valor, non fore auxilia sine fructu tentanda; hoc non valoris est, sed prudentis invalidi; sæpe enim applicita remedia sunt æqualia, uni validiori: *Nec est de ægroto omnino desperandum*, dixit Seneca, *si contra intemperantiam steteris, & multa pati & facere cogeris.* Fateor ut qui principem, sine amico optat, illum omni humanitate privare

A quid erit sine amore princeps, super quem struet columnas celsitudinis suę, & magnificentię ornamenta; jucunda possessio nulla sine amico est: cui curas suffocantes aperiet? super quem angens exonerabit pondus? *Nullum majus boni imperii instrumentum esse*, dixit Tacitus, *quam bonos amicos, non multitudo equorum, non alius belli apparatus, nec auri multitudo usque adeo vires auget, quantum amicorum constantia & fidelitas.* Arcus gubernationis ne extrema tensione rumpatur, majestatem postulat humaniorem fieri; non uni enim tantum, sed multis & sapientibus est impar gubernatio; quare

B si debet curas Regias alteri aperire, privum necessario comparabit amicum: quoniam si cor omnibus aperiret, fieret despectabilis, & multis sacra velanda, omnibus paterent indecora, quæ si uni traduntur, & ille privus amicus erit; Regiam majestatem conservare, & omnibus placere, est impossibile: minus dilecti vellent, nutum ad proprium principis amorem compartiri: hoc æqualiter non patitur felicitas, neq; principis amor, aut occulta fortuna, seu nobilis capacitas hujus aut

C illius ministri: fidelis satagat servus, alios potius amore anteire, quam principis amorem sugillare, & ad nutum dirigere: seu illustres principis actiones tyrannide potius, aut lucri aut ambitionis comprimere, quam veneratione observare: superet in amore qui cupit antecellere: sed lucrum virtutem superavit, rationem utilitas, dum velit amorem debiliorem reddere: nam si familiaris damnatur amicitia, salvator noster damnabitur, cujus primus fuit amicus sanctissimus Joannes. Sed universam potentiam amico dele-

D gare, nec est illud pro majestate Regia; nec Procerum concordiæ conducit: & seditiones concitat populorum, si maxime privus Regis amicus, ambitione, aut sacra imperandi cupidine, abutitur potentia. Sed neque gratis tulerit illam fœlicitatem; nullam enim fortuna dedit laboribus & periculis vacuam: nam si privus amicus principem vita superat, scopulis infaustis & syrtibus allidit: alter melioris consilii inopia, Monarchiam & seipsum, (ne inimici illius jactura exultarent,) scopulo cui obviavit allisit: alius orien-

E tem adspiciens, occidentem deseruit, (nam hominum plerique nascentem adorant solem; & lethales illi forent aspectus, si sol antea sub terra orientis non stetisset. Męcenas provecta jam ætate, speciem magis in amicitia principis, quam vim retinuit; (quod aliis etiam accidisse nostra in ætate observavimus; non ascendunt enim ad talem fortunam privi, nisi cum princeps illis indigere fatetur, aut laboris impatiens, aut imperio impar;) idque & Mæcenati acciderat, dixit Tacitus, fato potentiæ raro sempiternæ: an satias ca-

F pit, aut illos cum omnia tribuerunt, aut hos cum jam nihil relictum est quod capiant; unde dubitare cogor, fato & sorte nascendi, ut cætera, ita principum inclinationes in hos, offensio in illos, an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium peragere iter, ambitione & periculis vacuum.

Si vero privus Regis amicus, vano sapientiæ simulacro, imperium præcipitat, sola propria sententia confisus, & sacra imperandi libidine, tenetur Nobilitas & Valor, omnia irrumpere difficilia, perorare principem, ut audiat, & videat quæ

in

in occulto latent, antequam reddatur auxilium difficilius; sed vitio fragilitatis humanæ, tardiora sunt remedia quam mala; & si inde gliscant egregia pericula, est publica utilitas peculiari damno anteponenda: & satias capit valor, si partes suas peragit, quantumvis inde non consequatur ærumnarum solatium. Si privus principem judicat vitæ spatio transcendere, in futurum prospiciens, fatali ruina se præcipitat; & benevolentiam non meretur, qui dominum intendit superare: hos principis amor destruit, & potius fecit odii quam amoris capaces; nam destruit livor quantum amor ædificat; non minus enim affectus corrupti animi, ruinam parant quam corporis: non sunt motus naturæ, sed interitus; nec prius corrumpunt, quam corrumpantur: mortem eligere nemini licet, fœlicitas esset, si uterque & amicus, & princeps, deficeret in puncto: durum certamen est mori, sed durius principis mortem experiri; nam cuncta mortalium incerta: multa fœlici consensu audiuntur, quibus omnia principum, honesta aut inhonesta laudare mos est: sed illud plures per silentium & murmur excipiunt: hoc tamen magis est usitatum, blandis & simulatis verbis decipere, aut adulari. Hæc tibi erit securior Politica, quæ & Sejano fuit incipiente adhuc potentia bonis consiliis, ut notescere cupiat, & ut bona malaque tuam ad dominam pertineant.

4 Annal. 2.

Nec etiam defuerunt exempla invictæ libertatis, quantumvis illam gravissima pericula circundent: quia sunt plerique adeo ingenio violenti, & obsequii ignari, ferocitate insita, ut potius mori quam servire cupiant, incultam libertatem sectantes: alii adeo serviles animo, ut adhuc servilia ministeria exercere non renuant: neutrum probo, alter enim vanitatis & alter vilitatis periculo laborat: nuda & majestuosa libertas gravissimis periculis exponit, adhuc justissimos hominum, quo severius veritatem affectant, sed nobilitas aut lucro, aut ignava formidine, ad extremum vilitatis declinat. Discat ab illo Aruntio, Romano libertatem, qui temporum tædio, vita abiit, non eadem omnibus decora: dixit; *Sibi satis ætatis, neque aliud pænitendum, nisi quod inter ludibria & pericula, anxiam senectam toleravisset; diu Sejano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed flagitiorum impatiens: sane paucos & supremos principis dies posse vitari: quemadmodum evasurum, imminentis Neronis juventam? an cum Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis, convulsus & mutatus sit: C. Cæsarem vix finita pueritia ignarum omnium pessimis nutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior, ad Sejanum opprimendum dilectus, plura per scelera Remp. conflictavisset? prospectare se jam acrius servitium, eoque fugere acta & instantia, hæc vatis in modum dictans, venas resolvit.* Democritus, Græcorum severissimus, cum severiora quam ferrent Abderitani viri, imperaret, libertatem senis non ferentes, Democritum ut insanum, detulerunt Hippocrati, ut illum ab insania liberaret, absurda dicebant loqui, & à communi hominum consensu aliena; cum ipsi potius insanirent: ob hoc Socrates, criminibus aggressus capite damnatur: *Iura violat*, dicunt Athenienses, *quæ ex majorum instituto accepit civitas, Deos esse negans, alia vero dæmonia inducens, contra jus & fas*

Tacit. 6. Annal. 11.

A *juventutem corrumpit*; *pœna illi mors*: ac tandem illum poculo venenosæ & frigidæ cicutæ damnaverunt. Homerum, velut insanientem, drachmis quinquaginta multarunt. Tirtheum, ob nobilem & ingenuam libertatem, mentis dixerunt impotentem; ac tandem lapidarunt. Ob nobilem libertatem, Romanus Cato, septies in judicium delatus est. Sed mira libertate, ex nostris, generosus & nobilis Comes secundus de Olivares, Dominus Joanes de Gusman, Beatissimo Pontifici Sixto Quinto, loquitur: Legatus sacræ B curiæ, sub secundo, Philippo & sub principe pacis: sed sub Philippo IV. grave tulit exilium, generosa libertas, Cardinalis de Borja, ab Urbano Octavo, magno Ecclesiæ Pontifice; alii communem libertatem excedunt, sacra libertatis cupidine, & fortasse jactantiæ. Inter angustias fortunæ, ad ultimam miseriam & pudendam inopiam, illustrissima *Hortensiana* domus delapsa est, ut Tiberio, apud Senatum, diurnum victum Hortalus peteret, quem Tiberius indigna principis vilitate denegavit, sed insolenti libertate, ad C quod Hortalus siluit, an pavore nobilis verecundiæ, an auctę nobilitatis memoria; mancipii unius audacia, Posthumum Agrippam interfecit, ut se dominum simularet; sed hunc accepta idonea manu in palatium traxere, & quærenti Tiberio, quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur, quomodo & tu Cæsar. Alexandro, orbis Imperatori, sic Scytharum legati proloquuntur: *Abhorrentia forsitan moribus nostris, & tempora & ingenia cultiora sortitis, si Dii habitum corporis tui, aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet; altera manu orientem, alia occidentem contingeres: &* D *hoc assequutus, scire velles ubi tanti Numinis fulgor conderetur: sic quoque concupiscis quæ non capis: ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam; deinde si humanum genus omne superaveris, cum silvis & nivibus, & fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum: quid? tu ignoras arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? stultus est, qui fructus eorum spectat, altitudinem non metitur: vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehenderis, decidas; leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit: &* E *ferri duritiem rubigo consumit: nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido. Quid nobis tecum est, nunquam terram tuam attigimus: quid scis unde venias, licet ne ignorare, in vastis silvis viventibus? nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus: dona à nobis data sunt, ne Scytharum gentes ignores*; jugum boum, aratrum, sagitta, & hasta, & patera: *his utimur cum amicis, & in hostes; fruges amicis damus, boum labore quæsitas, patera cum eisdem vinum Diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus: sic Scythiæ Regem & postea Persarum Medorumque su-* F *peravimus: patuitque nobis iter usque ad Ægyptum: at tu qui te gloriaris ad latrones venire, jam etiam ad pecora nostra avaras, & instabiles manus porrigis; omnium gentium quas adisti latro es: Lydiam accepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos in potestate habes, Indos petisti: quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt: primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberes, acrius quæ non habes cuperes: dum hos subigi cupis, alii bellare cœperunt, bellum tibi ex victoria nascitur: paupertas nostra velocior erit quam exercitus tuus, tot nationum præda onustus: eadem enim velocitate & sequimur & fugimus: Scytharum solitudines*

Græcis etiam proverbiis audio illudi: nos deserta & humano cultu vacua, magis quam urbes & opulentos agros, sequinur; proinde fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec invita teneri potest; impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. Sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet, cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit: denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter quæ tui obliviscaris: quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti; nam & firmissima est inter pares amicitia; & videntur pares qui non fecerunt inter se periculum virium: quos viceris, amicos tibi esse non credas; inter dominum & servum nulla est amicitia, etiam in pace; belli tamen jura servantur: jurando gratiam Scythas sancire ne credideris, colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, & Deos invocant; nos religionem in ipsa fide novimus; qui non reverentur homines, fallunt Deos: nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Cæterum & nos, & Asiæ, & Europæ custodes habebis, utrique imperio tuo finitimos: hostes, an amicos esse nos tibi velis, considera: hæc Alexandro, hæc libere dixit Barbarus. Haud absimilem libertatem in summa Romanorum potentia Danubii villicus adfectavit; ideo adscitur postea nobilibus Romanorum familiis: *Quæ amentia*, dixit Alexander Poro Regi, *te coëgit rerum mearum cognita fama belli fortunam experiri: at illi neminem me fortiorem esse credebam; meas enim noveram vires, nondum tuas expertus; fortiorem te esse belli docet eventus; sed nec sic quidem parum fœlix, sum tibi secundus.* Rursus interrogatus quid ipse victorem statuere debere censeret? *Quod hic*, inquit, *dies tibi suadet, quo expertus es quam caduca fœlicitas esset.* Plus monendo profecit, quam si precatus esset; quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo, sed etiam honore excipere dignatus, ægrum curavit, ac secus quam si pro ipso pugnasset, confirmatum, contra spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliori regno quam ante tenuerat. Nec sane quidquam ingenium ejus solidius aut constantius habuit, quam admirationem veræ laudis, & gloriæ. Nullum tamen legimus generosæ libertatis exemplum quam Flavii Tribuni; quod in Tacito legitur, 15 *Annalium* 15. *Flavius Tribunus*, inquit, *confessionis gloriam amplexus, interrogatusque à Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset; oderam te*, inquit, *nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida matris & uxoris, auriga, histrio & incendiarius extitisti.* Nihil in illa conjuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit: quia ut faciendis sceleribus promptus, ita audiendi quæ faceret, insolens erat. Proximum constantiæ exemplum Sulpitius Asper, centurio, præbuit, percontanti Neroni, cur in cædem suam conspiravisset; breviter respondens, *non aliter tot flagitiis ejus subvenire potuisse.* Politicam sane sectam suo utili unusquisque sequitur; tu autem inter illos, sequere meliores; nam in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima.

Curt. lib. 8. cap. 14.

Non sit comes jactantiæ libertas, sed sit à metu procul, in iis quæ firmā frontem desiderant; semper libera & semper ingenua; illud tamen ad tempus moderatur prudentia, quando nocet libertas; sed plerisque accidit quod Tiberii temporibus, *3 Ann. 14.* ne quis juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinclum & necessitas silendi; ut aliis accidat commendatio ex injuria, aliis odium ex invidia. multi pro honestis & præsentibus, flagitiosa & incerta expectant, quos aliquando juvant tempora infœlicia: & fortuna, quæ conatus fœlicium faciliores reddit, & ad majorem libertatem disponit; quæ sane temeritatem sequitur: ac ex illa prorumpit in audaciam, quæ ad inobedientiam disponit; hinc majorum despectus, legum transgressiones: *Ac in ipso facinore*, dixit Plato, *jus jurandum, fidem, & omnino Deos neglexerunt*: in hoc statu, pro libertate pugnare paratus; *Viri Athenienses*, dixit Solon, *aliis quidem sapientior, aliis quidem fortior sum: sapientior enim illis, qui Pisistrati conatus non advertunt; fortior autem illis, qui sciunt illum quidem, sed metu silent.* O lamentabilis libertatis nobilium proscriptio! Senatus Solonem insanire proclamavit: at ille, *Mea*, inquit, *insania, cives brevi tempus ostendet, cum lux veritatem aperit*: mox enim Pisistrato, jam rerum potito, *ô patria*, dixit, *tibi quidem verbo & opere auxiliatus sum, auxiliari tamen non potui.*

Sub duplici cardine libertas Politica versatur: sub libera scilicet, sed effreni quæ sequitur potentiam, aut adfectatæ impetum vanitatis; aut quæ sequitur valoris, officii, aut decani prærogativam. Primæ sit exemplum Tiberius, qui vivente matre, & Druso, Seianum timuit, aut dilexit, objectis libidinibus, vixit ambiguus; postremo in scelera aut dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum genio utebatur: sed falso libertatis vocabulum obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi; nihil spei nisi per discordias habent. Sit exemplum secundæ, Claudius, qui famosos probris quo nam modo senatu pelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex severitate prisca rationem adhibuit, ut judicium censorum, ac pudor sponte cedentium, permixti ignominiam mollirent, ob quod Dipsanius eum patrem patriæ appellavit, & senatus. Est enim semper materia sceleri detrahenda: vere enim decanum, sapientem & principem ingenuum, & nobilem civitatis gubernatorem in populum, aut parasitum in principem alta decet libertas: quo nulla est necessitas major: sed illud infamem superat libertatem, in pudendo Messalinę facinore, quando ista vivente marito Claudio non tantum nomen matrimonii concupivit, sed in actum prorupit; (ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est,) Sylio enim nupsit vivente Claudio intra civitatem; sed illud summū dedecus superat, ignavia scilicet Claudium trepidare, ad uxoris scelus, impotens ad supplicium, & ideo libertis clientibus committitur: sed in libertate non omnibus par exitus; illis tamen bene cedit libertas, qui pronis auribus audiuntur; nam audit quem amat populus, animum maxime si rebus aptum tulit. Initio principatus Neronis, Senecæ oratio pronis auditur animis, erat enim composita, ut quæ multum cultus præ se ferebat, ut fuit illi viro ingenium amænum, & temporis illius auribus accommodatum. Tulit etiam fœliciter Burrhus militiæ decreta, quia semper impavidus.

pavidus. Omnem supergreditur Cato libertatem, quia populo gratus, periculis intrepidus, & per varias rerum cadentias immutatus: quare res ipsæ modum libertatis discernunt, ut hanc assequeremur cum locus videretur virtuti patefactus: quod si princeps necessariam libertatem non assequitur peculiari genio, aut ætatis defectu, illud virorum electione suppleat, virorum dico non ambitionum: nam daturum se promisit documentum Nero, si honestis, an secus amicis

13 *Annal.* 9. uteretur; si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum & gratia subnixum, per ambitum B deligeret. Severa semper libertas illa prisca ætate ante ibat, adhuc in ipso Deorum cultu: nam Cassius si pro fortuna & benignitate Diis grates agerentur, neque totum quidem annum supplicationibus sufficere disseruit; ideoque oportere dividi sacros & negotiosos dies, quibus divina colerentur, & humana non impedirent. Publius Suilius se nocentem videri, quam supplicem maluit, ob animi ferociam ac libertatem: crimen, periculum, omnia potius toleraturum, dixit, quam veterem ac olim partam dignationem C subitæ fœlicitati submitteret: in hac oratione Se-

14 *Annal.* 83. necam studiis inertibus incusavit, de fœdoque adulterio: quod intra quadriennium Regiæ amicitiæ, ter millies sestertium paravisset; (ô tempora inter infœlicitates fœlicia, ubi saltem erat libera hominum respiratio) licet populi rumor, neminem sine æmulo sinit; sed solus dives, pondere divitiarum mergitur; (semper grave Reip. delictum) sicut Domitius Balbus orbitate & pecunia, insidiis civilibus redditur obnoxius; in quo nostræ ætati assimilatur illa ætas, ubi *gravius deli-* D *ctum sunt divitiæ*.

Crudam non laudo libertatem, sed damno insolentem. Libertas enim in vitia & pro honore patriæ, pro gloria erit; quoniam rerum magnarum curam non dissimulant, qui animum etiam levissimis advertunt. Alios ad famam libertas promovet, plures præcipitat; nam hos seducit imprudentia, vanitas & ambitio; illos movet utilitas communis: non sunt enim omnibus omnia decora, nec similes circunstantiæ in omnibus. Romanam libertatem vendicare olim, Marcus E Brutus studuit, summa libertate, in Cæsare Tyranno; sed libertate frui, illi fati fœlicitas non permisit. Post obitum cum hic forte Lucio Bruto obviaret Elyseis, illum rogavit, quare non fuit par fortuna utrique nostrum, si par facinus, haud inæqualis gloria, & generosa libertatis intentio? Cui Senior Brutus sic loquitur; *Non sufficit, amice Marce, ad Gloriosum facinus par fama, par libertas, gloriosa intentio: decet enim hæc omnia summa prudentia, & circunspecta judicii integritate complanare: hoc etiam, adverte Marce, quod fœlicem ac prudentem me-* F *dicum deberes imitari: cum se tibi libertas obtulit, & patriæ & populi Romani, quod nos mature fecimus, cum imperium à pravis tyrannidis humoribus expurgavimus; primo enim in ægrotum imperii Romani corpus mentem intendimus, perpendimus quantitatem, qualitatem humorum qui illud obruebant, inter tristia ac mortalia servitutis: ac prudens & expertus, tyrannum syrupis odii popularis præparavi; & exitio etiam destinavi, quibus quotidie in populum reddebatur invisus, ad summam usque gentis desperationem, quo nihil mihi erat optabilius: agnitoque jam morbi statu, præparatis humoribus, ruina*

A *& ululatu gentium, confusoque planctu populi, materiam nefariæ iniquitatis belle novi dispositam, ac salutari expulsioni aptam: quare sola uncia duplicata syrupi solutivi, resolutionis tempestivæ, caput impatientis populi (metitis prius Reip. viribus) absque ullo necis violentæ timore, aut tumultuantis alternationis, pessimos ac turgentes tyrannidis humores expurgavi, cum bella conferentia & tolerantia; quo patriam ad pristinam salutem ac libertatem duxi. Tu vero minus prudens in minus circunspecta resolutione, te dedisti præcipitem solo recuperandæ amissæ libertatis flagranti desiderio; sed crudis & incoctis humoribus tyrannidis: tali intellectus caligine, ut te ipsum & populum, in tristiorem servitutem redigeres, quando Cæsarem in senatu perdere decrevisti: nam debili libertati Romanæ, & viribus attritis, crudis adhuc humoribus, effrene catharticum ex antimonio & coloquintida imperasti, quo omnem humorum cruditatem conturbasti; nec expulsis humoribus morbum effreniorem reddidisti, ac omnem corporis harmoniam ad confusam ametriam expulisti, in tuam primo, postea sociorum ruinam, in causamque pestiferæ lamentabilisque proscriptionis, quæ abolitam in totum reddit libertatem: quare te illa damnat Hippocratis sententia: Concocta medicari, at movere non cruda oportet: vera semper illa fuit paræmia, non mutat principem conjuratio, sed tyrannidem. Fateor quod in desperatione melius est anceps experiri remedium, quam nullum: sed illud intellige, dum est adhuc principium, ex quo possit dimanare salus; quare in tam grandi periculo omnia oportuit attente contemplari; & inter media fortiora prius decet attendere, quibus patriæ libertatem occupavit Tyrannus, quia dum illa vigent, non est honesti Zeli, sed crudelis & propriæ libertatis contrarii, tyranno insidiari, cum proscriptione patriæ libertatis: nihil enim æque sanitatem impedit, quam crebra remediorum mutatio: non venit ad cicatricem vulnus, in quo crebro auxilia mutantur: nihil tam utile est quod in transitu prosit: jam non Tarquinios tristis populi favor conservabat: sed callidis artibus illicitus tyrannidis in speciem compositus: cum vitæ sævitia, luxuria infamis, sacra & nefanda cupiditas, Tarquinium incœperant jam præcipitem dare, quo ruerunt imperii fundamenta: ac ideo libertati sine violentia cessit facinus: ut nostra conjuratio, à cervicibus Tarquinios non depulerit; sed ruentes jam, dederit præcipites; cum publicum odium illos præcipitabat: & adverte quod in communi miseria, miserabilem omnes lugent Reip. statum, sed fere nullus auxiliari audet; nam validæ resolutiones firmam frontem desiderant: tuum autem Cæsarem, adhuc exercitus benevolentia conservabat; quem tot per annos prodiga liberalitate obstrinxerat, qua & communi obsequio, aut timore, populi libertatem occupaverat; & dum tam solidis columnis nitebatur, nil aliud parasti, quam Julii in Augusti personam imperium commutare, cujus astus, in crudelitate proscriptionis nitebatur. Illius autem in falsa clementia, ut utrique tyrannis redderetur secura: ante omnia nosmet ipsos debemus æstimare, quia plus nobis videmur posse, quam possumus: nam alius eloquentiæ fiducia prolabitur: alius patrimonio suo plus imperavit, quam ferre possit: alius infirmum corpus laborioso pressit officio: quidam ad res civiles idonei non sunt, quæ firmam frontem desiderant: quorumdam contumacia non facit ad aulam, quæ vivit ex adulatione: quidam non habent iram in potestate sua, quos indignatio præcipitat: alius urbanitatem nescit, nec à periculosis abstinet salibus: omnibus his utilior negotio quies est. Quare ferox impatiensque natura, irritamenta nocituræ libertatis evitet; nam omnium maxime prudentia adornat libertatem, rerum*

rum experientia & valor. Debet esse semper plus virium in latore, quam in onere: multa dulcia gloriæ obtentu vita mentitur: nos vero, cum vivere incipimus, tunc morimur; nihil enim est inanius quam libertas non sua vi enixa; ideo vitæ vanitas major quam utilitas est.

Non majori versatur in periculo Resp. quam cum abolita est libertas senatui; & princeps per omne genus sævitiæ grassatur; seu cum præ ignavia, aut timore, arbitrio non suo, sed alieno vivit: *Tacit. 14. Annal. 13.* ut Vitellius qui exprobranti aliquando reticuit, ut pavida ingenia solent: hoc etiam senatui Romano legimus accidisse; *16 Annal. 1.* illusit olim Neroni fortuna, & Bassi cujusdam Pœni consilium de promisso thesauro, sed senatus miserabili servituti adactus, ut dedecus averteret, offert imperatori victoriam cantus, adjecitque facundiæ coronam, ut ludicra deformitas velaretur: & pavido timore, suam & principis fecit notiorem infamiam. In magna enim confusione, iniquitate, & adulatione, ad invicem certantibus, nulla libertas datur, quoniam nullus ordo metu & periculo vacuus, *16 Hist. 16.* & ut Neronis tempore quanto magis occultare & abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Clamor vocesque vulgi ex more adulandi, nimiæ & falsæ, non metu, non amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis privata cuique stimulatio, & vile jam decus publicum. *2 Hist. 12.* Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessit facilis mutatu, & in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur, ruentem impulit. Omnium quidem occupatorum nempe pavore conditio misera est, eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant; sed ad alienum dormiunt somnum; ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur; si isti velint scire quam brevis sit eorum libertas, cogitent ex quota parte sua sit. Fateor esse periculo expositum, se super alios libertate, aut gravis alia claritudine extollere: habet enim aliquid ex iniquo omne magnum exemplum quod contra singulos utilitate publica rependitur, fateor etiam vilem animum multum de antiquo splendore minuere, cum libertatem invertit adulatio: *14 Annal. 15.* ideo forte Senecæ objiciebat populus eloquentiæ laudem uni sibi ascire, & carmina crebrius factitasse, postquam Neroni amor eorum venisset.

Nec semper acerrima libertas intendat arcum; nam si animum aliquando flecti nolumus, fortasse frangemur; non omnia sunt acriori censura irritanda: nec desunt honestæ excusationes libertatis defectui: & pleraque petunt necessario obsequium, ad plausum maxime consequendum: nihil enim acrius in se concitat iram, quam superba elatio: nam sunt homines liberi in civitate libera; sed primores hominum honestam libertatem amittere pro vili plausu, de animi vilitate arguit; *1 Hist. 7.* Nec deerat Otho (cum tentaret imperium) protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione. *16 Annal. 1.* Ingreditur theatrum Nero cunctis citharæ legibus obtemperans, postremo flexu genu, cætum illum manu veneratus, sententias judicum operiebatur, ficto pavore; ubi crederes lætari, ac forte lætabantur, per injuriam publici flagitii. Hæc sunt quacunque fortuna securiora, sed non magis honesta: licet res utriusque fortunæ, à duris judicibus parum probentur: viros quacunque professione summos, libertate laudabis: ab his secundos hilari vultu sine commendatione honorabis: encomia cum admiratione quibuscunque vitabis: non est enim sapientis admiratio, modesta decet interdum adulatio, intra metas prudentiæ, licet proprio gliscat genio: *Neque turpe est*, inquit Plato, *neque abhorrendum consequendæ sapientiæ gratia, servire cuilibet, & honestis obsequiis unicuique morem gerere.* *Dialog. Eutidemus.* Facetiarum libertas aliquando nos decipit, nunquam nos cautos reddit: ideo adverte quod odia ex intima sodalitate contracta, magis percellunt animos: sæpe enim asperæ facetiæ, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Illud alte perpende, ne publicis aut privatis alterius malis abutens, aut nobili fortasse amicitia ad occasionem privati odii relabaris.

At sunt plerique hominum, qui aut genio, aut vitæ integritate nequeunt aut nesciunt, parcere libertati; si non etiam ex obligatione. Lucius Vetus, accusatori cessit implacabilis, eo solo crimine, quod vitæ integritate & modestia principis facinora incusavit, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio fœdaret. *16 Annal. 2.* Cum Crœsus Soloni thesaurum ostendisset, ô hospes Atheniensis, inquit, nunquid me beatior est alius: ego vero, inquit Solon, vidi beatissimum, Tellum Atheniensem, mediæ fortunæ virum, Bitonem Cleobulum: *Herodotus lib. 1. Clio.* Crœsus autem actus in furias prorumpit: adeo ne tibi, quasi nulla, contemnitur nostra fœlicitas, ut ne nos privatis quidem hominibus æquiparandos ducas? Hæc dicens Solonem nullius momenti faciendo dimittit. Postea vero Lydis & Crœso potitus Cyrus, Crœsum in pyra concremare, cum aliis bis septem Lydorum filiis jussit. Crœso autem supra pyram stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis quod ab eo sibi nutu Dei fuisse dictum, ex viventibus beatum esse neminem; & cum animi angore consternatus ingemisceret, ter dixit O SOLON! *utinam omnes Tyranni te audirent?* sed in chronicis & annalibus temporum *de dictis & factis principum* maxima desideratur scriptorum libertas; quoniam cessit avaritiæ integritas & valor, si non ambitioni; aut timori. *Priori ævo*, dixit Tacitus, *res gestæ majorum memorabantur, pari eloquentia ac libertate; postquam autem ad unum potestas redacta est, magna illa ingenia cessere, simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia Reip. ut alienæ, mox libidine assentandi aut rursus odio adversus dominantes, ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios.* *1 Hist. 1.* Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; interdum autem libertas vitio malignitatis cessit, nam obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur; quippe adulationi fœdũ crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis est: omnia omnibus fert temporibus tempus, vitia virtutes, libertatem aut servitutem, principum genia insequuntur; at sceleribus imbuti homines, haud minus vitia principis amabunt, quam olim virtutes venerabantur. *Incidimus in Nervæ principatum*, dixit Tacitus, *& Trajani imperium, rara temporum fœlicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias, dicere liceat. Nec perinde tempore quo scelera, calamitates & nefanda mala obruunt civitatem, defuere virtutis, & bona exempla, & laudabiles*

dabiles antiquorum moribus pares exitus: & à contrario 1 Hist. 2. *introducto Galba, servorum manus subditis avidæ, & tanquam apud senem festinantes, eademque novæ aulæ mala, æque gravia, non æque excusata, quippe hiantes in magna fortuna cupiditates amicorum, ipsa Galbæ fœlicitas intendebat, cum apud infirmum, credulum, & avarum, minori metu & majori præmio peccaretur!* O mirabilis necessitudo temporum: nihil sub luna novum! Hæc videtur nostri sæculi facies.

Nemo ad securas res accedit, ipse facit; utilissimus quidem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus; cogitare quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris: nam auget, aut temperat libertatem fœlicitas: licet difficilius sit temperari fœlicitate, qua te non putes diu usurum; ideo fortasse mansit Celso etiam pro Othone fides, ac libertas integra, & infœlix; quia ruerunt simul. Nemo enim apte potest de futuro discernere: ab Vitellio (imperium ingres- 2 Hist. 11. sus) postulavit exercitus ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, sed mira libertate inhonestam adulationem compescuit: deinde mobilitate ingenii, quod palam abnuerat inter sacrata convivii largitur. Illud erit principibus securius consilium, quod dedit Tiberio Augustus; *Fidem, constantiam, libertatem, præcipua homini dona; tu quidem eadem constantia retinebis, alii per obsequium imminuent:* Irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas: nos illa quæ non assequimur, semper desideramus, cæteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum loquuntur. Libertas nobilis veritate & animi fiducia adornatur, & deficit libertas, ubi illa deficiunt; maxime ubi ingruit timor, aut mentem enervavit fœlicitas, & paupertas fiduciam. A mille etiam contrariis illuditur libertas, & in senatu maxime, scilicet à principis potentia, qui alterius regitur avaritia, seu vana ambitione, & ab excessu numeri validioris calculi: nam hæc omnia tulit in hoc sæculo nostra morum corruptio, quæ in divitiarum libidine exarsit. Et sic reor ut quanto magis principi sit suspecta libertas, sit etiam contumacius silentium, si nihil ex illa speras profuturum: nam omnia tempore evanescunt, usque dum meliori obviemus fortunæ: ne proferas imprudens libertatem, ut levissimus quisque spe vana tumens, & futuri improvidus: nam cadmice & sine fine certant qui inter opulenta fluctuant: vetus enim jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque: nam rebus modicis æqualitas facile habebatur, sed ubi subacto orbe, & æmulis urbibus & potentibus, in Rep. viris Regibusque excisis, aut intrusis, securas opes concupiscere vacuum fuit. Prima tunc inter patres plebemque certamina exarsere, usque dum medullas intravit, cum opulentia luxus, audacia, avaritia, luxuria & ambitio: ut apud nostros recentes mores ad priscam severitatem restituere, nisi iterum Hispania perdatur, sit impossibile: nec perinde judicari potest; quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. Nec est nostrum sæculorum deterius; nulla enim ætas vacavit culpa; *Et vitia sunt hominum, non temporum:* Et plerisque temporibus crudeliora vitia observavit vetustas, veluti sub Tiberio, Nerone & Caligula: sed unus quisque sua vulnera sentit; nam in vasta Monarchia, scelera subditorum nec possunt comprehendi, nec puniri; *Inter Vitellium & Vespasianum*, dixit Tacitus, *Mucianus non jus, non verum in cogitationibus* 2 Hist. 16. *expectabat, sed solam magnitudinem opum; nam pecunia bonis malisque temporibus æque valent:* ne ista videantur solius nostri sæculi avaritia & luxus: nec ad talia vitia nostri dejecti sunt, ut apud Romam olim, ubi cautum severe fuit, ne equites Romani ludo & arena polluerentur: & apud cæteras nationes, etiam nobilitatem in varia dedecora præcipitavit luxus: at licet nostros seducat avaritia, aliquando ambitio, (vitia incomprehensibilis monarchiæ necessaria non æque excusata) non tamen impulit ad contraria hereditario & antiquo valori, nempe ad vilitatem animi; nam nostrorum valor, visceribus inclusus, excitatur periculis; & vitiis vilitatis non cedit.

Est pleraque libertatis species, quæ videtur principis ignaviam incusare, oblitum aut dormientem excitare: & à majestate æstimatur pro crimine; ast illa sola decet emeritum in bello aut in pace, & non quemcunque virum; & ista debet ferri à principe. Vespasiano se manu & armis Im- 3 Hist. 11. peratori suo, militare dixit Antonius, cessisse tamen in irritum labores, si præmia periculorum soli assequantur, qui periculis non affuerint. Idem Secundo Philippo, utriusque orbis Regi, dixit dux ille invictissimi animi **Ferdinandus Cortes**; (sæculorum invidia,) hoc etiam liceret Dolobel- 4 Annal. 6. læ petenti triumphalia fine dato in Numidia, triumphalibus armis, quod abnuit Tiberius in veste, & tribuit Sejano privo amico suo, ne laus avunculi Blesi obsolesceret; sed neque Blesus ideo illustrior; & huic denegatus honor, gloriam intendit: laudabili etiam libertate, *Cremutius Cor-* 4 Annal. 8. *dus* oravit, cum capite apud Cæsarem postularetur; *Brutum & Cassium laudavisse dicor*, inquit, *quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit: sed plerique ob morum similitudinem, aliena malefacta sibi objectari putant: carmina Bibaculi & Catuli, referta Cæsarum contumeliis leguntur, sed ipse Divus Iulius, ipse Divus Augustus & tulere ista, & reliquere: haud facile dixerim moderatione magis an sapientia, namque spreta exolescunt, si irascere, agnita videntur: sed maxime solutum, & sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemisset: suum cuique decus posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii & Bruti, sed etiam mei meminerint.* Egressus dein senatu, *vitam abstinentia finivit.* Hujus libros per ædiles cremandos censuere Patres, sed manserunt occultati & editi; nam contra punitis ingeniis gliscit autoritas. Hoc adverti in illa severa & prisca libertate, ut tantum ad mortem pateret iter, non ad præmia: ideo omnis ad adulationem libertas versa est: & apud omnes fere nationes practicatur. Honores olim Vespasiano & familiaribus decernuntur à senatu, cæteri vultu manuque, pauci quibus conspicua dignitas, aut genium adulatione exercitum, compositis orationibus assentabantur; nemo honores libertate discernit.

Remp. pristinæ libertati restituere, est æque difficile, ac vitia delere in habitu contracta: ultimum enim miseriæ est; cum ita sunt adulta vitia, ut opus sit punire veritatem. Et cum sunt intolerabilia vitia, sed magis intolerabilia supplicia.

Eſt tantum expectandum auxilium ex venienti ſæculo, meliori fortuna educato: non ſub ignava opulentia & luxu: nam ſevera & generoſa ſi non creat in animo virtutes, ingerit educatio: ac generoſioribus fere connaturalis enaſcitur libertas. Romana potentia ſub vaſto imperio pari dominatione & excidio viguit; ceciditque, dum virtus imperavit, aut cervicem luxui & vitiis ſubmiſit. Jugum impoſuit Hiſpania cæteris nationibus, dum ſevera & priſca diſciplina viros ſuos in vitæ moderatione coërcuit: ſed valor & libertas, cum opulentia & luxu, incepit declinare: extrema autem pauperie abolevit; nam æque luxus ac pallida paupertas valorem minuit, ac libertatem delet. Eluidius Priſcus, illuſtre ingenium altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit, non ut plerique, ſub nomine magnifico, ſegne otium velaret, ſed quo firmior adverſus fortuita Remp. capeſceret: doctores ſapientiæ ſequutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerat: nihil eſt in optima civitate, civium juſta educatione honeſtius; nihil prava infœlicius. *Quam beatum tibi videtur*, dixit Plato, *Tyrannicum filium genuiſſe, voluptate & delitiis educatum, cui parentum ſupellectilis non ſufficiet: an non proprio, parietem alterius perfodit domus, vel nocte tarde euntis pallium rapiet, deinde templum aliquod ſpoliabit: tandem vero amoris tyrannide irretitus, qualis raro erat in ſomnis, talis ſemper erit vigilans: nam & à nulla cæde impia abſtinebit, vel ingluvie, vel facinore; ac ſi pauci tales in civitate ſint, cæteri vero modeſti, minuta mala committent? furabuntur, muros fodient, marſupia incident, expoliabunt, prædabuntur, ſacra rapient, captos homines ſervire cogent, nec non calumniabuntur; quandoque ſi dicendo facundi ſint, perjuriis decipient homines: muneribus corrumpent judices.* Haud prope accedit, ut eſt in proverbio, civitati talis miſeria. nemo enim eſt ſponte malus, ſed propter pravum corporis habitum, rudemque educationem, malus omnis, fit malus. nec eſt qui caveat capite alieno. non ergo ſolum ſub veræ ſapientiæ præceptoribus, ſed ſub libera & ingenua libertate, ſit noſtra filiorum educatio, ſevera & non lubrica; ne illis virtutis aſpiratu, quod Arideo accidat, qui dum aſcendere tentaret, hiatus minime permittebat, ac ex alto depreſſus, iterum & fataliter nitebatur aſcendere: eſt enim educationis diſciplina, ea vitæ à pueritia inſtitutio, quæ in amorem virtutis paulatim adducit animam puerilem: prava utique diſciplina, victoriam ſui præſtat: victoria nonnunquam negligentiam & ruditatem gignit; multi enim victoria elati, alia quoque vitia multa per inſolentiam contraxere: vera quippe diſciplina, nulla unquam Cadmea fuit; qua victor vinceretur: cujus defectu nos noſtrique liberi viritim pœnas damus: humanum genus natura quadam inſita, immortalitatem deſiderat; cujus rei quiſque natura ſummopere cupidus eſt: nemo enim non deſiderat perpetuum apud poſteros fieri, quoniam ideo in ſempiternum durat quod filiorum filios relinquendo, optime educatos, unum & idem ſemper per generationem immortalitatem adipiſcatur. nefas eſt ergo immortalitate ſe ipſum ſponte privare: hac ſe ſponte privat, qui negligit filios in ſevera diſciplina continere: & qui hanc legem negligit, honorum Reip. particeps non ſit, dixit Plato: nemo igitur liberorum gratia, pecuniis cumulandis incumbat, ut relinquat ditiſſimos, ſi veram non quærit diſciplinam; neque enim ipſis neque civitati id conducit. Sed ſenſus tum adulatione vacuus, tum rerum neceſſariarum non indigens, omnium decentiſſimus eſt. Adhuc in bello vaſtata civitate cives adulterina diſciplina educati, ſuſcipiendi non ſunt, dixit Plato; *neceſſitatem enim*, ut fert parœmia, *nec Deus violat*; nam delitias, difficiles, moroſos, iracundos, & levi de cauſa excitabundos juvenum mores parere, docet experientia: contra vero nimia ſervitus & atrox, cum abjectos & illiberales & humana peroſos facere: ſeveri patres ſeverius educant filios, filiorum modeſtia delectantur; ideo illos triſtiori continent diſciplina: hujus quod ſæculi conditio magis fræno quam calcaribus indiget: educatione homo diſtat à pecude, Græcus à Barbaro, liber à ſervo, Philoſophus ab imperito: ô utinam ſub aquila & ſignis omnes educarentur: ibi enim ſeveriſſime obſervantur præcepta, & acerrime puniuntur delicta, abſque eo quod judices corrumpat avaritia; Licet & armorum judicium jam olim corrumpi cerneremus: ideo Herus Harmonius apud inferos teſtatur ſe vidiſſe animam Aiacis Telamonii, leonis vitam elegiſſe, fieri hominem fugientem, dum armorum judicium olim datum mente revolveret: ac ultimam ſortem Ulyſſis animum elegiſſe, ac præteritorum laborum memoria, vitam privati incurioſi hominis; eamque vix tandem alicubi jacentem, & neglectam, ab aliis reperiſſe, dicentem, non aliam ſe vitam electuram, etiam ſi ſortem primam nacta eſſet.

Ad utilitatem Reip. pertinet, & principis honorem, optimos eligere; quoniam *imperando pauci apti, omnes obſequio* ſufficiunt; nam ultra modum libertas ſocietatem præcipitat & pacem: id magis vitandum cenſui, ne pervicacia quorundam miniſtrorum irritetur animus ſemper ſuſpenſus; & vultus quoque ac ſermones omnium circunſpectans: oportet ſe meminiſſe temporum, quibus natus ſit; quam civitatis formam patres avique inſtituerint; recens quid imperet neceſſitas, ac contraria æqua lance perpendere: ulteriora mirari, præſentia ſequi, bonos imperatores voto expetere, qualeſcunque tolerare: libertas majeſtuoſam auctoritatem æquet, libertatem auctoritas, aut intra metas conſiſtat: ſed illud pejus eſt, quod auctoritatem habemus ſenum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, ſed infantium: illi levia, hi falſa formidabant; nos utraque. Noveris generoſam animi celſitudinem natura etiam multis animalibus datam: virtutem ſolam proprium hominis bonum eſſe; deos fortioribus adeſſe, cum unam in audaciam ſpem ſalutis poſuere: ſed interdum in diligentia veri, & adulandi libidine cuncta miſcentur, aut crudelitate gubernantium, aut ignavia: ne te præcipitet populi ſemper implacidi querimonia, aut in neceſſaria libertate coërceat; nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt; ſed tributa ſemper feruntur graviter: nec eſt lex ulla inſanienti populo: inter hæc plerique vana & ſine viribus nomina ſibi impoſuerunt, ut majora viribus aggrederentur,

4 Hiſt. 1.

Dialog. 9. de Rep.

Plat. Dialog. 1. de leg.

Dialog. 4. de leg.

Plato dialogo 10. de Rep.

tur, quæ ædificia defectu fundamenti corruere; ideo forte Germani, consilio & auctoritate simul, nihil neque publicæ neque privatæ rei, nisi armati agunt: at interdum exhortationes & consilia melius audiuntur auctoritate suadendi, quam jubendi potestate, maxime apud illos qui jugum servitutis ægre ferunt: idque pretium virtutis est, ac virium argumentum, quod ut superiores agant, non per injurias assequantur. Neque ad famam quidem, (cui etiam boni indulgent) libertatem valore aut per artem quæsieris, nisi utili Reip. conducat; nec illa cedat in vanitatis pretium.

Tacit. Germania 2.

Procul ab æmulatione adversus collegas, & à contentione in dicendo, attente & simpliciter, tuam dixeris sententiam: *Nam Julius Agricola,* infit Tacitus, *in comitiis vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur: fronte non caperata promptus in spem, firmus adversis, semper oportet dicere. Nam apud nostros ea insequuta sunt Reip. tempora, veluti sub Domitiano olim, quæ silere Julium Agricolam non sinerent, aut ob temeritatem, aut ignaviam gubernantium, & ducum; quare cum damna damnis continuarentur, poscebatur ore vulgi Dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine aliorum: & sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur; quia non contumacia, nec inani jactatione libertatis famam fatumque provocabat; quod huic nostro sæculo fortuna denegavit: quoniam si quis nostrum valore, aut constantia, gloriam promoverit in bello, aut in pace; non in gloriam præceps, sed, aut in otium iners aut fatale exilium, mittebatur, ubi valor, constantia, gloria, & libertas aut cederet veneno implacidæ fortunæ, aut livori; neque laudandi viros illustres libertas nobis relicta est: & apud nostros vidimus quod de aliis legimus, cum Aruleno Rustico Petus Trasea, Herenio Senecione, Priscus Elvidius, laudati essent, capitale fuisse, neque in nos modo auctores, dixit Tacitus, sed in liberos quoque eorum sævitum, delegato trium viris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum, in comitio ac foro urerentur: scilicet illo igne, vocem populi Romani & libertatem senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur: expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exilium acta; ne quid usquam honestum occurreret, ut segnitia cum otio intraret: emissa pariter virtute ac libertate, dedimus profecto grande patientiæ documentum; & sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid ultimum in servitute, adempto per inquisitiones & loquendi & audiendi commercio: memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere,* hæc Tacitus.

Tacitus Agricolæ 8.

De duplici fortuna, insita & arte comparata.

Fortunam, necessitatem, & fatum adoravit antiquitas; ac differentiam inter illa asterisco notavit. Thales validissimam *necessitatem* dixit, cum mundo dominetur: Parmenides & Democritus, omnia necessario evenire, eamdemque ipsam esse cum Fato, cum ipsa Providentia & judicio. Plato quædam in Providentiam, in Necessitatem quædam retulit; Necessitatis essentiam Empedocles, causam principiis & elementis utentem arbitratur: Democritus resistentiam, motum & impetum naturæ, & Plato materiam interdum, & interdum habitum ejus qui circa materiam operatur: Heraclitus omnia *fato* evenire contendit; ac ideo à *necessitate* non distinxit; at Tullius & Plato majorem partem tribuunt *libertati*: Stoïci Platonem hac in parte sequuntur; *necessitatem* attamen definiunt, per insuperabilem & violentam causam: *fatum* vero illam causarum seriem dixerunt; in qua illa quoque causa continetur, quæ nobis ipsis inest, ut quædam fato fiant, quædam aliter: *fati* vero essentiam Heraclitus finit, per rationem, substantiam universi permeantem: corpus æthereum, dixit alter, quæ tanquam semine gignitur universum: ac tandem Plato, perennem rationem, & legem naturæ totius universi. Chrysippus vim ordine cuncta gubernantem dixit. *Est enim,* inquit, *lex quædam & ratio naturæ, cujus providentia omnia quæ sunt in mundo gubernantur; vel ratio per quam orta sunt omnia, oriuntur nascentia, oritura nascentur.* Causarum seriem Stoïci dixerunt; hoc est ordinem & nexum intransgressibilem; tertium à Jove Fatum, constituit Possidonius, ut primus sit *Iupiter*, & secunda *Natura*, tertium vero *Fatum*. Aliquid ergo est Fatum, quoniam si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, & forte temere, casu, aut pleraque fierent, aut omnia: & si omnino nihil est, ad rerum naturam fortunamve, omnia referantur oportet. Quare qui introducunt causarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devinciunt, & nihil liberum in nobis relinquunt; & velut Epicurus, cum ita animus moveatur, atomorum motu cogi asserit: quod maluit accipere Democritus, & omnia necessitate fieri confiteri. Sed illum cum bona gratia dimittamus: & ad aliorum sententias veniamus, qui docebant, omnia ab animi motu voluntario fieri; sed illud sine causa, antecedente & externa, intellige; non sine causa penitus: motus enim voluntarius eam naturam in se ipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; neque id sine causa: ejus enim rei causa ipsa natura est; aut prorsus à causis externis: unde hæc illis erat conclusio: si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt: quod si ita est, omnia necessitate efficiunt, & nihil in nostra potestate erit. Quare duæ veterum Philosophorum extitere sententiæ; una eorum qui censerent omnia ita Fato fieri, ut id fatum non vim necessitatis afferret: in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles & Aristoteles fuit; ut asseruit Tullius. Altera est eorum qui æstimant, sine ullo fato esse animorum motus voluntarios. Chrysippus autem medium tenet iter, licet magis ad *fati* necessitatem relabatur: dicit enim quod res fiunt à causis quæ in nostra potestate non sunt; aut aliter contingunt illas omnino *Fato* fieri asserit: quę autem in nostra potestate sunt, in his fatum abesse: & huic sententiæ videtur Tullius inclinare: *Hoc enim modo,* inquit, *hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus & de via declinantibus præsidium petere; nam vim habebat atomus ut dicebat Democritus ab impulsione, quam ille dixit plagam, seu ut dixit Epicurus ab ipsa gravitate & pondere. Quare fati decretum immutabile, divini Numinis attulit providentia, sub*

Lib. de Fato.

Lib. de Fato.

sub libera hominis voluntate libratum; non quod prima causa actum voluntatis necessitet, sed agnoscat; sunt enim assensiones atque actiones in nostra potestate: aliter enim nec essent laudationes justæ, nec vituperationes, honores, nec supplicia: quare recte concluditur, quod in hoc fati essentia consistit. Pleraque etiam extra Fatum esse videntur: illa nempe quæ maxime hominis violentia, extra humanitatis limites, exterminat: quæ violenta sunt, ut quæ hominibus ex suæ sortis homine nil tale sperantibus adveniunt: id non tantum dixisse, sed prædixisse legimus Ciceronem, primo Antoniarum: *Hunc igitur*, inquit, *ut sequerer, properavi, quem præsentes non sunt sequuti, non ut proficerem aliquid, (neque enim sperabam id, nec præstare poteram) sed ut si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur, præter naturam, etiam præter Fatum) hujus diei vocem, testem Reip. relinquerem, meæ perpetuæ erga se voluntatis.* Præter naturam esse quæ violentia veniunt, non est dubium: præter fatum etiam, non tantum est nostra, sed Gellii sententia, 13 *Noct. attic. cap.* 1. intra Fatum omnia fere clauserunt veteres, quæ natura dominante adveniunt: ab his tamen excipiunt quæ rapit violentia: *Nihil autem dubium est*, inquit, *quin violentam & inopinatam mortem significaverit Cicero, quæ quidem potest recte videri præter naturam.* Sed cur extra fatum posuerit, non est hujus loci: illud tamen non prætermittam, quod Virgilius quoque id ipsum, quod Cicero de fato, opinatus est, quando *libro* 4 *Æneidos*, de Morte violenta Elisæ sic scripsit:

Nam quia, nec fato, merita nec morte peribat.

Tanquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt, non videantur è fato, venire: quam certe sententiam, ex Demosthene pari facundia, ac sapientia viro, Cicero accepit, in quadam egregia & nobili oratione, quasi nulla res naturalis & fatalis ulla extrinsecus vi coacta adveniat. Ex his ergo colligitur Fatum apud veteres, in rebus illis tantum contineri, & illas gubernare, quæ naturaliter, perenni quadam vicissitudine, cursum peragunt suum: illas vero quas exterminat hominis violentia, extra communem cursum, hæc nulla Fati necessitate contineri, sed rapi, ad hominis arbitrium.

Fortunam definit Plato, per quandam occultam causam, quæ rebus insideat, quas facere eligimus: causam Aristoteles dixit, quæ ipsis rebus inest, quas libertate facimus, obscuram tamen & instabilem. *A Fato tamen in hoc Fortuna differt*, dicit ille, *quia quæ fortuna fiunt, casu fiunt, cum fortuna in nostris tantum consistat actionibus: quæ vero à fato, non à fortuna omnia, non enim omne fatum ad nostras pertinet actiones; ac ideo fortuna tantum hominibus spectat, & fatum non ad homines tantum, sed ad bruta, & cætera universi individua, licet careant sensu*; Epicurus inconstantem & ipse causam dixit, modis, personis & temporibus, Fortunam. Anaxagoras etiam cum Stoicis, causam quam humanus intellectus non assequitur: & concludit ex rebus, alia quidem necessitate, alia fato, alia electione, alia fortuna, & alia tandem casu fieri. Si hæc ita contingunt, nonne summæ dementiæ erit, sese divinæ providentiæ oblitum manibus fortunæ committere? furor est profecto, furor; apage grande malũ à mentibus Christianis. Cum fortunæ inconstantem naturam veteres indicare

A constituissent, eam sive pingendam susceperint, sive fingendam, in fœmineam speciem exprimere non contenti, (licet hoc amentiæ signum satis esset) gubernaculum ejus manibus habendum, basim pedibus globosam subjecerunt; eam denique orbatam oculis effinxerunt: ut per has figurandi rationes, Fortunæ inconstantiam denotarent: ut igitur in navi ideo tempestatibus jactata, ut & fluctibus obrui, & mergi periclitetur, ejus gubernaculum cæco gubernatori male commendari putaverim. Sic in vita quoque diligenda ubi nau-
B fragia domibus majora, quam in mari contingunt, non recti judicii est: qui per hæc rerum discrimina sese Deæ eidemque mutabili credat: quippe quæ tam stupida tamque amens est, ut plerunque & digniores negligat, & exaltet indignos; tribuendo divitias, easque non stabiles, sed quas eadem, qua dedit ratione, eripiat. Deam hanc inscia hominum maximo numero turba comitatur: sed stabili sede non quiescit, imo basi innixa volubili, late rapitur vaga, fertur in præcipitia, ut in pelagus ruat, ubi & ejus miseri seque-
C ces pari nece intereant: at illa absque noxa evadit, & miseros demittit, ac lugentes irridet. Hoc etiam agnoverunt Platonici, & cæteri Philosophi diserti. *Fortunam* cum Apelles *sedentem* depinxisset; quare ita; quæsitus: *Quia nunquam stetit*, respondit, & ambiguo certe responso lusit: *stare* enim non tantum apud Græcos, verum apud Latinos, non tantu *rectum esse*, sed etiam *permanentem* significat. Volubilis & instabilis dicitur, quod Veteres adumbrare volentes, ut Eusebius dixit, in pila sedentem effingebant; cui etiam &
D alas addiderunt, ut velocissimam transmutationem denotarent: id quod Horatius illo carmine cecinit:

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax: *Lib. 3. Oda 29.*
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc aliis benigna;
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quæro.

E Thebanus Cebes in tabula, quam de Fortuna dedit, cæcam mulierem depingit & amentem, quæ insistit sub lapide rotundo; sedentem supra Cylindrum. Artemidorus & comptam & ornatam, aliquando incultam, in manu gubernaculum: ut legitur expressa in antiquis monetis. Extat etiam in antiquis lapidibus caduceus, binæ quem circundant serpentes, in cujus vertice pileus alatus prominet, & utrimque duæ cornu copiæ, ut utramque fortunam nobilis designaret antiquitas: & illa quæ sagaci solertia consequi-
F tur, & illa quæ fortuito venit: & non tantum ut bonam fortunam designarent, ceu voluit Vincentius. Et tantum plerique fortunæ detulerunt, ut virtus parum absque illa existiment prodesse; ut licet ad egregia facinora nos concitet, nisi *fortuna comite* non ascendat fastigia; ac ideo illam finxere Deam: nihilominus tamen *suæ quemquam esse fortunæ architectum*: bonæ, si bene iis quæ nobis sese offerunt, uti sciverit: malæ, si illa male sana prudentia digerit. Hoc enim est commune judicium sapientum. Sic Seneca scripsit ad Lusilum: *Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna; valen-*

valentior enim omni fortuna est animus, qui res ducit ad extremorum aliquod: ac ideo beata miseraque vitæ causa est; quare cum male cedit, est nostra imprudentiæ partus; & cum bene, non semper est filia prudentiæ. Ideo forte hominum vetustissimi, *Occasionis* imaginem *Fortunæ* simillimam depinxerunt; ac inter Deos etiam retulerunt, ne absque vigilantia temporum momenta præterirent: res enim temporibus & fluunt & mutantur; & in idem flumen bis non descendimus. *Occasionis* olim illa erat imago: *nuda* mulier, rotæ pedibus aut pilæ insistebat, in fronte erant longi capilli, cæterum occipitio recalvastra, & pedibus alata, quam semper comitabatur *Pœnitentia*; nam occasione elapsa, solus dolor relinquitur. Sic *Occasionis* Phidias effinxit simulacrum, de quo Ausonii elegans legitur epigramma. Et Latini & Græci eam ut Deam coluerunt; hujus altare positum apud Ælios, Pausanias enarrat, ac inter Saturni filias numerasse illam vetustas dixit. Calistratus masculi generis *occasionem* fecit, ad exemplum fortasse Posidippi, inter Græcos Poëtas nobilissimus, ac καιρὸν Deum ipsum vocitarunt; puerum effinxerunt & florentis ætatis formosum, & crinibus sparsis; quod sit Fortunæ comes: nihil enim æque facit Fortunam ac Occasio. Scythæ Fortunam sine pedibus, sed manibus alatis, effinxerunt, ut refert Quintus Curtius, tam cito evolantem, ut adhuc manibus porrectis non comprehendas; & licet videatur nostris manus suas junxisse; manus abstrahit, lubricas pennas porrigit, ne possit comprehendi, ut semper sui juris persistat: instabilis ideo est illius fœlicitas; dat enim, ut habeat quod auferat: ideo forte vitrea à plerisque describitur; quoniam, sicut vitrum, ad quamvis levem occasionem frangitur; sicut fortunæ dona, quæ quavis adversa fortuna facile collabuntur. Et tantum Fortunæ veteres crediderunt potentiæ, ut Spartianus de Severo imperatore dicat: *Jussisse eum, cum esset morti proximus, ut duo fortunæ simulacra in duorum filiorum cubicula deferrentur, divisis inter se diebus, quod divisum esset inter illos imperium:* ut Antoninus Pius, qui Fortunæ etiam simulacrum in Marci Antonini cubiculum transferendum curavit; quod translati imperii signum esset. Apud Ælios fuisse Fortunæ simulacrum, ex ligno inaurato, cum manibus & pedibus marmoreis, Pausanias scribit: & refert in Achaicis Ægiræ fuisse Fortunæ simulacrum, dextera *Cornu-copiam*, & alia *Cupidinem* complectens. Alii Fortunam depinxerunt, in mare fluctibus agitato: alii in altissimi cautis aut prærupti montis, constituerunt culmine: alii tandem super equum imposuere velocissimum, eamque *Fatum* arcu intento insequentem effinxerunt; tanquam quæ fati vi semper exagitetur. Ibi enim est fatum, ubi nullus est Fortunæ locus; sub Lunæ figura Fortunam fingi fecit Macrobius, ac si æqualis esset utriusq; influxus in hæc inferiora, quæ variis Fortunæ casibus sunt obnoxia; & perinde mutantur, & à quibus rerum ortus & interitus pendeat: ac ideo ex Pindaro Pausanias Fortunam Parcarum dixit maximam, cæterisque plus virium fuisse, existimavit.

His ergo in cultum Deorum superstitiosæ vetustati derelictis, ad veram Fortunæ rationem veniamus: Deus rerum omnium opifex, omnia in pondere & mensura creavit; hæc omnia eadem actione, justicia conservat: ita ut semper ab illius pendeat actione, & conservatione: ergo naturalis rerum vicissitudo, & perennis generationis transmutatio, sub illo celebratur concursu: & hoc est certe opus divinæ providentiæ: quo omnia gubernat, ergo in illa etiam & est fati necessitas, & lex fortunæ tacita, quæ rebus ipsis inest, quas libertate facimus: cum rebus ipsis nulla insit necessitas, sui ratione intrinseca, sed superius data, in illis quæ fluunt & refluunt fataliter in hoc rerum concursu: quæ possunt etiam aliter evenire, & de facto eveniunt, ad auctoris arbitrium, ut constat ex ipsa sacra pagina in Rege Ezechia, & solis cursu retrogrado; ad Aronis imperium divina permissione Numinis, quod omnia gubernat; sed quia divina providentia rerum naturalium medio operatur, videamus quæ sit res naturalis, quæ dicitur *Fortuna*. Est enim *Fortuna innata quædam virtus, qua fœlicitatem promeretur: interdum habitus operandi fœliciter, quatenus ad finem fœlicitatis conducit; cujus motus principium est ab ipsa divina providentia, dum per causas secundas operatur, ad insitam & naturalem legem liberrimi arbitrii; & in perfectionem universi.* Hic duplicem fortunam tibi adnotare par erit; & quæ à generationis primordiis resultat, veluti fortitudo & audacia, & virtus in magnete tractiva; & hæc nobiscum nascitur, ut cæteræ animi passiones; nam Fortuna (si divinam providentiam excipias,) si qua datur inter humana naturalis, aut movet intellectum, aut voluntatem movet, fœlicitatis tempore: & si fœlicitas, absque motione intellectus, adveniat, ut cum subito venit, absque prævisione, & ab innata fœlicitate trahitur, & promeretur ex singulari dispensatione divinæ providentiæ, est illud argumento quod videamus homines torpentes & ignavos adhuc invitos, ad ipsam fœlicitatem trahi & divitiis & honoribus perenniter affluere. Et est alia artificialis fœlicitas, quæ arte comparatur, & consequitur per artem: *Et est habitus operandi fœliciter.* Hanc dirigit prudentia & gubernat sagacitas: hujus *fortunæ est mater diligentia*, ut dixit adagiolum: hæc autem cui præcipue diligentiæ sit, non est humani judicii definire; nam alius alio modo & suopte ingenio quisque terminat: omnem tamen fœlicitatem, perennis rerum vicissitudo agitat, cum ad summum pervenit, (cum aliis nec medium attingat,) ut labatur oportet; si alibi quiescit: nam feruntur res humanæ, non consistunt, & fluxu perenni dilabuntur. At fere semper nos latent causæ fœlicitatis, ut altissimi Numinis decreta: cum ignavos & impios videamus: summa fœlicitate beari, justos & sapientes agitari infœlici fortuna; quod & Maro cecinit de lubrica Fortuna.

O Fortuna potens, quam variabilis,
Tantum juris atrox quæ tibi vendicas!
Evertisque bonos, eligis improbos.
Nec servare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit;
Justos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, & retinet senes:
Injusto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, transit ad impios.
Nec discrimen habet, rectave judicat.

Inconstans, fragilis, perfida, lubrica;
Nec quos clarificat, perpetuo fovet.
Nec quos deseruit, perpetuo premit.

At prima illa insita & ingenita, à principiis generationis resultat, ab illa scilicet elementorum mixtione, ut aliæ proprietates indicibilis: est enim illa quæ resultat fortuna, aut temperamenti harmonia perfectissima, huic fœlicitati, aut quædam facultas indicibilis, quæ oritur ex proportione ac symmetria primarum qualitatum, quæ in principio formationis ad talem fœlicitatem inclinat: & si non est intellectus operatio, est res unica quæ movet intellectum, in tempore & occasione fœlicitatis, media ad fœlicem finem imperare; hæc est unica species entresiasmi, quæ inscium reddit eloquentem, fatuum sapientem; ac fœliciter semper operantem, ex virtute ultimæ individuationis talis temperamenti: quæ non tantum in proprio subjecto operatur; sed ad extra propriam inducit qualitatem, ut cæteros ad fœlicem inclinet: quare inter nos ad fores cordis pulsant actiones aliis inutiles, nobis fœlices, à rebus orientes nobis prorsus ignotis: & ut clarius dicam, est inspiratus furor, veluti, Oratoribus & Poëtis contingit: hoc est nobis fortuna: hæc est temperamenti incantatio, sicut linguæ quæ omnes hominis partes, ut illi obsequantur, compellit. Difficile creditu quibusdam fuit, quod fortuna quæ à prima generatione resultat, hominem non reddat æqualiter fœlicem, ac per omnes ætates fortunatum; seu illa sit facultas, seu proprietas quædam indicibilis: cum aliis desinat in juventa, & plerisque senectute incipiat. His tamen respondemus, quod aliis fortuna perennat, quibus à primordiis generationis fœlicitas enascitur, ut de Romulo legimus; cui nihil adversi in vita contigisse, illa vetustas dixit: sed alios fœlicitat ad tempus; hæc fortuna incipit aliquibus: cum proportio, fœlicitati apta, ad symmetriam fortunatam resultat: aliis ad juventam: plerisque ad maturam ætatem: ad senectam paucissimis; semper occulta & semper indicibilis per effectus soli fœlici nota: vocitatur *instabilis*, non quod à bono cesset, sed quod cedat meliori fortunæ: licet mihi illud maxime fortunæ instabilitati conducere natum sit, ipsa rerum vicissitudo & perennitas: nam alios à fœlici præcipitat statu, aut principis ignavia, aut tyrannis; aut privi amici Regis, politica crudelis, aut morosa conditio: popularis tumultus, & bella intestina. Hæc & pleraque alia, quæ pendent ex libero arbitrio, hominem perpetuo fœlicem esse non sinunt: veluti qui ad annum sexagesimum juste victurus erat, quadam morte violenta interpellatur.

Nec ex Philosophis plerique defuerunt, qui vim fati fortunæ privilegium in divinam providentiam retulerint; & maxime Platonici; (viri, arbitri moralis Philosophiæ.) *Dii sunt fati duces,* dixit Jamblichus Platonicus, *ab iis à fati vinculis liberantur; fortunam elargiuntur Dii: postremæ naturæ hoc est mentes humanæ, à Diis descendentes mundi generationem corpusque complexæ, fatum perficiunt; rursus fati clavos adamantinos Diis ipsis non impingimus; quos uti solutores fati colimus: merito itaque Diis omnem sanctitatis cultum ferimus, eo quod soli per intellectualem Suadelam, necessitati imperantes, mala omnia, à fato venientia prorsus absolvunt.* Quantumvis dicat Plato, *neminem vitare posse fatum*: præterea non omnia in natura fati devincta sunt, si alterum animæ principium spectemus, Deo communicans; si vero alterum, erant Dii fati duces, qui vitas hominum insolubilibus devincunt Parcarum staminibus. Ideo forte vetustas fecit Parcas *necessitatis filias*: Lachesis præterita, præsentia Clotho, Atropos futura prædicebat: *Jupiter apud nos,* dixit Seneca, *est mundi rector, animus & spiritus universi: vis illum fatum vocitare, non errabis: ex illo enim suspensa sunt omnia, ex quo sunt omnes causæ causarum: vis illum dicere Providentiam, recte dices; nam huic mundo providet: vis illum naturam vocitare, non peccabis; est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus: vis illum vocare mundum, non falleris: ipse enim est totum quod vides, & sustinet vi sua.* Et ideo à Jove fulmina mitti dixerunt, quia sine illo nihil genitum: fatum enim existimo necessitatem rerum omnium, actionumque; quam nulla vis rumpat: & est veluti series implexa causarum; hinc Heraclitus fatum omnia gubernare contendit; ac Democritus cuncta secundum necessitatem fieri, cum sit rerum necessitas fatalis. Potitus Crœso Cyrus, *quis te ad bellum impulit?* quæsivit. *Ego,* inquit Rex, *hoc feci, tuo prospero, meo infausto fato: neque enim quispiam ita amens est, ut bellum, quam pacem optet; nam in pace filii patres, in bello autem patres filios sepeliunt: sortem enim fato destinatam fugere, Deo quoque est impossibile. Properantius quam prudentius feci,* dixit Cambyses, (extremum lugens fatum) *neque enim in hominis manu situm est avertere quod eventurum est*; ac tandem omnem suam conditionem flevit: nam malorum proprium est in fine flere. Homines enim, à cœlestium Deorum auspiciis, absolvuntur à nodo fatali; quoniam intellectualis actio, perfectissima naturæ, imperium tenuit: & vertibiles esse Deos, ut Homerus putabat, nefas erit: nam sacri cultus opera, ab initio constant decreta, sanctissimis legibus, ac intellectualibus; tum altiore & potestate inferiora solvuntur: & cum primum nos transitum fecerimus in fœliciorem statum, protinus à deterioribus avellemur: nam in hoc nihil proficitur, nisi instituto sempiterno & immutabili: fœlicitatem & fortunam suis numeris Pythagoras adscripsit, perfectissimo & summam & pulcherrimam, ut septimo & trino; minus perfecto aliam: in primo posuit sanitatem, velut fortunæ sobolem; secundo, pulcritudinem, divitias, in tertio, sensuum acumina, in quarto; dispositionem tyrannidum in quinto; hoc est Politicam in regno conquirendo & conservando. Quare fœlicitas vel est prudentia; vel non est sine illa: nam sapere & contemplari, opus virtutis est; & hoc primo mortalibus hominibus eligendam arbitror propter quod unumquodque appetitur; nam illud si est, altero melius prudentia desideratur; illa ergo quæ magis ad fortunam conducit, erit potius eligenda: ex his constat, apud veteres utramque fortunam celebrari.

Se mento 8. cap. 7 & 8.

Amorem & benevolentiam infortunatum fœlicitas influxit; illi autem securius conservantur, quorum amoris principia ignoramus: interdum astra influunt & inclinant; sed non semper fœliciter: & quod transit influxus ante impressionem, & quod recipiatur in subjecto patibili & mutabili. Beneficia etiam aliquando hominem reddide-

reddidere fœlicem, si terra beneficio grata inseruntur; si vero in sterili & avara, in tribulos & amaritudinem vertit beneficium: Saul triumphantis David non recordatur, qui antea illi erat gratissimus; forsan quia *memoria beneficii est ingrata:* nunc *beneficii memoriam,* delevit, quæ *in solo beneficio* consistit: interdum benevolentia ante genitorem moritur; & inde ruit privi amici Regis benevolentia, quia Rex illum ut creditorem adspicit, & forte injusti alicujus facinoris; quare horret ad illius aspectum, & ut inimicum odit. Dubitavit quispiam, an amoris principia inclinationisve, ab intrinseco principio oriantur, an à fortuna oriendi gubernentur; & arbitrum hujus eventus fatum constituit; & cum sorte oriendi copulavit, ac omnia fere reduxit ad astrorum influxus: & addit; si aliam noverunt rationem politici, hanc audirem. Hæc non docentur, sed nobiscum nascuntur. Illud tamen astrorum influxu fœlici videtur repugnare, quod si duo, in paribus momentis oriantur; quare non utrique fœlicitas influxit? alius enim duxit vitam miserrimam, & alius fœlicem. Quare par erit credere, aut ex virtute ultimæ individuationis dimanasse, aut ex acri solertia. Bene poterit aliquis per valorem ascendere, aut altam sapientiam: per illa tamen æstimationem consequetur, non amorem. *Amorem* dixerunt aliqui *Copiæ* & *Inopiæ filium:* alius amor, ex similitudine nascitur: ex cœlo alter: & stellarum influxu, ex æquali consuetudine alter: ac tandem alius ex specifica hominis pulcritudine: occultam potius dicerem sympathiam. Credimus equidem quod stellæ aliæ influunt amicitiam, & amorem aliæ: hæ, veluti characterem & amabilitatis impressionem in subjecto producunt, quæ non oritur ex temperamento: quin imo continet nescio quid cœleste, quod astrorum influxus in formatione in tenerrimo corpore impressit: & ille erit, ædepol, amabilior, qui magis de charactere participat, & qui minus, tantum erit benevolentiæ objectum, non amoris: quoniam pulcrum est amoris objectum, non qua simile sed amabile: aliter enim non esset in cœlo, in Deum talis amor: & si aliquando æqualem pulcritudinem diligimus: illud aut reflexione accidit; aut quia pulcriorem non vidimus: si bene divina pulcritudo est unicum primum & ultimum amoris objectum, quod solum ultimum voluntatis affectum satiatur: sola enim pulcritudo hanc habuit sortem, ut maxime omnium perspicua & amabilis sit: quod si daretur intus aspici anima, quæ in occulto latet, omnes contineret in ecstasi potentias: sed quia viatores divinum non aspicimus lumen, super illam reflectimus pulcritudinem quæ à cœlo in nobis impressa manet; hæc in humorum symmetria non consistit, neque in imagine; ideo pulcriores non sunt magis dilecti: & si reflexio reciproca deficiat, in amore mutantur: & si sola pulcritudo diligitur, non erit reciproca dilectio: Diogenes *donum formæ* vocavit pulcritudinem: *modici temporis tyrannidem* Socrates: Plato *naturæ privilegium*: *Tacitam deceptionem* Theophrastus; *eburneum detrimentum* Theocritus, *Regnum solitarium* Carneades.

Fortunam, ut instabilem; super rotam subnixam prisca depinxit ætas: immerito infamatur fortuna: volubilis enim, fragilis est ipsa natura rerum, quibus fortuna imperat: hæc nihil firmum permittit, nec stabile; ac ideo fœlicitas, pulcritudo, & salus, in ascensu labuntur, intrinseca mutabilitatis ratione: & cum hac prosperiora clam insidiatur periculum: non possunt res humanæ in eodem statu permanere, dum fœlicem diem præoccupat infœlix. *Virtute quacunque vulgo placent, quæ casus attribuit, & omne fortuitum bonum suspitiosi, pavidique subsistite*, dixit Seneca; *munera ista quæ fortunæ putatis, insidiæ sunt; maxima quaque bona solicita, nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ credatur: alia fœlicitate ad tuendam fœlicitatem opus est: & pro ipsis quæ successerunt votis facienda sunt vota: omne enim quod fortuito venit, instabile est; quo altius surrexit, vergit protinus in occasum; ac ideo inter secunda moderatus esto, inter adversa prudens.* Alios vero econtra, (rarissimo miraculo,) à summa miseria, ad summam fœlicitatem duxit, ut nulla inter illa extrema detur quies: in cistula ad mare projiciuntur pueri, & Romulus & Remus: vicit crudelitatem fati maris misericordia; nam pueros ex medio elementi ad margines transponit; ploratum puerorum audivit lupa, seu mulier feræ similis, nomine aut educatione: quos mare pie obtulit, accipit sinu pueros, suaviter blanditur, impense admiratur: obtulit pia ubera, ac alit, quos mater, & omnis humana pietas deseruit. miraculosa! grande fatum, promittunt grandia, pollicentur inaudita; puerorum miraculum pastori Fausto fortuna obtulit, & in furti compendio Regalem miratur majestatem, & in casu stellarum influxum admiratur; cum sponte intrepidus se salvatorem obtulit: sub principis enim decore nescio quid divinum sub majestate latet, forsitan à cœlesti influxu, à divina harmonia aut splendore luminis: illos cum accipit, sub proprio tugurio pueros Laurentæ uxori tradit alendos: hos unicum sustinet elementum, unica fera alit, unicus pastor fovet, eventus futuri in prodigium: hæc cœlum nunquam ostentat magna, veluti & cometas nisi in Regis caput; quoniam cum causam universalem agat, licet unicus sit, si est in principe, universale agit; vitia enim principis & virtutes, populus experitur læto aut tristi fato.

Non est fœlicitas ubi non est securitas; ideo muniuntur civitates & sub principis augurio fœlicis dulcescit servitus, ac ingrata feruntur tributa; inde conservatur societas, & crescit opulentia Regni & subditorum: illud tamen abditum & occultum non est humanæ mentis, quod interdum fœlicitas seditiosos elevat, comitatur injustos, beat seditiones, & clarescit inter tumultus belli; ut quos non ditarit pacis securitas, ipsa fœlicitet rerum vicissitudo: fortuna fœlicibus in supplicium dedit invidiam: & miseris pro auxilio & utilitate, compassionis affectum: quia abjectum restituere, caritatem redolet: quod si lucrum non obstet, noxia minus est fœlicibus invidia, quæ non nocet, quam miseris compassionis affectus, si non utilis: non à fortuna, neque gratis accipit principatum, qui accepit ab alio: nam inter duo nutat creditor extrema, quoniam ab alio accipere de vilitate arguit, si ad gratitudinis leges, non rependit æqualiter; & æquare beneficio fere est impossibile, ut alterius imperio subjici, non facile, ipsa fœlicitate jam potito: obligationi

gationi non nisi imperio fit satis: quis totis animis illud obtulit? nullus fere: ideo forte in odium vertitur beneficium; nam libenter munus accipimus, non dantem: & cum ad retributionem non sufficimus, gratiam fragilitas nostra in odium convertit: & nullum est odium perniciosius, quam ex violati beneficii pudore: ut si obligationem tollere non sit possibile; saltem beneficum tollere optamus: nam quod ab inferiori accipitur, de vilitate arguit: & parem solicitat gratiam memoria beneficii; & beneficio æquare, est æquare benefico: quod si magnanimi nomen B non assequatur, fortasse non excusat ingrati: Ideo *Alexander à nullo se victum beneficiis gloriatur:* de eodem tamen potuit Socrates gloriari, de eodem Diogenes, à quo victus est: cum illis nec dare quidquam potuerit, nec eripere. Rogavit Socratem Archelaus, *ut ad se veniret invitatus; nolo*, inquit, *capere beneficia ab illo cui paria rependere non possum.* Nihil dat, qui honorem non dat; nec tulit gratis, qui cum rogasset, accepit: nulla res carius constat, quam precibus empta: detrahenda est de beneficio jactantia inanis. res loquentur nobis tacentibus: non tantum ingratum, sed C invisum est beneficium, superbe datum. hæc enim beneficii inter duos lex est; *alter statim oblivisci debet dati:* alter, *accepti nunquam.* ad Martialis regulam.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo? Posthume tu loqueris,
Non belle faciunt quædam duo, sufficit unus
Huic operi: si vis ut loquar, ipse tace.

Hoc ex paradoxis Stoicæ sectæ est mirabile, ne dicam incredibile; *Eum, qui libenter accepit beneficium, reddidisse.* Hoc illis temporibus erat, ubi D veritas valuit & justitia: sed est prorsus ridiculum in istis, ut cætera philosophiæ præcepta. in magno errore sunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, sinum ac domum replere: cum ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna, aut gloriæ ambitio. *Non est magni animi dare, & perdere. Hoc est magni animi, perdere & dare*; sed illud est magis lamentabile, quod *vitia vincuntur vitiis.*

Valor illustris interdum fortunam de potentia E naturæ eduxit. Inter fortunas heroum plerique præmaturam progenitoris mortem annumerant, quia nihilo fœlicius filios adjuvant quam moriendo: at regni fœlicior possessio in labore consistit, non in hæreditate; nam valor gloria immortali coronatur: ac ideo reor, quod minus fortunati sunt, qui nascuntur fœlices: nam clarus & obscurus de potentia valoris fortunam eduxerunt, ut Otho Magnus, & Africanus Scipio: nam semper res humanæ inter ancipitia clarescunt: ideo forte fœlicia ingenia raro quiescunt in statu præsenti; quoniam fœlicitas, in re- F bus, quæ non possidentur, quæritur; in possessione, inhians quiescit, sed non satiatur desiderium; nam credunt homines posse aliquando fœlicitatem consequi; semper fœlicitatis Tantali: neque miror; quoniam non datur augmentum ubi non datur motus. Et inde oritur, nullo in statu quiescere hominem, tædio præsentium, laudatorem temporis acti: *Fœlicissimus*, dixit Plato, *est ille, cujus animus vitia supergreditur*: est enim maximum hoc hominibus malum, secundo loco qui ab hu- *Dialog. Gorgias.*

A jus mundi malo liberatur, si jam correptus præterritusque pœnas dederit: pessime vero vivit qui injustus est: qui vero nec ab ipsa absolvitur justitia, miserrimus: motum appetere, præsenti non satiari, & futurum attendere, novitate attrahit, sed non detinet, nec in tempore nisi ob lucrum durat, aut ambitione devincit; imperii principio ubi parva auctoritas, magna repræsentatur; sed hæc magna est in progressu parva, ut hinc ægre feratur; fœlices actiones tenemur adjuvare antequam in letheo eas mergat confusio: nam mirabiles adorat reverentia, opera verbis illustriora fiunt, veritas apparentia commendatur; & omnia simul juvenes incitant ad majora, si non inerti oblivione delitescant; nam super res humanas prædominatur fatum, hoc est pereundi necessitas; at illas quanto magis fœlices, in hominum memoria æternitas commendat.

Mille implicat difficultates, fortunam gubernare: imperium æque, necessitas, ac labor, lacessivit: æque difficile est victoria bene uti; ac in prosperis, adversisve, se ad mensuram gerere: nec est regula quæ nos securos reddat rebellionis animorum; vel à livore, tutos aut perfidia: homines beneficiis capere, est impossibile; nec alia compensatur quam libertate servitus.

Sagacitas non tantum juvat sed conservat fortunam; hoc docuit Paulinus, cautus natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent; fœlices illi dicentur principes, quorum hereditas est acre subditorum ingenium; & qui fœliciter inter seditiosos populi tumultus introducuntur: sed illi fœlicissimi, qui sola morum severitate, citra omnem invidiam dominantur; nec sanguinis vindicta polluuntur: & sicut fluvii quanto magis à se ipsis recedunt, magis crescunt: fœliciora exempla avidius homines insequuntur, licet rara, quam ex virtute parta, si communia; velut aliud agentes in timore periculi, fortuna in bona plus enixi, quam de mala timentes: & ubi paritas deest, ad optatum confingunt, ubi revera noscunt disparitatem, ut magnanimi fiant aut vilescant: Valida Romanis semper aspiravit fortuna, illis semper magnifica; fortasse ob Romuli solertiam. Nam invalidum adhuc populum multi vicinorum in principio valuerunt opprimere; nullus præscivit: & cum facilis patuit debellatio, nullus vim intulit: in augmento ob commune periculum nemo periclitatur; ac tandem in statu omnes formidine perculsi, constiterunt: & ubi cunctis facilimum erat superare, in triumphum singuli dedere manus. Facilimum extitit his temporibus Lusitaniæ tumultum coërcere, ni fiducia nostri, nos plus posse quam possumus suaderet, & si nuda veritas ad majora principem concitaret; nam reor quod omnia illa sola principis præsentia, ut tenebræ confusæ evanescerent: facilius est augmentum impedire quam vitam: illorum sententiæ non assentior, qui omnia Romanorum facinora, soli fœlicitati adscripserunt, ac si horum fœlicitas foret nota injuriæ, non valoris; est enim in homine valor & audacia fortuna plausibilior; & animo intrepidus magis quam fortunatus, forte quod extra nos fortunam operari credimus, si illam non adspicimus: in hoc valde decipimur: est enim fortuna veluti quidam valor innatus, qui

Tacitus 2. hist. 5.

nos

nos movet in occasione & tempore fœlicitatis.

Ad valoris gloriam non sola fortuna sufficit, si hanc virtus non fovet, & clarificat: & hæc præmio & fide caret si deficit fortuna: nam virtus deificat fortunam;ista beat virtutem: ideo in hoc orbis theatro hos infœliciores æstimavi,quorum effectus fœlicia, aut infidelia anteirent consilia: quoniam isti cum fœlicitatis suæ reddere rationem non valeant, in illam absque ista præcipites feruntur: ac si fœlicitates jam elapsæ, prœludia futuræ forent gloriæ: an argumentum potius, jamjam advenientis miseriæ, inter orbis ludibria: ubi fœlix ille stellarum influxus, qui mane supra caput adstitit ad Zenith, vespere sub pedibus influit,ad Nadir:ideo antiquitas miraculo apponit, quod inter illustrissimas actiones moriatur Romulus gloriose, quin adversam experiatur fortunam: fortunæ, temporum sunt prodigia, admirationi potius quam imitationi: noli illius tranquillitati fidere: momento mare vertitur; eo die quo luxerunt,navigia absorbentur: res est inquieta,fœlicitas;ipsa se agitat, movet cerebrum, non uno tantum genere vanitatis, quin imo cunctos irritat in varia ludibria, hos in potentiam, illos in avaritiam, plerosque in luxuriam; hos ditat ut præcipitet, multos ad vitam sedentariam seducit, plures in ambitionem trahit: hos inflat, illos mollit, & cunctos vitiorum colluvie resolvit. Est tandem sicut vinum fortuna; quæ proprias & insitas passiones intendit, nec medetur immodicis; non est itaque quod tibi persuadeas eum esse fœlicem qui à multis aulicis obsidetur, clientibus blanditur:nullius enim rei finis est; sed in orbem omnia nexa sunt; fugiunt & sequuntur: diem nox premit, dies noctem; æstas in autumnum desinit, autumno hiems instat, quæ vere compescitur: omnia transeunt ut revertantur, nihil novi video, nihil novi facio: non est quod unquam fortunæ armis putes te esse tutum: pugna virtute & valore contra ipsam fortunam, quoniam fortuita non armant, sed variis periculis exponunt: labuntur res humanæ ac fluunt: nulla pars vitæ nostræ, tam obnoxia est atque tenera quam quæ maxime placet: ideoque fœlicissimis optanda mors est, dixit Seneca, quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod perit certum est: crede mihi, dixit Cyro Crœsus, nam meæ ruinæ etsi ingratæ mihi, tamen extitere disciplinæ: si tibi videris esse immortalis, non tibi opus est mea sententia: si vero te hominem agnoscis, illud imprimis discito, humanarum rerum circum esse, qui rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. [*Herodotus lib.1. Clio.*] Hoc fatale præsagium, Thomiris Reginæ fœlicitas excepit, ad cujus pedes Cyri fortuna cecidit, ut alio fœlicitas transiret; ***Neque sunt infrequentia misera infœlicitatis exempla, quam fœlicis fortunæ, sed inter humanas miserias multa dolorem superant, ut non possint ex merito defleri, cum jam nimia sensatio dolorem abstulit.*** [*lib. 3. Thalia.*] Psamneticus, Amasis Regis filius, vastato à Cambyse exercitu, paætereuntes intuens filium adduci ad mortem, & filiam vinctis manibus, Ægyptiis complorantibus,ipse non flevit; his quoque prætergressis accidit, ut quidam compotorum ejus jam natu grandior pristinis bonis delapsus, ac nihil habens nisi quod inops mendicabat, obiret per exercitum, Psamneticum & alios, Ægyptios in suburbanis concidentes, quem ut conspexit, Psamneticus, erumpente ingenti fletu, compellans nomine amicum, caput suum cedebat: cui dixit Cambyses; quare Psamnetice tu visa filia indigne affecta, eunte ad mortem filio neque ejulasti neque flevisti, pauperem tanti feceris, tibi, ut ab aliis audivi, non propinquum. Fili Cyre, dixit, domestica mala erant majora quam ut possem ea deflere; at amici lamentatio digna lacrimis fuit,qui à multis ac fortunatis opibus ad inopiam recidit in extremo limine senectutis: quo audito omnes miserti sunt,lacrimatus est Crœsus, & miserationem subit Cambysis.

Virtus cum sola non agnoscitur,& licet à paucis æstimetur, si non est fortunata, aut ita excellens, ut omnem superet æmulationem, aut despecta vilescit, seu ut infœlix plangitur: si Deus daret quod rebus essent effectus, contra nostræ prudentiæ rationem forte crederent homines, quod Fatum mundo dominaretur: si vero ad nostram prudentiam metirentur, non dubito quin humana fragilitas illam deïficaret, quando solo lumine naturali, adhuc invita credit quod prudentia quid invisibile extra nos operatur: qui cum virtute copulatam habuere fortunam, rerum eventus, suæ ipsi tribuerunt prudentiæ, ad nihilum redigentes fortunam; ac isti ad extremum fiduciæ dilabuntur, instabilitatem fortunæ non timentes, cum rerum vicissitudines ab illa pendere non existiment: quos virtus alit, hos adorat fortuna, usque dum celsitudinis elevet fastigia. Ille beatissimus est fortunæ gradus, securus sui possessor, qui crastinum sine solicitudine non expectat: fœlix, sed non beatus est, quem talem dicit vulgus, ad quem magna divitiarum opulentia confluxit; sed ille vere beatus est, cui omne bonum in animo est,erectum & excelsum, mirabilia calcantem qui neminem vidit, cum cujus fortuna se velit commutatum: qui hominis eam solam partem æstimat qua homo est,qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur; sic vivit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit: certus judicii, inconcussus, & intrepidus, quem aliqua vis movet, nulla turbat, quem fortuna cum in illum telum contorsit, pungit, non vulnerat; qui tandem est rerum exactissimus æstimator: illud te altius istam veritatem suadeat,quod si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives: exiguum natura desiderat; opinio immensum; naturalia desideria infinita sunt,ex falsa opinione nascentia; ubi desinant non habent: ***Multis parasse divitias, non finis fuit miseriarum, sed mutatio:*** non est enim in rebus vitium, sed in animo; non te, extra te quæsieris. quid refert, an æger in lecto ligneo an aureo,collocetur, utrobique jactabitur, & quod pejus est, quod mutationibus ut remediis utitur, donec anima exhalet inter illas; inter fortunas, mutantur, non vitantur pericula; interdum graviora irritantur: quid mirum si me ipsum fero quocunque feror;magnum est divitiis non corrumpi;magnus erit inter divitias pauper: qui æstimat pro merito divitias, est dominus illarum & non servus, sed securior qui divitiis caret, si illum non deprimit paupertas: si te vexat tristitia & rerum inquies, animum debes mutare, non cœlum: quoniam licet vastum trajeceris

mare, & ut ait Virgilius, *terræ urbesque recedant*, vitia te sequentur, quocunque jeris. Hoc idem dixit Socrates: *Quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te ipsum circumferas, peremit te eadem causa quæ te expulit, tecum fugis, onus animi deponendum est, non quæ te urget causa.* Sicut in navi onera immota minus urgent, & inæqualiter convoluta citius eam partem in quam incubuere demergunt: quidquid agis contra te est, & motu, ægrotum animum concutis: qui prudens est, temperans est, qui temperans, & constans, qui constans est, imperturbatus est, & qui talis, moderatur tristitiam, nec moritur ut fatuus. Nam sicut leonibus magister manum insertat, osculatur tygrim custos, & elephantem mimus æthiops facit ambulare per funem; sic sapiens est artifex domandi mala, dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & horrenda quæque, cum ad hunc pervenere, mansueta redduntur.

Ut plurimum meriti privilegio & fructus dulcedine, caruere virtutis immortalis labores & fortunæ liberalitas fide. Ille autem vere fœlix dicetur qui virtutem habuit fructuosam, ac stabilem fortunam; illud tamen non patitur aut hominis ambitio, seu vanitas avara: quare illud fabricæ peccatum hominis est, non fortunæ: stabilitatem & permanentiam, hominis appetitum non servare, inde accidit, quod finem adæquatum non habet in hoc mundo; quare omne quod illi objicitur appetibile, ut finem appetit, ac cum illo potitur, in medium convertit, ut finem alium consequatur: qui in hoc latitabat, & tantum in ratione finis persistit, quantum in consequutione: omnis parva possessio, si nihil obtinetur, pro magna reputatur; ubi aliquid, si non totum, nihil obtinere videtur: adhuc extremo potito fine, volubili sub rota non quiescit: & si alio non valet, inobedientia fortunã agitat: est enim illa audaciæ intellectus filia, aut depravati sensus, aut quod sibi semper melius operari complacuit; seu quia ad deterius operandum inclinat: in uno irascitur fragilitas, contemptum movet in alia: verum quod intellectui objicitur, non ita brevi transit, quin voluntas ut bonum amplectatur: aversetur ut malum: nisi illi obstat sensuum depravatio. Ideo forte æque difficile est, malum à malitia separare, quam bonum in malo detinere: perpetua diligentia, necessitat, & hac deficiente revertitur: ideo, inobedientiam civilis Monarchia prosperis in eventibus adhuc, severe punit: victorias sinistre partas deteriores judicat, quam omnino deperditas, nisi prava dominetur iniquitas aut lucrum. In hoc Saulem plerique imitantur, inobedientiæ victimas offerendo, ac pretiosa illa quæ comparat iniquitas: hæc videntur altaria exornare cum crimina objiciant, ac hypocrisi fœdant, soli humanæ ambitionis ostentationi servientia: at qui Deum illis holocaustis pacare judicat, Deum provocat: nam sacrilega blasphemia Deum prædicat impium in corde suo, cum illum participem iniquitatum faciat, ac si Deo placeret injustitia: execrabilis est illa propositio, idem esse bonum ac videri: hæc solum illis placuit quorum scientia in opinione consistit, & res ad normam consuetudinis, & non veritatis metiuntur: at Christus Dominus, *Ego sum veritas*, dixit, & non consuetudo: à religione in po-

A liticam verti, est nefas execrandum; ac si ratio politica Deum possit illudere, quæ hominem non fallit: & inter ista fateor quod instrumenta divinæ providentiæ ad humanam fortunam, sunt interdum sedulitas & prudentia nostra: nam temeraria est illa sententia; *Quod Fatum conducit sequentes se, & non sequentes trahit:* quod ex illa Taciti sententia colligitur: *Quare dubitare coger, fato ne res mortalium gubernentur; qui hac credit sacro numini negavit providentiam: Deus enim omnia suaviter disponit, volentes adjuvat, nolentes non compellit.*

B Abjecti animi soli fœlicitati plausitant, amicos deserunt in miseria; generosi autem honoris stimulo, amicorum periculis obsistunt: errat ideo, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat; non immerito igitur, inter fortunas, vera amicitia etiam numeratur, quoniam beatam vitam reddidit amicitia: est enim illa unio duarum animarum in corpore uno, si non reciprocæ benevolentiæ æquitas: quæ si non realiter, duo corpora informat virtualiter: & ideo sunt bona amicorum communia: quare ad infortunia animæ C condolescunt; ideo partiuntur fortunas, & se mutuo adjuvant fœliciter degentes: nam si animæ ita displicet corporis informati separatio, quare non ægre tulerit, animæ amici separationem? ad mortem fere duceret alterius discessio, si locorum distantia unionem abrumperet: at hæc non experimur, quod jam olim in nostris defuit, amicitia: in separatione amicorum, corpora condolescunt, non animæ, quia consolatores spirituum fomites deficiunt: nec est credibile spiritus hostiles naturam condonasse inimico, & amico deD negasse amicos & benevolos: aliter enim pares essent spiritus odii & amoris. at fœlicitas ruit, velut à fundamentis, si perit amicitia; quoniam defuit quæ conservabat causa, quantumvis integra æquitas & justitia supersit; qui vult recedere ab amico, occasiones quærit, ex ipsa fragilitate comparatas, non ex naturæ legibus; quæ æternam societatem docuit: & in hoc fœlicitas Lunæ assimilatur, quod aut semper accrescit aut decrescit.

Nullus contra fortunam inexpugnabilis muE rus est: intus instruamur oportet, nam si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest; est fortuna pulcritudini similis, ac humanæ saluti; quæ cum in contra operantia elementorum consistat, agit & patitur in se ipsa, ac eadem actione conservatur qua finitur: quoniam omne agens in agendo repatitur: quare fœlicitas ex sui intrinseca ratione ruit: sed illud magis mirari subit, quam altum soporem induxerit fœlicitas, ut non expergiscantur fœlices, nisi cum mori appetunt: & illud adhuc cum illos concitavit ruiF na, ac si cum æternitate initum fœdus esset: & utinam ne, cum ista lugemus, eisdem fortunæ fatis obruamur: tunc fœlicem te judica, cum possis in publico vivere, cum te parietes tui tegent, non abscondent; si honesta sunt quæ facis, omnes sciant, si turpia, quid refert, neminem scire, cum tu scias: ô te miserum, si contemnis hunc hostem; excute illos qui quæ cupiere deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt: videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod ægre ferre ipsos & misere loquuntur.

Qui in prosperitate aut fœlici statu, fortuna indiget, non deserat solertiam; at certo sciat, quod non semper stabit: nam eo ipso graviora tumultuant periculum facere de fortuna, sicut aspidem fugiat, nisi cum omnino dominatur fortunæ, in principis amore, aut ignavia: cum se princeps fatetur amico indigere, aut pro angenti onere sublevando, aut quod ille laborem aversatur; quo nihil est infœlicius Reip. sed inimici vigilant, ut nutantem præoccupant fortunam, aut illam violentia conantur deturbare, odio aut livore; hæc tamen non attendit, fortunatus, fortasse non obsistit, præ angentibus curis, aliquando non valet, cum tempestas inopinato ruit; sed hæc facilius scribuntur quam servantur præcepta: quoniam homines naturaliter fortunam accusant in miseria; & in fœlicitate, proprio valori gratulantur; & sic illa non appetunt auxilia, quæ judicant ignota: ac ideo fortunæ delubro vota non oblationis, sed pacationis offerebantur: erunt attamen sibi tutiora auxilia, amor, & timor; non crudelis audacia, ut plerique dixerunt, principis scilicet & Reip. amor; timor aut publici flagitii, odii, aut livoris; sed dices quod ista sunt fatalia, non æque excusata: illud cogita, ne tu odium concites, aut livorem, gratis, aut ex consulto, aut crudeli & ingrata vindicta; aut barbara tyrannide: nec publico utili tuum peculiare anteponas, licet sit sub præsenti discrimine; nam illud maxime iram popularem concitavit; nulla enim fortuna, fortunam securiorem reddidit: quia tandem aut unius instabile, aut alterius fraudulentum, aut ipsa rerum necessitudo, sive principis zelum, illum dedit præcipitem, quem extulit, aut principis benevolentia, aut acris & occulta solertia, ipsa fœlicitate comparata; & quando hæc omnia deficiant, sola ipsa fortuna, est interitus sui: quoniam res secundæ, non ut adversæ, acrioribus stimulis animum explorant, & sicuti miseriæ, assiduo patiendi usu tolerantur, fœlicitates insuetæ nos corrumpunt; dixerunt Diodorus & Cato, res adversæ se doınant, & docent, quando opus sit facto, secundæ res transversum trudere solent, à recte intelligendo atque consulendo; quare licentiam à fortuna ratione coërce, ne te præcipitet; & considera servos non esse quos fortuna deseruit, sed æquales; nam interdum insultantem hostem unius prælii fortuna veteri, aut meliori fortunæ restituit; nec validus privus amicus Regis cadit super amici brachia, sed in acutissimos iræ popularis mucrones; & nihil est in rerum versatione infœlicius quam lapsa fortuna, nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quam fama potentiæ, non sua vi enixæ: cecidit de propria fortuna Agrippina & Imperatrix illa, statim relictum est Agrippinæ limen; *Nemo solari, nemo adire, præter paucas fœminas*, dixit Tacitus, *amore, an odio, incertum.*

Errat fortunata resp. quæ soli suæ fortunæ fidit ad tuendam fortunam: & hæc Monarchia erit parum durabilis, cujus fundamenta sunt solius fortunæ: nam fortunæ fœlicitas valorem & virtutem ac legum observantiam non adorat, si inde non comparatur sui conservationis politica; nam enervat fœlicitas, mores corrumpit, otium, & fiducia sui valoris oblivionem parit: ut apud nostros hodie experimur. Sit tibi ante oculos, Ro-A manorum fœlicitas, & Venetorum Gubernatio; nam initium & augmentum utriusque Reip. fuit civium, in utile commune conspiratio; illud enim semper suo peculiari anteposuit, hæc & illa Resp. dum floruit: hic enim contra omnem fortunæ incursionem inexpugnabilis murus est; hi sunt pœnates Dii, hæc larium tutela: hoc unico amuleto vivit & tutatur Resp. & ab omni grassantis pestilentiæ incursu liberatur: hoc solo præcavetur: non civium discordi avaritia, & lucro inexplebili; non sacra ambitione, quæ harmoniam B Utopiæ confundit: quoniam horologium, cujus regula ponderibus contra positis constat, horarum harmoniam diu non retinebit; si aliquod illius instrumentum harmoniam confundit; & parva astrorum conspiratio, quę in juventute simplicis tertianæ causa foret, in senectute necat; magis indiget populus acriori politica, quam fortuna; neuter oculorum avertatur; nam quocunque deficiat, finis claudicat, maxime si pendet à causa conservante.

Primus nunquam à principe discedat, quomodocunque enim principis oculus alio avertatur, C perit amor; & hoc deficiente nutat subditus, & invidet alienæ fortunæ: ista tamen non solo artificio & arte conservantur, sed natura, quæ amorem inclinat; benevolentiam tamen ars modificat, quod si illa deficiat, ambitio cum ruina confunditur; fortunatus non ad nutum divinæ sapientiæ, aut virtutis moralis se ipsum extimescat; quia illa fœlicitas, cujus non datur ratio, sibi ruinam parat, & in pleni fortunio eclipsim, inter duo regia luminaria, fortunæ interposita prodigiosa D molet. Sacrum Numen impiis fœlicitatem aliquando permisit, justissimis imperavit miseriam: sed hæc altioris sunt ordinis: par fortuna, impar discrimen, haud impari constantia Vitellio & Pomponio tulit: levi ictu, ille per scalprum vitam ægritudine animi finivit: iste autem multa morum elegantia, & ingenio illustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, superstes evadit, à miseria cui damnatus cessit. Horum causam ignoro, & cæteri fortasse manus dabunt: sed ille forte novit, qui ad domum fœlicis mox discessit, de factis non dijudicans & de permissis sapiens: E Nihil in theatro fœlicitatis æque suspectum considero, quam nihil adversum evenire: semper vero esse fœlicem, & vitam sine morsu animi transigere, ignorare est rerum alteram partem: *Mihi quidem, ò Policrates*, dixit Amasis, *fœliciter agere cum viro amico meo, & hospiti, audire, voluptati est: tamen tuæ magnæ prosperitates mihi non placent, qui intelligo, quam invidum nomen sit: quod ad me attinet, malim, tum meas ipsius, tum eorum qui mihi curæ sunt, res, nunc prospere ire, nunc offendere; & per varias fortunæ vices ævum traducere, quam in omnibus mihi prospere cedere: tu vero mihi obtemperando adversus prosperitates hæc agito, despice quod tibi magni facias, quodque amissum tibi maxime doleat: id itaque objicito ut non amplius ad homines veniat.* Hæc cum legisset, quæsivit inter sua, & gemmam signatoriam smaragdum invenit, auro inclusam, opus Theodori Samii, magni pretii, ac biremem conscendit cum amicis, & in mare projecit, ac cum maxime doleret quinta sextave die, piscator quidam captum à se piscem grandem ac pulcrum dignum putavit, quo donaret Policratem:

Herodotus, lib. 3. Thalia.

tem: *Rex*, inquit, *hunc ego quem cepi piscem, tibi offero:* & viri humanitate delectatus, *gratulor tibi probe*, inquit, *ad cœnamque te volo invitatum:* at piscem interim ministri rescindentes, in ejus alveo Policratis sigillum offenderunt, (prodigiosa sane fortuna,) quod cum viderunt, ad Policratem lætabundi detulerunt: hoc ab Amasi audito, per caduceatorem ad illum mox remisit, ut jus cum illo absolveret hospitii: impossibile judicans, ne Policrates in tristem casum incidat: quod non multis post diebus palam fecit eventus. Nam ab Orete cruci affixus moritur: & hic prosperitatis fuit finis Policratis, quem Amasis prædixerat.

Sed inde maxime in casus fortunæ homines incidere observamus, cum quos fortuna sublevat, fœlicitas infatuat: hos enim humilis gratitudinis loco, ignavam impulit ad fiduciam, plerosque ad superbiam, ad cæcam temeritatem alios: cum aliorum adigere servitutem, ad nutum superbi genii conantur, obliterata omnino libertate; ac si divina beneficia, utilitati nostræ, & non divinæ gloriæ destinarentur: & illud non attendimus, quod Deum injuste lædimus; ac timentes oramus; & quod idem Numen, nos à miseria subtrahit, ac à fortuna orbat, justo Dei judicio, sed in illo major divinitas elucet, ut sit major fides misericordiæ, quam vindictæ timor: sed illa maxime nos seduxit illusio, quod nemo ita maligne vixit, quin aliquid justitiæ operetur, cui adscribat causam fœlicitatis, inter præmium ac beneficium æquivocus; & de merito gloriatur cum perdere non timet: nec ullus est ita laudabilis, quin illum redarguat injustitia; cui etiam referat infortunia, æquivocus inter exercitia & supplicia: ac cum gratias debet agere, petit, ac si in mundo ubi meremur, & demeremur, locus esset præmii & supplicii: nam eandem rem indivisibilem pari
Plato Dial. 2. de Iusto. cursu fortuna & calamitas vexat: filios homines optavere, ac illos consequuti maximos in dolores inciderunt, quoniam in illis nequitia superavit fortunam: qui probos genuere, si illis adverso quodam casu orbentur, nihilo minorem in miseriam incidere visi sunt; ut nunquam se prorsus filios genuisse eligerent. Quare non est, quod ultimum finem quæramus in fortuna, sed illa ut beneficio utamur, non ut præmio.

In rebus humanis fortuna ut plurimum aut artem, aut valorem deseruit, forte naturæ beneficio, & æquitate, ut sapienter ad pondus librentur beneficia; sapientes enim ac generosos, ac re quaque excellentes artifices, semper fortuna deserit: (forte quod illis sufficit valoris, aut artis excellentia:) comitatur incultos, inscios, imprudentes, & quos omnino nobilitas, aut artium cultura non agnovit. *Fatalis magni ingenii calamitas, paupertas est*, dixit Homerus: cujus rei reddidit rationem Apollinis oraculum, ut nos alibi *nostro Anti-theseo* diximus. Hinc minor disciplinarum cura, cum aderat fortuna: & ubi etiam artes defuissent, peritiam ars, imperitiam fortuna
3 Annal. 5. sequitur, dixit Plato; fortasse divina providen-
2 Annal. 5. tia, quæ cuncta mortalium elargitur, ad libitum, non uni cumulata, sed per omnes dispersa, in perfectionem universi, & pro ipsa rerum necessitate, ut dives ignarus; paupere sapiente indigeret: & gnarus pauper, diviti inserviret: & ne unus cesserit in omnium invidiam: ideo excellentissimis hominibus solet fortuna magis quam virtus deficere: inertes puerilibus juvat, in altissimis deserit: *Ut valida Divo Augusto, in Remp. fortuna*, dixit Tacitus, *ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ, aut neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte & fuga punivit.* Debellatis gentibus Germanorum Germanicus Cæsar, in prospera fortuna congeriem armorum struxit; superbo cum titulo: debellatis inter Rhenum & Albim nationibus, exercitu Tiberii Cæsaris, ea monumenta Marti & Jovi & Augusto sacravisse, de se nihil addidit, metu invidiæ fortunæ suæ, an ratus conscientiam facti satis esse: & hic infelix postea cessit in spolia fortunæ, & non sine veneni suspitione moritur: & Tiberii solertia & odio Sejani; seu quod à populo jactaretur superior invidia. Illud attamen, politicis in rebus experimur, quod divitiæ, toga, & arma, sub aquilis fortunæ militant, scientiarum præmia sub fortuna: nihil est æque arduum ac subjectum fortunæ, quam generosus valor; consilia fortuna discernuntur: plerique non arte, fortuna celebrantur: & eloquentia fortuna discernitur: quos seligit plausus, fortuna celebrat: non meruere fortunam plura, quæ meruere gloriam; ut à præstantissimis viris excogitata subtiliter, & dicta graviter, & generoso valore perpetrata: alii ingenio potius & vi naturæ quam institutione & literis famam eloquentiæ consequuntur, cum purus & pressus, & in quantum satis est, profluens sermo non deest: Julius Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potius literas quam nesciebat, tanquam majorem industriæ & laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis artium adminiculis inniti videretur. Non genus, non scientiam, fortunam tamen adorant homines: illum magis sequuntur quem vulgus celebrat plausu, non quem prudens & gravis æstimatio docti aut generosi viri. Hoc mihi videtur difficilimum, ne dicam impossibile, fortunam modestia superare: diu sordidus, repente dives, mutationem fortunæ mali tegit, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus, & inopia juventa senex prodigus: quare favore populi, & ideo superbia electus, tumidus, inurbanus, aliorum detractor, aliis semper invisus, paulatim levior &
vilior haberi incipit. In Germanici morte, ra- *2 Annal. 13.*
rum dedit prisca ætas exemplum moderatæ fortunæ, indoluere cæteræ nationes; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuque & auditu justa, venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat, funus sine imaginibus & pompa, per laudem & memoriam virtutum ejus celebre fuit, valde Magni Alexandri simile.

O rerum humanarum confusio, quid stabile, quid firmum in rebus invenitur? quæ erit certa regula, quæ nos secure ducat: fortuna cuncta regit; hæc ipsa rebus tumultuantibus, ipsa rerum congerie obruitur: est etiam sua cuique, adhuc inanimatis ambitio; suus est cuique livor; bo-
norum supremam voluntatem, ut plurimum *Hist. 9.*
paupertas firmat: Galbæ corpus diu neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius de prioribus servis humili sepultura, in privatis ejus hortis contexit:

hunc exitum habuit Servius Galba, tribus & septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus, & alieno imperio fœlicior quam in suo: ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus: famæ nec incuriosus, nec venditator; & omnium consensu capax imperii ni imperasset. Infelicis summum infœlicitatis genus est fuisse felicem: aliis summam infœlicitatem ascivit summa fortuna; mansit Celso velut fatalis etiam pro Othone fides integra & infœlix, in tumultu imperii. Annalibus Romanis, dixit Tacitus, mihi quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur, quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio, quam quem futurum principem fortuna in occulto tenebat: sed mihi hæc & alia audienti, in incerto judicium est, fato ne res mortalium & necessitate immutabili, an forte volvantur, quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum æmulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curæ: ideo creberrima & tristitia, in bonos læta apud deteriores esse; contra alii fatum quidem congruere rebus putant. Sed non è vagis stellis, verum apud principia & nexus naturalium causarum; ac tamen electionem vitæ nobis relinquunt, quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem, neque mala vel bona quæ vulgus putet; multos qui conflictari adversis videantur, beatos, ac plerosque, quanquam magnas per opes miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur; cæterum plurimis mortalium, non eximi, quin primo cujusque ortu, ventura destinentur; sed quædam secus quam dicta sunt cadere, fallaciis ignara dicentum: ita corrumpi fidem, artes, cujus clara documenta antiqua & nostra ætas tulerit, sed pleraque ex istis hominis arbitrio prævertuntur, pleraque cedunt fati necessitati. Non puto hominem clarissimi ingenii ultro voluisse nomen Atheistæ subire: (quod etiam de Lipsio Bataviæ Sirena, in libro de Constantia, de fati necessitate æstimare, par est) divinam nempe providentiam de rebus humanis substrahendo: sed voluisse libertatem arbitrii, adhuc in summa rerum confusione, causarum naturalium adnotare communi cursu rerum; cum videat res omnes, aut hominum negotiationi cedere, aut humanæ violentiæ obedire; ac si jugum divinæ legis excuterent: cum rebus in ipsis constet, nullibi aptius (in ipsa confusione) aut divinæ justitiæ, aut summæ pietati inservire; seu ut mutet imperia, seu intendat supplicia, aut homines erudiat; si non forte considerat vegetantium aut inanimatarum rerum necessitatem, in operando, aut gentilitiam rerum mutationem; quæ quandam veluti necessitatem rebus ipsis inducunt; immutata hominis libertate; quoniam adorat natura arbitrii gloriam, hanc cavet violare: hoc hominibus injuria putatur, hic livor, hæc contumelia: forte favor naturæ est, fortasse reverentia: noluit enim hominem, à rebus humanis superari, nec illis profundius misceri, ut cœlestia potius intenderet, & meriti privilegio solatur; dubitabat Tiberius de tradenda Rep. de Druso; quia puer, de

1 Hist. 14.

6 Annal. 5.

6 Annal. 11.

A Nerone, quod Germanici filius, & quod in eo populi studia erant, de Claudio, quia imminuta mens: si extra domum successor quæratur, ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria & contumelias averteret, metuebat: quippe illi non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio: mox incertus animi, fesso corpore consilium, cui impar erat, fato permisit: nec tamen Græcus effugit magnæ fortunæ pericula; Julius, & Augustus: alter enim vitam & alius honorem superbienti fortunæ obtulit: Crœsus obtulit caput: propria fortuna timidi, B nescio an avari, aliorum fortunæ invidebant: & quanto magis pavorem abdere nitebantur, manifestius pavidi, ostentabant formidinem, ac si fortuna fortunam fascinaret: dum alios crescere Tiberius, scilicet Germanci filios, aut amari, opinione aut fama, destrui per hæc fortunam suam, turpi fragilitate lamentabatur; astu Sejani forte seductus. Tu autem solerti prudentia stabis alienæ fortunæ, initia, conatus, secunda neque diuturna fore judicans; quod si duret, nec illud te C seducat, ut in te gliscat aliena fœlicitas; nam tutius est vincere in bono malum, quam virtutem livore maculare.

Animus in adversis debet esse ut contra pondus palma; & quo gravius illud, tanto patientia contumacior; quoniam tanto est victoria plausibilior, quanto acrior hostis & robustior: simplicius ideo Alexander famam æstimabat in hoste, quam in cive; quippe à suis credebat, magnitudinem suam destrui posse, eandem clariorem fore quo majores fuissent quos ipse vicisset, Curtius lib. 8. cap. 14. Gentile decus est magno animo capescendum, nec secunda fortuna ad superbiam D prolapsus, pulsusve, per læta, per adversa res affectabis, sed adversam fortiter tolerabis fortunam: Plotio Othonem exhortabatur majori animo tolerare adversa, quam relinquere: fortes ac strenuos etiam contra fortunam insistere: spei timidos, & ignavos ad deliberationem properare: cui Otho, extrema in calamitate positus, plura de extremis loqui, pars ignaviæ est, inquit: præcipuum destinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror; nam incusare E Deos vel homines, ejus est qui vivere velit; illud in solatium cessit in adversis, se obligationi satisfactum; Mithridates à Junio Elone Romam victus ferocius quam pro fortuna sua disseruit: hæc dicendo, non sum remissus ad te, sed regressus, vel si non credis, dimitte, & quære.

4 Annal. 5.

Histor. 2.

2 Annal. 5.

In fortunam cessit aliis aliorum fœlicitas, cum antea privati vitam exercuissent, sed hæc ipsa illos præcipites dedit in ruinam, seu quod propria abutuntur fortuna, vel ipsa hominum inconstantia aut indecentia zelo alienæ fortunæ, aut ipsa F tandem rerum versatione: *Quartus decimus annus est, Cæsar,* dixit Neroni Seneca, *ex quo spei tuæ admotus sum, medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil fœlicitati meæ desit, nisi moderatio ejus: utar magnis exemplis, non meæ fortunæ, sed tuæ: Atavus tuus Augustus, M. Agrippæ Mitelenense secretum: C. Mæcenati, urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit, quorum alter bellorum socius, alter Romæ pluribus laboribus jactatus, ampla quidem sed pro ingentibus meritis præmia, acceperant; tu me immensis honoribus cumulasti, nunc me tua præcipitat fortuna: una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui,*

14 Ann. 13.

ſed uterque menſuram implevimus; & tu quantum princeps tribuere amico poſſet, & ego quantum amicus à principe accipere: accipe in fortuna tua fortunam noſtram, antequam nos livor aut invidia deturbet; hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad ſumma vexiſſe qui & modica toleraſſent; cui Nero reſpondit: *Quæ à me habes hoſti funus, & vitæ caſibus obnoxia ſunt, & licet multa videantur pleriſque, haud quaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt, pudet referre libertinos, qui te ditiores ſpectantur: unde etiam rubori mihi eſt, quod præcipuus caritate nondum omnes fortuna antecellis: at M. Agrippa Seneca & Mæcenas ceſſerunt in fortunæ ludibria: quoniam canes imitantur fortunati, qui miſſa à Domino fruſta, aperto ore captant, & integra celeri appetitu devorant, ſemper ad ſpem futuri inhiantes*: hoc idem nobis evenit, quidquid nobis fortuna objicit, admittimus, ac ſtatim ad rapinam alterius properamus: nam quiſquis de accipiendo cogitat, accepti eſt oblitus, nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata eſt: hoc mihi tamen fœlicitatis crudelis videtur, quod illis non tam jucundum eſt, multos poſt ſe videre, quam grave aliquem ante ſe: ut ad manus fortunæ pœnas luat, in ipſa ſceleris conſcientia. Veſpaſianus inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinatus fuit, donec indulgentia fortunæ, & pravis magiſtris ſuammet deturbavit fortunam: & illos certe indulgentia præcipitat, qui pro ſua fortuna judicant id æquius, quod validius; & ſua retinere privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem eſſe. Prudentem decet, non tantum prævisa, ſed ſubita etiam expedire, ne fortunæ fallaciis illudatur; nam plura nos poſſe quam poſſumus ſuadet; inde gloriæ egregiis viris pericula gliſcunt, licet bello & periculis præmia meruerunt: quare magnam emenſus fortunam, emeritus in bello aut in pace non ultra periculum faciat cum fortuna, quoniam comam crinitam vertit cum videtur ſecurior: inter duo extrema & ſemper ancipitia, anceps fortuna nutat; jam cæca labitur ad ambitionis extremum, jam fiduciæ & ſemper infidelis: nulla ſat eſt prudentia, vel ſagacitas, ad illam continendam; ſolam poſt ſe relinquit occaſionis jam elapſæ pœnitentiam: cum inter Cyrum & Crœſum anceps eſſet fortuna, Cyrus Jones ad pacem invitavit; hanc illi abnuerunt: donec viderent quo ſe inclinaret fortuna: (propria Venetorum conditio nutare ancipiti fortuna) at cum Jones poſtea audirent, Cyrum in bello jam Crœſum ſuperaſſe; à Cyro per caduceatorem pacem petunt: quibus Cyrus reſpondit: *Tibicen quidam cum piſces in mari conſpexiſſet, canere incœpit tibia, ratus eos ad melodiam cantus in terram progreſſuros; at fruſtratus ſpe, miſſo in mare vermiculo, ingentem piſcium vim complexus traxit, & cum palpitantes cerneret in ſicco, dixit ad piſces, temperate nunc mihi quæſo à ſaltationibus, quando non libuit, me canente ſaliendo progredi.*

2 Hist.16. — 15 Annal.1.

Haud certe minus prodigioſa obſervantur, in adverſa quam proſpera fortuna, ut vix credas quam obſcurum per iter illam ſequentes ducat; cum bellum eſſet inter Lydos & Medos ſexto anno, cum æquo Marte certarent, ſtante acie, contigit, ut repente dies nox efficeretur; & ex nocte dies apud noſtros: ſed noſtra fiducia Chriſtiana & juſtitia promeruit auxilium: inter Othonem & Vitellium prodigioſa diverſis auctoribus vulgabantur; in veſtibulo Capitolii omiſſas habenas bigæ, cui victoria inſtiterat: erupiſſe cella Junonis majorem humana ſpecie ſtatuam divi Julii, in inſula Tiberini amnis ſereno & immoto cœlo, ab occidente in orientem converſam: proloquutum in Etruria bovem: inſolitos animalium partus, varias calamitates præceſſiſſe, hiſtoriæ teſtantur: veluti Julii mortem cometam oſtentaſſe, & apud noſtros Sebaſtiani Portugaliæ Regis, ut his noſtris temporibus, anteceſſiſſe mortem Philippi Tertii, fœliciſſimi Regis; moribus & virtute candidiſſimi: & plura alia rudibus ſæculis etiam in pace obſervata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sub Veſpaſiani imperii initio cupreſſus arbor in agris ejus, conſpicua altitudine repente prociderat, ac poſtera die eadem veſtigio reſurgens procera & lætior virebat: grande proſperumque conſenſu aruſpicum: cum Perſi Babylonem obſiderent, viginti quam vallati ſunt menſe, Zopyro Megabyſi filio hoc contigit portentum; ut quædam mularum ejus pepererit: quod tam impoſſibile judicabant, ut miles quidam diceret in obſidione: iſtinc decedetis Perſæ, tunc nos expugnaturi cum peperit mula: & ita factum eſt; ut poſt illius partum Babylonem vaſtarent; nam cum Darius annum & ſeptem menſes in obſidione Babylonis conſumeret, & tentatis omnibus machinamentis nihil proficeret, Zopyro Megabiſi filio in mentem venit quod miles in principio obſidionis dixerat; quod cum mulæ parerent Babylon caperetur: ubi igitur viſum eſt fatale eſſe jam Babylonem capi, ſeſe deformiſſima mutilatione affecit; nares ſibi procidit, auriculaſque, comam totondit, plagas impoſuit, ac ſe deformem reddidit, ac ita ad Babylonios aufugit, ante quos ubi ſtetit, conditionem ejus miſerabantur; cui credentes Babylonii dederunt illi copias, quibus bis & ter, ſex millia ſuorum interfecit, quo fiſi aut deluſi, ei credere magis auſi ſunt: ſed tandem per muros & per portas Perſas in Babyloniam induxit, ac ita Babylon capta eſt per Darium, quod nunquam Cyrus valuit.

3 Hist.16. — 2 Annal. 5. — Herod.lib.3. Thalia.

Illud tamen maxime ſubit mirari, quomodo ſagacitas noverit occultiſſimum iter; ſi non dicimus quod inſita fortuna ad id magis inclinat: de hoc nobile exemplum dedit Cæſar, cum à Galliis conſilii incertus duxit iter in urbem, arbitrii fortunæ factus: *Is*, dicit Suetonius, *ne qua ſuſpitio moveretur, ſpectaculo publico interfuit, dein poſt ſolis occaſum, mulis ad vehiculum junctis, occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt*; & *cum luminibus extinctis deceſſiſſet, via diu errabundus per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit, conſequutuſque cohortes ad Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paululum conſtitit; ac reputans quantum moliretur, converſus ad proximos, etiam nunc inquit regredi poſſumus*; *quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt*; *cunctanti oſtentum tale factum eſt: Quidam eximia magnitudine & forma in proximo ſedens, repente apparuit, arundine canens, ad quem audiendum, cum præter paſtores plurimi etiam, ex ſtationibus milites concurriſſent, interque eos & æneatores, rapta ab uno tuba, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu, claſſicum exorſus, pertendit ad alteram ripam: tunc Cæſar, eatur, inquit, quo Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat, jactata eſt alea: & intrepidus nomen dedit fortunæ.* Sed illa illi univerſi imperium; occulta lege fati oſtentis, ac reſpon-

lib.1. in Iulio Cæſar.

responsis destinatum, Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credimus, dicit Tacitus: multa peritia & monitu fatorum prædicta, ut vera accipiuntur cupidine ingenii humani, libentius obscura credi: tunc quid agendum ipsa fortuna docet: & aliquando decet ad fortunæ introductionem, callidos & audaces pretio aut promissis onerare; nam facilis est omnis civitas, quantumvis magna, ad accipienda & credenda omnia nova: & ad hoc non est aptior qui ad legem naturæ melius operatur; sed ad necessitatem: si daretur talis rerum necessitas, ut aggredi grande facinus, ipsa convenientia postularet: ex quo non minus jacturæ, quam periculi, nec minus utilis instaret, quam fortunæ: quid agendum ancipiti negotio, (gliscit enim prudentiæ, stabile pro incerto commutare, & *dimidium interdum est plus toto*, si illud majori securitate obtinetur) fateor quod omnia pericula circundant, & occasionis properantia multa perdit, sed *facinus magnum & memorabile non fit sine magno periculo:* unde nobilis valoris erit, aliquid generosa fiducia, vel cum periculo aggredi, quam spe dempta, summæ desperationi succumbere: nam minore securitate remedia malorum, quam mala differuntur; licet remedia sint acriora morbo: quo tempore neque temeritati pepercit sapientia: satius est enim in ancipiti anceps remedium experiri, quam nullum: & sicut nos insana præcipitat audacia, est ad fortunam nobilis generosa: non *quærit nos semper fortuna, nos quærimus fortunam:* gladiator in arena capit consilium, est dextera fortunæ manus solertia: cum hoc tamen prudentius quam properantius facias: leges enim fortunæ nemo novit; & fortunam sæpe fecit prudentia; illam interdum odit: aliquis dixit, *fœlicitas vel est prudentia, vel non est sine illa:* & si valent exempla: Hostilium ad Romanum imperium fortuna perduxit occulta lege fati: ac Priscum Tarquinium à mercatore Demarato genitum, ex ignominioso & inviso gloriosum reddidit: in Servii Tullii statua stat superbus titulus, sed servili cognomine, & regio appellatione perplexus: Othomanæ gentis domus, à belligero pastore conscendit: Romanæ gentis terror, Viriatus, inter horrores nemorum Lusitaniæ antea civis deguit, postea debellator nunquam victus; fortunæ leges ad propriæ fortunæ genium composuit.

In irritum tamen lacessit prudentia fortunam, si deficit fœlicitas, quantumvis sit dextera fortunæ manus solertia: illa enim homines ad fastigia promovet, occulta semita haud satis noto tramite: invia & sine luce est fortunæ via plerique ad fastigia, & principatus alterius odio perducuntur; ad honores conducit fere semper immeritos: periculum in periculo fugat, adit discrimen in securitate; & subito ex discrimine ad pacem inopinato venit; divitias ex ipsa avaritia furatur; principatus, & imperia in audaci fortuna: & miseriam in habitum jam versam, à propriis laribus expellit, & ditat laribus alienis: Othonem promovit ad imperium ex inopia vix privato toleranda: Vitellius nullis stipendiis, nulla militari fama odio Galbo provectus est; *Res omnes à natura, à fortuna, aut ab arte fieri*, dixit Plato; *præsentia, præterita, & futura: maxima autem & pulcra à natura, vel à fortuna fieri, ab arte vero minora, elementa*

1 Hist. 4.
2 Hist. 14.
Dialog. 10. de legibus.

A *inprimis, pictura & musica in secundis. Si quæ vero artes serium quidquam faciunt, eos esse quæ vim suam, cum natura communicant, qualis est Medicina, qualis agricultura: Civilem vero Peritiam*, (dicit) *parva quadam parte cum natura, magna vero cum arte communicare.* Qui vero cupit fortunæ dare nomen, non jaceat in otio inerti, quantumvis fortuna sit semper sui juris; nam plura ambitione, quædam judicio fiunt: nec in hoc labyrintho ad fastigia ascensus ambitioni gliscunt, & præmiis laboriosa dulcescunt: & pro necessitate & tempore de-
B cet, proprium coërcere & componi ad aliorum genium: ideo Vitellius apud severos humiles, comes, & humanus omnibus dicebatur; quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena, quia illum urgebat imperandi cupiditas: sed illud magis miraberis, quod ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur: illud tamen est prodigæ liberalitatis miraculum: & si dixeris, quod nos docemus vitia, adverte, quod sunt inseparabilia Politicæ: quare semper pandere sinum, & venienti fortunæ occurrere, utrinque porrectis ma-
C nibus oportet, sed pensatis suis & inimicorum viribus: nam *si jus violandum est*, dixit Euripides, *regnandi gratia violandum est*; & illud in occulto principes profitentur, & propalam condemnant: si ergo fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur, animum non coërceas, nam in *prospera fortuna, nihil arduum est fatis:* cuncta animo dispensanda; & si fortuna annuit, illi impigre oportet dare nomen; facto ubi est opus, divitiis; ubi iter substernitur, assistentiis & secretis colloquiis, si necessitas petit: nulla tibi elabatur
D occasio: in ancipiti vero anceps animus: initia enim bellorum fortuna, victoria consilio, vel solertia perficit: quare præoccupare nutantem fortunam decet; sed in discordiis civilibus, nihil est festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto est opus. Vitellio ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, cum Otho multa pace munia imperii obibat, quædam ex dignitate Reip. pleraque contra decus ex præsenti usu properando, usque dum præoccuparet Vitellii fortunam, cum ipsum de excelsa majestate deturbaret: res enim tali vultu versantur,
E ut nec diffidere dubiis, aut parum gaudere prosperis videamur: & in hoc statu, nobiliores populos, aut qui magis cæteris dominantur, industria, licentia, per virtutes, per voluptates innocuas, & ut est cuique genium, allicere oportet, non per artes æstimatione indignas: non per avaritiam, aut tyrannidem, ut crescat inde favor & plausus: sed attende ne ruat cum aggeribus ambitio: nec protinus diffidere magni animi est: nam cum non speratur, mutantur infortunia: sed
F urgentibus fortunæ fatis, nil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordia: quod rebus tumultuantibus cuique timere par est; & præcavere altioris scientiæ: aliis enim, rerum novarum cupidine, & odio præsentium, quieta gliscunt: nam futuri desiderio laboramus, præsentium tædio, quo præcipitat quisque vitam suam: ut hodie nunciatum accepimus, de nobilium Galliarum tumultu, sub principe de Guisa & de Bullione, pro recuperanda pristina libertate, & pro Regni Concordia; quæ sub Cardinalis ambitione fluctuat: sed blanditur fortuna aliis,

1 Hist. 14.
Anno 1641. 6 Iulii.

& aliis resistit, pro ipsa rerum versatione: nam in civitate discordi, ob crebras tumultus mutationes inter libertatem ac licentiam incerta, parvæ quoque res magnis motibus agitantur; & magnæ fluctuante fortuna submerguntur; ut his diebus vidimus, in confuso Hispalensi tumultu, levissimis principiis exorto; nam repente, ubi plures erant, ibi omnes fuere præter nobilitatem: erat enim populus adeo novitate confusus, admiratione perplexus, ut primis diebus nullus ad arma curreret: sed omnes teneret in exstasi confusio: illud tantum audiebatur, & homines contraria inter se postulantes: & dum subsidet furia popularis, bella inter ingenuos & nobiles parantur; quibus non operose furia dissipatur, tumultus evanescit; quoniam his temporibus accidit quod in bello confuso: nam ubi non ordine militari pugnatur, nec in victoria decus est, nec in fuga flagitium.

Anno Domini 1652. 22 mensis, Maii.

Nec minus lacessitur fortuna cum in se oculos vertit, quam sævitia insita mortalibus natura, recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre: magna servitus est, magna fortuna: licet res non ad nutum cessere, meliori fide, quam fortuna; ut in pari causa imparem fortunam paterentur; tempus & locus ad res magnas quærenda; sed dum in animo spes, timor, ratio, & casus obversantur, demens à metu ad fortunam transit: aliter accidit in audaci valore: nam egregiis viris virtus pro fortuna fuit: torpentibus autem fortunæ indulgentia, solet artes superare: plus enim apud socordem animum lætitia, quam cura valet: negotiosi autem fortuna solet artes infringere. Incertus animi & infidis consiliis obnoxius, summi discriminis incuriosus: si fœlix est fortuna miraculo apponendum; at qui nec alienis consiliis reguntur, neque sua expediunt, inurbane vivunt; & hi nec sua, nec aliena uti sciverunt fortuna: sic Vitellius ut aspera quæ utilia judicabat, nec quidquam nisi jucundum, & læsurum acceperat: & inter amicos ejus quanto quis clarior, minus fidus: & hoc eo perduxit, usque dum torporem ultima exceperit infœlicitas: nam tanta & talis torpedo invaserat Vitellii animũ, ut si principem eum fuisse cæteri non meminissent, ipse oblivioni datur foret. Transiit ad Vespasianum Vitellii fortuna: ô mira rerum necessitudo! Vespasianus olim Vitellii cliens, cum isto collega Claudio, nunc imperator orbis, & Vitelli Dominus, ille perdidit ignavia, is fecit audacia & solertia fortunam: inter hæc læta accidunt, experiuntur tristia; magna documenta instabilis fortunæ; summaque etiam miscentis; sed illa est temporum deterior conditio, cum prospera omnes sibi vendicant, & uni imputantur adversa: sed humana conditio nec in bono, nec in malo quiescit; semper implacida præteriti memoria, & præsentis angore: nemo est enim cui fœlicitas sua, etiam si cursu veniat, satisfaciat: quærunt homines & de consiliis & de processibus suis, maluntque semper quæ reliquerunt, & de quacunque fortuna conqueruntur: in prospera de immensis laboribus, de extrema miseria in adversa: & libenter cum primis de fortuna sortirentur extremi: atqui melius fuisset non quæri, quam judicari: habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda noscantur. Nec est desperandum de fortunæ liberalitate, vel in ipsa etiam extrema miseria: nulla est enim tam magna desperatio, quam fortuna non superet. Nam Romulo super aquas exposito, rapidus Tyber secura cuna fuit: expulso Moysi Nilus: occultat numen utrorumque semina; plerumque enim bonorum, malorumque causæ, sub diversa specie latent: at nimis sua fœlicitate confidentem illudit, si artem prorsus deserat; volubili fortuna nixus sua perdit: nam populi fortunæ illam impari cursu insequuntur, cum alii longius distare videntur; alii propius accedere, alii tandem de manu Deæ pendere: ut Lydius Crœsus & Samius Policrates: dum alteri Pactolum auro fluentem cerneres, & alteri marinos pisces etiam servientes: sed in tanta fortuna haud serius Policratem cruci affixum inspicias, & Crœsum Cyri imperio subditum, & morti damnatum: Cyrum in Darii potestatem redactum: quoniam nec secunda quidem minus discriminis habent, ut nobis credere apparenti fortunæ, absque imprudentiæ nota non concedatur. ***Mortalium nemo est fœlix***, dixit Plinius, ***nec perpetua nec solida fœlicitas est.*** Et profecto, si varias rerum cadentias consideras, videbis quod alius de alio judicat dies, & supremus de omnibus: ideo nullis credendum, quod bona malis paria non sint, nec lætitia ullo minimo mærore pensanda: quis nos à tanto errore liberabit? heu vana diligentia, & imprudens numerus dierum comparatur, ubi quæritur pondus, & res non ut sunt æstimantur: externa omnia fœlicitatem comparant, non faciunt; quin imo nec interna, quod ***nemo mortalium omnibus horis sapit***; Romanus Psila ***fœlicis*** nomen quærit, sed civili sanguine & patriæ oppugnatione adoptatus ascendit: ô prava interpretatio, suo & futuro tempori infœlix; cum Psilam nemo non oderit, cum ab invidia gloriam victam præscribat: Lucium Metellum bis consulem clarissimo triumpho civitas exornavit, raro fœlicitatis exemplo: hanc intercepit orba luminibus senectus memorabili casu, sed eventu misero: ***Omnium mensuram***, dixit Protagoras, ***hominem esse, existentium quidem ut sunt, non existentium vero ut non sunt, deinde qualia singula mi videntur, talia mibi esse, qualia vero tibi, tibi quoque talia.*** Et ideo fœlicitatem suopte ingenio quisque terminat; nec scientia, aut divitiæ, nec valetudo, hominem reddidere fœlicem: nemo est sola possessione beatus: oportet enim talem non solum temporalia bona possidere, sed iis bene uti: nil enim sola possessio juvat: sunt cumulatæ divitiæ, velut acervus lapidum, & illa neque bona, neque mala, sed prudentia aut inscitia, bona aut mala effici: usus enim rectitudinem, consequutionis prosperitatem, animus aut scientia præbet; majus est perfringere difficilia, quam læta: sed mea sententia difficilius est, fortunam moderari, quam quæque difficilia: ob hoc fortasse, dixit Athalus, ***malo me fortuna in castris suis, quam in delitiis habeat.*** Sed morum corruptiones, hujus sæculi vitia, amaram reddidere fortunam, in opulento divitiarum culmine, in salute, in pace aut quiete, aut in ipsa scientiarum gloria; & si quo in alio fœlicitas consequitur: siquidem plerumque homines, aut sunt populi concitatores,

2 Hist. 12.

Plato Dialog. Theetatus.

Dialog. Eutydemus.

Cynædi,

Cynædi, amicitiæ proditores, homicidæ, rapaces, prædatores; fœminæ, meretrices, sine fide aut lege: & si isti fortunam consequantur, iniquitas & injustitia, eos in perpetuum fœlices esse non sinit: Nam nefanda piacula non recentia tantum, sed quorum jam memoria exolevit, fortunatis cesserunt in supplicium, justo Dei judicio: ut per hæc assequamur, nostri fati manus etiam fuisse scelera. Crœso potitur Cyrus, & toto Lydorum Regno, quia fato destinatam fortunam fugere nemo potest: sed observa quod Crœsus quintæ retro ætatis crimen luit; hoc est abavi, qui cum esset satelles domini sui, illius mulieris potitus, dominum interemit: sed recentius nos crimen judicamus, quia Crœsus primus Græcorum fuit, qui adhuc in summa opulentia suos ad tributum pendendum adegit. Cyrus etiam adhuc puer, ab Astiage morti damnatus, ob augurium regni successionis: misericordia liberatur per Harpagum, & à bubulco alitur, & lacte canis pascitur: & cum postea in ludis puerorum præsideret, Rex acclamatur, & illis imperabat: horum tamen gnarus Astiages, augurii memoria conterritus, Harpagum pascit suo ipsius filio in celebri convivio: ille vero facinore & injuria impulsus, Cyrum jam principem in Astiagem convocat, à Persarum Monarchia, ac illum in bello superavit; deque illo triumphat: ac Regnum proditur propter facinus: traditur ob injuriam. Quod idem apud nostros olim legimus accidisse, sub illo infœlici Roderico, ultimo Gothorum principe. Fortunam veteres posuerunt, non in divitiis, non in majestuosa amplitudine rerum, sed in animo, quem nec emollit fortuna, nec infœlicitas infringit, scilicet in robusto & moderato: Aristippum miserabili naufragio demersum, & à mari expulsum considera; cum ad litora appulit Syracusæ, & venit ad Gymnasium, ubi illud Græce exposuit; ***Quis vagum atque errantem Oedypum hodie raris excipiet muneribus?*** nam illum læto & grato animo excipiunt; votis orant ac muneribus donant: quibus ille, familiæ Cyrenensi dicite, ut eas res sibi curent parandas, quæ cum possessore naufragio enatent, quas nulla auferat infœlicitas: quod vobis nos etiam consulimus. Illud ultimo volui adnotare, quod sicut fœlix suam fœlicitatem præstat alteri, sic etiam infœlix, alios veluti infœlici contagio afficit: quod in privis regum vidimus accidisse; de hoc tamen ex Alberto Magno, ita legitur: ***Antequam veniamus ad sermonem, ex prærogativa, dicimus quod valde cavendum est, in omni tempore obviatione & societate hominis infortunati; opus naturæ superioris, ut ab homine cui deminutum sit aliquod membrum, ut, oculus, manus, &c. Causa est, quia quilibet talium est factus infœlix, & sua infœlicitate obstat fœlici: & hoc præstat in multis nocumentum, quod est occultum homini ignaro; cum per se non possit comprehendere hoc, nisi per experientiam sui mali: nam homo se non potest custodire ab homine infortunato, quia nocumentum est occultum, & nulla erectura bonæ complexionis si membro diminuta sit, potest suam complexionem conservare, quin in pejus mutetur, raro in melius, unde dicitur:*** Cave à signatis; & homini signato aliquo in membro non fidas.

De consultatione; seu arte consultandi.

In consultatione, primo est rei inquirendæ propositio: Secundo mediorum electio, ut si non quod optimum, saltem minus malum consequatur: Tertio executio, quæ sequitur consilii deliberationem.

Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reip. utile, ipsis gloriosum, an promptum in effatu, aut certe non arduum sit: simul ipse qui suadet, considerandus est, adjiciat ne consilio periculum suum, suam, amicorumve utilitatem; & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur: tunc est certe de consilio discernendum. Est enim consilium res sacra; multa comparat, multa perdit consilium: sed veritatis & justitiæ illi prima gloria erit. Illud maxime nobiliorem fecit consulentem, nobilis persuasio & efficax: ***Gorgiam sæpe dicentem audivi***, dicit Plato, ***persuadendi facundiam artibus cunctis præcellere, quippe cuncta non vi, sed sponte sibi subjiciebat, cum omnium artium longe optima sit.*** *in Philœbo.* Non est minor necessitas, consulentes eligere: ***Censeo namque***, dixit Plato, ***illum qui alicujus sufficienter probaturus sit animam, tria potißimum teneatur habere; primo sapientia, deinde, opinionem prudentiæ atque benevoli, & tertio, audaciam.*** *Dialog. Gorgias.* Majoribus dignus debet esse consultor, quem forti animo decet consiliis adstare, invicta libertate: qui enim in principiis hæsitat, in aliis audebit nunquam: quoniam, ***Qui retro pellitur***, ut est in Proverbio, ***non expugnat urbem. Postquam vero obstaculum dejicimus, reliqua post hac minora, levioraque supersunt***, dixit Plato. Quare ***periculo in principio obsta***; *Dialog. Sophista.* antequam ignaviæ errores sese prodant; cum nulla cura valet, & omnis solicitudo est inutilis: nam morosæ cunctationi dare nomen, prudentiæ falsa opinio, nec melancholici consueverunt. Illud semper nota, quod major pars negotiorum in pelago desidiæ, sub caumate procelloso submergitur, quia præceps occasio, & obliviosa desidia homines occupavit, & ignava fiducia; maxime apud nostros, ubi solum concitat diligentiam acriori morsu propriæ utilitatis calcar: cum enim de occurrenti discurrit, jam disparuit: ideo momenta non debent in consultatione parvipendi, cum ex illis eventus fœlicitas lucretur; magna, summa attentione debent recoli: sæpe convenit hostiliter pugnare, non discurrere; interdum enim arma superant rationes; ut his temporibus nos docuit necessitas & urgentia rerum, in seditione Barchinonensi, & inconsiderato Lusitaniæ tumultu, quæ statim comprimere, nec arduum, nec difficile erat, antequam imprudentis fiduciæ sese proderent errores; quorum pœnas nos in æternum luimus: nec illam quæstionem agitamus, an Regiam majestatem deceret, has tenebras confusas, solis lumine splendidissimo discutere? illud tamen attendere par est, abavum imperatorem Carolum, sola luminis præsentia sedasse tenebras seditionis Germaniæ confusas; (compendium utilitatis publicæ, & excusatio graviorum malorum.) nam inconsulti impetus cæpta, si non tempore, principis præsentia evanescunt. Nec ideo consulo nimium ut properemus in rebus arduis, & urgentia contraria complicatis; ne nobis illud accidat,

cidat, quod fertur in proverbio: *Qui nimis properat, tardius absolvit*; sed proh dolor, apud nostros jam olim cessit in parœmiam; *Hispania auxilia*. Res magnas attente decet considerare, neque temere aggredi, quasi leviter peragantur: cogitare vero quid commode fieri possit, qua occasione & quo tempore, est nobilis prudentiæ: nam Sabinos mora arguit, cum Romulum valuerunt opprimere: ac sedulitas nobilitavit Romulum, quod attentus ad occasionem operetur; cum illi, sine fructu ad arma concitantur: potissimum remediorum est celeritas, cum hostium potissimus est tempus. optimæ resolutiones, raro in integrum decernentur: & nihil magnum, semel bene peragitur: res magnas eximia pericula circundant: & interdum non datur optimum eligere; sed dimidium boni: sed non est bonum dimidium illius, quod cum in toto consistat, divisionem non admittit: at eo nostri sæculi miseria devenit, eo lucri cupiditas, eo lubrica temporum & hominum conditio, ut electius sit fortunæ consilium, quam prudentiæ: reducere in memoriam profutura remedia occasione jam elapsa, est inutilis labor: esset imo solatium, oblivio. Neque minus furiosa impatientia præcipitat consilium: in illa enim abyssus abyssum invocat; neque errores impatientiæ ulla excusat mora: tutius est comprimere generosum ardorem, & principia excusare, si in illo observatur periculum, quam obstare principiis: nam impetus odit justitiam, & prudentiam; & est juxta formidinem velocitas: cunctatio propior constantiæ est; prudentia adorat consilium, & fortuna prudentiam; ac ideo consilia fortuna dirigit, sed furor & prudentia longe distant: *Cattis inter Germanos multum rationis & solertiæ est*, dixit Tacitus, *unde illis mos est, præponere electos, audire propositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, & cætera ad occasionem disponere*. *Germania 4.*

Ad unum finem sæpe tendunt consilia, licet aliter videantur contraria; nam multæ lineæ idem appetunt centrum & tamen sunt contrariæ: sed non ad unum sæpe consulentes attendunt: & si multi grave commovent pondus, & alter alteri pondus rejicit, movet nullus: nam alii pro naturæ suæ convenientia, pro livore, aut lucro, res suas amicorumque laudant; alienas reprobant, ut extraneas, fortasse ut alterius vilescat æstimatio; comprimatur auctoritas: vanitas enim majorem vanitatem non patitur; nihil ægrius tulit quam ipsa de vilitate argui: in multis denique adversarii inter se vehementer evadunt: sed illud altamente repone, qnod Euripides dixit, *nulla est potentia major, quam bonorum prudentiumque consensus*: eo enim floruit viguitque Resp. Romana, quo bonorum consensus: ideo forte floret opulenta Venetorum Resp. & est nostra invalida, non virorum sed consensus defectu; cum omnia ad nutum unius gubernentur: nec desunt in Hispania viri magni & consilio clari; sed ii aut in occulto latent, præ misero timore; aut nobilis libertatis pœnas luunt, in exilium acti: ut fere nunquam prævaleant digniora in suffragia in calculo: nam illi tantum deputantur consiliis, qui ambulant alieno gradu; & alieno comedunt appetitu; pauci sint consulentes & electi; nam ubi multa judicia, ibi major confusio: lapidum congeries unita, geometricam altitudinem condit, non unitatem physicam: sic ingeniorum multitudo non unum facit egregium, imo simul se mutuo impediunt, non juvant: hoc est aperte falsum quod in visu, unicum egregium & perspicacem duo superant oculi: si potentia unius plus valet ambobus separatis; cum major activitatis sphæra, longiorem consequatur distantiam; & splendor unius superat aliquando duorum tenebras confusas: sed illud multa perdit, quod non est tam bella conditio in comitiis, quin vilescat, si à paucis insequitur: nec tam mala quæ non sit præferenda, si à multis. Ingenui & prudentes debent semper consulere, quod melius, & amplecti interdum quod deterius, si illud est à multis plausibilius: non debemus enim ita propria sententia obniti, ut pro ignorantia æstimemus cæterorum suffragia: est primo necessarium, ad ferenda suffragia, rerum intelligentia, intellectus, constantia; sicut voluntas libera: quod enim intellectui objicitur, non ita brevi transit, quin illud voluntas amplectatur, nisi illi obstet sensuum depravatio: hæc enim prævertit consulentes, ut bonum vestiant sub specie mali: & malum præferant sub aliqua ratione boni: si maxime utili proprio conducit: veritatem veluti suffisticantes, speciosa rationum apparentia: ex lucri labyrintho seu barathro conducta. Hoc tamen est veritatis privilegium, ut aureis catenis vinciat intellectum, nisi lucri illecebris prævertatur voluntas: nam veritas est spiritualis, & potentiæ corporeæ fortius immutantur ab objecto corporeo: ideo apud orbem, potentiarum potius dominatur præversio, quam candida rerum intelligentia, & intellectus nobilis persuasio: adeoque illustres actiones, quia raras fœlicitas commendat, mirabiles adorat reverentia. In hoc tamen plerique contentionis gloriam posuere, ut aliis videantur mirabiles, si fortiter argumenta sequantur, usque dum jus & fas veritatis convellatur; & hi sunt semper sententia antipodæ: quare nostrum erit consilium, *adversum homines, & ad victoriam veritatis pugnare; sed adversum barbaros, ad necem usque certandum*, dixit Plato. *Dialog. Menexemanus.*

Regni caput, est princeps, oculi sunt principes Ecclesiæ, brachia, nobiles & purpurati viri, pectus divites opulenti, pedes, ignobilis & ingenua plebs: anima regni sunt viri candidati, & sagacis consilii; experientia clari acris & fidelis judicii; leges, dixerunt alii. Quare si corpus universum Reip. patitur habituali morbo; seu læthali laborat, ab anima incipiat curatio, ut in corpus redundet; seu à corpore toto, ut partes illius medeantur: *Oculorum dolor non curabitur*, dixit Plato, *nisi prius capiti medeatur, neque caput absque totius medicinæ*. Zamolxis medicus Thracius, olim dixit, *neque sine anima corpus potest curari*: eaque causa est, quare Medicos adhuc sapientissimos morbi corporis permulti lateant, quia totum ipsum ignorant, quod prius decens erat curare, quo male affecto, impossibile est, bene valere partem ullam: omnia namque vel bona, vel mala, ab anima in corpus & hominem totum dimanare: at animæ tantum medetur incantatio, præclaræ rationis, qua ipsa temperantia comparatur: quare qui medelam docuit incantationum, non prius capiti remedium docuit adhiberi, quam anima incantationibus ipsis purgaretur: *Plato in Dialog. Carmedes.*

me

me itaque dixit Plato mirum in modum præmovit, qui hæc dixit, mandavitque caverem, ne quis unquam dives, nobilis, neque pulcer, mihi ut aliter faciat persuadeat: hoc ego illi jure jurando interposito confirmavi: est enim temperantia, habitus cognoscendi, & quæ ignoramus, & quæ sapimus: sine errore vitam transire docet; & recte nos & alios gubernare: ideo in consultatione consulentium extrema, temperantia copulantur furoris & ignaviæ, ut calor & frigus in tepido junguntur, quia medio uniuntur contraria; ac illius defectu alter alterum perdit: in rebus arduis ob imminens periculum, prudentes mediant, dum elementa contraria in mixto, ex pugna jam defessa quiescunt, occasione potius quam causa concordiæ: res enim securius moderatione, quam vi componuntur; quod non accidit, nisi cum nostri ingenua cognitio, alterius veritati, si fortior est, cedit; ideo forte Lacedæmonii sapientes olim facto consilio, ex communi consensu, has Delphici Apollinis templo sapientiæ dicaverunt primitias, quæ inscriptæ in limine ab omnibus leguntur, COGNOSCE TE IPSUM: vulgus ex effectu probat consilia; quoniam nec novit rationem, nec justitiam: & quod videat valida ingenia reddi consiliis infœlicia; & cum rationum fundamenta non penetrat, ad effectus attendit: at morum corruptio instabilitatem parit, instabilitas illudit aptiorem discursum & expertam prudentiam: ideo hodie periclitatur prudentia in auxiliis. Quare si in conjecturalibus nulla datur securitas, non erit certa regula, quæ nos secure ducat: ideo qui ad tempora, & occasionis properantiam discurrit, recte consulit, qui gregem recte pascit, populos in pace conservabit; qui recte convivium disponit, exacte gubernabit exercitum: sed qui consulit ad passionis impetum, seu propriæ utilitatis genium, non consulit Reip. utilius; & notato, quod tot sunt orbis lucra, quot orbis individua; & omnes sibi consulunt, sub communis utilitatis zelo: nam in rebus humanis majorem partem sibi vendicat lucrum, quam bonitas: nec illam agnoverunt Politici. Severior Aristarchus sub simulatis ac speciosis verbis, haud unquam satis notam intensionem operit, & simulat; & Tiberii calliditatem imitatur: qui cum virtutem Drusi extolleret, in speciem magis verbis adornatam, dicebat, quam ut sic penitus sentire crederetur. Hoc magis usitatum in aulis, lenibus & simulatis verbis decipere, & fallaci humanitate adulari; plerique enim occultant in verbis animum, ut plus dignationis habeat adulatio. Cæteris mortalibus eo stare consilia, dixit Tiberius, quod sibi conducere putent: ab odio, & amore sit procul consultatio, & omnem superet animi passionem; nam timori omnes animi passiones cedunt, quia nulla operatur, cum vita est in dubio; quæ est omnium operationum principium: æmulatio difficulter ab animo evellitur: amor, quadam veluti necessaria illectione allicit voluntatem, necessitatem fingit, ut sit æque difficile agnoscere, quæ promptius transferat malum in bonum, an (quod erit frequentius) bonum in malum: hominis quotidie humiliant vanitatem, & discursus fallacia, & perennis rerum vicissitudo, & eventus spectationi contrarii; & in ipso errore delusi moriuntur: re-

A rum essentia, sublunarium est ipsa mutabilitas, violentum, stabile: si ergo violentum ipsa conservat mutabilitas, quid violentiam poterit conservare? nihil firmum ipsa natura patitur: in oppositis & contrariis operibus solet Deus operari; & faxit, ut experrecti dormiant, confundantur prudentes, & timeant fortissimi: quo in tempore, soli lyncei oculi, Dei omnipotentiam agnoverunt: quia communis providentia causis naturalibus utitur; ne unquam possit homo prævidere certissima: at homines, sicut au-
B gures, norunt, & sic sub incerta fortuna, magnarum rerum prædictiones instituunt inter homines, quorum centrum malitia ad leges arbitrii librata: & ideo accidunt aliquando, velut astrologorum prædicta, quod in nobis semper naturalis propensio, ad male operandum inclinet, & non semper obsistitur.

Parum secura est humana conditio; haud stabilis ipsa natura rerum; cuncta mortalium incerta; inter causas malorum est, quod *ad exempla vivimus, non ad rationem componimur*: unde *plures*
C *exemplo quam ingenio peccant*; incertum metu, an per invidiam; nam res hodie opinione magis, quam veritate pollent: & perculsæ mentes sunt mobiles ad superstitionem: inde consuetudine abducimur; & recti apud nos tenet locum error, ubi publicus factus est. Inter insaniam publicam, & morbosam, hoc interest, quod hæc morbo laborat, illa opinione animi: ideo nemo præceptis curat insaniam publicam, plerosque coërcet castigatio, quibus mens mota; non erepta est; Reip. statũ decet gubernantem contem-
D plari, & non exemplis uti jam præteriti sæculi; nam *homines ut sæcula mutantur, mores & consuetudines*; nam qui subditi erant acriori Politica, nunc adhuc leviora ferre non possunt; & educati in licentiosa libertate, jugum tristioris servitutis ferre nequeunt, nec ideo repente illos coërcere oportet ad servile obsequium, sed in obedientia continere, ne irritata patientia exbalistet; nam ægre tolerat Resp. subitas & magnas mutationes: altius enim & diu radicatæ consuetudines non nisi clamoso dolore evelluntur: unde ma-
E gnæ mutationes pariunt novitates; & vix seditiones compescibiles. Mutatione olim agitata Moneta, ad centum fere annos non quiescit. Et his nostris temporibus, quot infœlicitates experimur? eadem nempe causa nunc incœperunt Galliarum tumultus, & intestina bella: cave alieno discrimine, & discito infœlicitate aliena: memento infœlicis tumultus Lusitaniæ; & nunquam ex merito deflebilis vastationis Carpentaniæ: & si ad hujus provinciæ epitaphia accesseris, gentium ruina, obliterato Hispaniæ valore,
F lege, & luge, & tacitus discede; ne hæreat faucibus lingua tua; seu in effusi sanguinis supplicio, seu in crudelitate proscriptionis. Nihilominus ad conservationem aliqua conducunt documenta. Ad honorem, utilitatem, & pacem, conducit, si privata odia publicis utilitatibus remittantur; sed in generali corruptione morum, & in magna rerum confusione, non differt ab imprudenti sapiens; consilia à casu: sed cuncta pari violentia volvuntur, & miscentur: velut in repentinis casu, aut tempestate, pavidus miles casuum maris ignarus, turbat nautas; vel non juvat in tempore;

aut

aut officia prudentium corrumpit. Quare sola *occasio solet dare consilium:* hoc eruit prudentia, de causarum potentia. Misit Tiberius Drusum filium, ut sedaret Germaniæ seditionem antequam Romana verteretur fortuna, nullis certis mandatis, ex re consulturum; non decet enim duces spectatæ prudentiæ, mandatis togæ inexpertæ bellorum coërcere; nec credere quod imperent fortunæ. At ministrorum plerique contra fas operantur; subdola, inhonesta, & solæ adulationi servientia; propriæque utilitati; & consultationem fucata principis voluntate adornant: multa enim fœlici consensu audiuntur, quibus omnia principum honesta, aut inhonesta, laudare mos est; hoc tamen non evadunt, quod illa plures per silentium, & occultum murmur, excipiunt. *Tibi soli peccavi,* dixit Rex musicus, quia Regis in aula interpretantur vitia pro virtutibus; quoniam adulatio peccata speciosa convertit in virtutes; sed fingentibus cœlestia mandata, aut non credent homines, aut non ignoscent. Plerique tamen ita occultant in verbis animum, ut nulli jactantius mœreant, quam qui maxime lætantur: at illud est, ex adulatione Reip. periculum, ut dum veritati consulitur, corrumpatur libertas: hanc nihil æque atterit, ac principis patefacta voluntas, aut ministri crudelitas. Adhuc cupidine severitatis, Tiberius in his quæ rite faceret, acerbus, consulentes obterruit, ut silentium & paupertatem libertati & confusioni præponerent: quare in re gravi, & ancipiti negotio, nihil spernendum, modo non omnia metuenda: & in veritate audienda semper ambiguus princeps, non se debet sentire percussum; sed inter severitatem & spem, vultus consulentium spectare. Relinquendum interdum est rumoribus tempus, quo senescant; falsa enim tempore, aut spatio evanescunt: clarescunt veriora: sed res adversæ, consilium adimunt; nutat & in flagitio consilium: & plerumque non magnæ auctoritatis viri sunt, recenti invidiæ impares: hoc est scelestum facinus, in consilio privatum odium falsis criminibus tegere: nam agnita principis credulitate, vigent delationes, fama incerta crescit, & cuncta ex longinquo aucta deterius adferuntur: statim credita, mox divulgantur: ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures, cumulata transferant. Nec est ita graviter consulendum; neque ita severe, ut principis facilitatem arguat; nec tam serviliter; ut adulationem: illud tamen attende, si in hoc tempus incidas, quod est angusta & lubrica oratio, dicentibus sub principe qui adulationem odit, aut adfectata severitate terret: quare pavidis etiam consilia in incerto sunt; metus enim propriam quamque eloquentiam debilitat; nec minus facundiam violentia præcipitat.

1 Annal. 7.

1 Annal. 15.

Ad decisionem negotii communis, plures elige; sed ad peculiare, selectos, sed non plures: nam vera, aut in deterius credita, judice ab uno facilius discernuntur: dixit Tacitus, ***odium, invidiam apud multos valere.*** Sed nec ex facili vulgatis oportet credere; adeo fama maxima quæque ambigua sunt, dum alii quodammodo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt; & gliscit utrumque posteritati: ut nullibi integra fides habeatur. Illud constat, multos in provinciis, contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse; & ideo non est ex rumore statuendum: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, & avito valore, experimur; & alios hebescere. Fateor neque posse principem cuncta sua scientia complecti; nec expedire, quin ambitione aliena trahatur: deceret tamen, ut notitia virorum candidæ & sanctæ electionis illustraretur: & in hoc quidem impensius laboret.

Illud mihi videtur Chaos inaccessibile; de morum corruptione disserere: æque enim ardua ac difficilis est, de vitiis Reip. consultatio; ac de necessaria illorum efformatione. ***Nescio an suasurus fuerim;*** dixit Tacitus, ***omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.*** Sed in hoc statu, nec est honestum silere, nec proloqui expeditum; cum splendidissimo cuique calumnia paretur; cum neminem criminis expertem clamet populus: atqui, ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, nisi per dura & aspera coërceas; corruptor æger, & flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus exardescit.

De publicis ærariis nos aliter sentimus ac communis fert sententia: nam ærarium illud cujusque auro plenum, talem perdit Remp. quod etiam in frumenti cumulo, in annonæ tempus reservatum, experimur: nam primum quidem novos sumptus, senatores & ministri reperiunt: ad hoc leges novas deducunt, quibus neque ipsi, nec ipsorum mulieres obtemperant: inter se amicos & clientes, & frumenti, & auri ærarium commune partiuntur: quod iterum recolligere, civium potentia, & auctoritas vetat; & ipsa senatorum collusio; deinde æmulatione & exemplo; multi tandem tales evadunt: hinc effusius ad pecunias cumulandas delapsi, tanto id pretiosius existimant, quanto virtutem æstimant viliorem: an non ita virtus à divitiis discrepat, quasi utraque in stateræ lancea sint opposita, semperque in contrariam partem declinat? quando igitur in civitate divitiæ ac divites honorantur, virtus, probique viri despiciuntur: nam ***contrarii unius summum, alterius est principium;*** sicut extrema libertatis licentia, extremæ servitutis est initium: ac tandem sumptibus indeficienter necessariis ipse calor, qui fovet, humidum radicale consumit, & congenitus vermis ipsiusmet substantiam populatur: si forte avaritia copulatur potentia, aurique sacra fames; an vis dicamus, quemadmodum in favo fucus ortus examinis apum morbus est; ita & hominem hujusmodi domi natum pestem Reip. fore? hæc est petra scandali judici criminali, ac plebi perpetua invidia, ut æterno in circulo delationes volent: hoc ut inexplebili principis cupiditati, & communi necessitati obsisteret, politica invexit, & Remp. fortasse graviori periculo exposuit, cum dormientem ad auri cupiditatem excitaret; ut olim Antiochum Judæorum divitiæ. Ubi sunt tot à majoribus repertæ leges, tot quas tulit Augustus, illæ oblivione, hæ, (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere: nam si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: aut si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra neque pudor erit: cur ergo olim

olim parsimonia pollebat; quia sibi quisque moderabatur, quia unius regni cives eramus, non externis polluti gentibus; ne irritamenta quidem eadem, intra Hispaniam dominantibus, externis victoriis aliena: civilibus etiam nostra consumere didicimus. Nostra Hispania externæ opis indiget, non inopia mercium, sed ambitione dominantium; & parta tuendi necessitate: seu quia vita populi per incerta moris & tempestatum quotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiæ, & dominis & servitiis & agris subvenirent: nostra nos scilicet nemora nostræque civitates tuebuntur: profecto mare civitati proximum quotidiana quadam jucunditate eam afficit; sed vicinitas ea nimium revera salsa & amara est: nam cum mercibus & pecuniis cauponando civitas repleatur, dolosi animi & instabilis infidos mores parit: unde parum & ipsa, ad se ipsam, & ad gentes alias fidem & amicitiam colit: adversus hæc tamen illud habet remedium, quod omnium est ferax, & solatium, quod dominatur omnibus. Attamen multa auri & argenti copia nihil pernitiosius ad generosos justosque mores: hos autem restituere ad sanctissimos olim, sola valet divina providentia: nam humana, non nisi iterum Hispania vastata, & redacta ad antiquam miseriam; ut dum solis armis & invictę virtuti incubuere nostri: nobis intra animum medendum est, ut nos pudor, inopia, necessitas, aut vitiorum horror in meliores mutet: nam luxus magis exemplis quam legibus coërcetur. Romæ præcipuus adstricti moris Vespasianus antiquo ipse cultu victuque, obsequium inde, in principem æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus & metus: nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit, verum hæc nobis in majores certamina ex honesto maneant.

Majoribus dignus debet esse consultor, ut dicebamus antea, rerum providus, constans in periculis, offensionum pro publica utilitate impavidus; templa & effigies non marmoribus, sed in animis hominum debet struere; nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris sperantur; raro virtutes pro consultatione necessariæ in uno cumulantur: hic hac virtute excellit, alter illa; nemo potest omnia, quæ circunstant consilium, prudentia complecti; agnoscere futura, occasiones discere: quia tam multarũ rerum necesse est alicujus esse ignarum: multi certant pari ambitione, sed viribus diversi; neque multum inter se distantia memorant; alii proferunt simulata consilia, in suam aut amicorum gratiam; alii persuadendo excellunt; alii dicendi impetu. Domitius Afer, prosperiori eloquentia quam morum fama fuit; nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fœda mente retinet silentii impatientiam. Quintus Haterius eloquentiæ celebratæ moritur; monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur; scilicet impetu ingenii, quam cura, magis vigebat. Utque aliorum meditatio & labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud & profluens cum ipso extinctum est. In executione nostri viri cæteras nationes excellunt, & in ipsa laborum tolerantia, sed impatientia, consilium præcipitant; nam valoris ardorem ferre nequeunt: & præcipiunt quæ in brevi pæniteat; aliterque quam summa rerum postulat. In re gravi ancipiti senatu: Junius Rusticus fatali quodam motu, seu prava solertia, senatum suspendit, disseruitque brevibus momentis, *summa verti posse*; dandumque interstitium, aut pænitentiæ postulanti; aut tempori. Non est enim de summis rerum statuendum subito: illud tamen altius prudentia discernit; nam pro rerum magnitudine & occasionis necessitate, brevius aut serius operandum; callidius aut segnius occasio præcipit, aut impellit necessitas; Artabano non fraus, non preces, nihil omissum erat, quo ambiguo inliceret, & prompti firmarentur: at rebus tumultuantibus, ubi instat periculum, qui inter seditiosos introducitur, ambigua sententia, & cauta solertia, oportet dicere, (si hoc valet in hoc rerum statu) callida & æquivoca simulatione expedire: sed in officii necessitate & periculo, communem sententiam sequi, erit tutius; licet non æquius. Rogatus sententiam Scipio; *Cum idem*, inquit, *de admissu Poppeæ sentiam quod omnes, putate me idem dicere quod omnes.* Eleganti temperamento, dixit, inter conjugalem amorem & senatoriam necessitatem: haud minus dignum erit senatoriæ prudentiæ, cautione expedire in principum mandatis; & illud in primis discito (si illud tempus ferat,) ne principum actiones nostro sub judicio cadant: at si instat periculum, & effici illud petit necessitas, humili obsequio, & libertate nobili, neque decens est, neque justum silere: illud enim silentium est proscriptæ libertatis inditium: fateor, quod principes debent audiri non quæri: nec est, nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollat: nam præter justas causas illis summum jus Dii dedere, ait Tacitus, nobis autem obsequii gloria relicta est: abditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, illicitum ancepsque erit: ferenda sunt regnantium ingenia, neque usui fore crebras mutationes; ferendo potius quam imperia ducum sciscitando, res omnes continentur: aliis arma & animus sint, penes alium consilium, in principis furore, immortali silentio fatum vinces.

Varia consulentium facies cujusque proprium concitat genium, calliditas aut œstrum: paucis decus publicum curæ, & plures tuta disserunt: unicum est omnibus hominibus negotium: & hoc est cuique proprium: omnes scelus externum, cum lætitia habendum judicant, semina etiam odiorum jacienda plerique crediderunt: ut sæpe principes Romani, cum Armenium specie largitionis turbandis barbarorum animis tribuerunt, potiretur, Radamestus male partis multis placuit ut redderetur invisus & infamis, quando id magis ex usu, quam si cum gloria adeptus foret: alii seditiosos intulerunt, ut turbarent Remp. & ut ferro aut veneno inlicerent duces generosæ fortunæ: & in hoc spem invalidi valoris posuerunt; id armis posse consequi desperati: res novas fovebant multi, quibus nova & ancipitia præcolere, avida, & plerumque fallax ambitio est: nam magnarum rerum curam non dissimulant, qui animum etiam levissimis advertunt; genus orandi est plerisque nobile, & usu celebre, aliis ad implendas populi

4 Annal. 13. 5 Annal. 11. 6 Annal. 10. 16 Annal. 2. 12 Annal. 10.

aures, latum & sonans, alios suadendi facundia reddidit nobilissimos; alios propositionis elegantia, ac tandem plures electio melioris consilii. Juvenes oportet auctoritate, senes precibus monere: inter hæc tamen omnia superat æmulatio, turbatis maxime rebus; nam populi rumor neminem sine æmulo sinit. Multis tandem inter consulendū veritas placuit, & is populo redditur plausibilior, quoniam publico utili pauci consulunt. Patrum nostrorum tempore consultum est de Mauritanis Hispania pellendis; & visum est aut omnes capite puniendos, aut in Africam relegandos, ob scelera gravissima, in quæ omnes dedere manus, aut major pars illorum: quod de uxoribus aut filiis credere par non est: at omnes pari supplicio pænas luunt: & in prædam cessit imbellis ætas. Et hinc facti sunt illarum gentium hostes nostri in capite, & barbaram nationem prælia & arma docuerunt: & facta sunt oræ Hispaniæ maritimæ insecuræ: ducti postea sunt in captivitatem viri nostri: unde apud nostros & illos luunt pœnas insontes, nostri captivitate: & filii illorum & uxores immerito exilio; erant certe capite puniendi, conjurati in nostros, in Regem & in regnum; & nihil universorum juri derogandum, ex sanctissimis legibus contra libertorum fraudes, & male meritos Romæ olim dissertum
13 Annal. 6. est. Severissime omnes capite puniendos, dixerunt alii, aliis paucorum culpam, ipsis solum exitiosam fore: magis placuit, nihil universorum juri derogandum: & horum prævaluit sententia, ne pæna damnarentur insontes. Cum alibi etiam Pedanium secundum servus interficeret, publico judicio calumniæ damnatus est; & usque ad seditionem ventum, inter magistratus cum novas leges puniendi postularet aliorum judicium; de antiquis nihil mutandum aliis sentientibus: ex quibus C. Cassius sententiæ loco in hunc modum
14 Annal. 13. disseruit: *Sæpe numero in hoc ordine interfui, cum contra instituta & leges majorum nova senatus decreta postularentur, neque sum adversatus, non quia dubitarem semper omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quæ converterentur, in deterius mutari: sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer, simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam, ut maneret integrum, si quando Resp. consiliis eguisset; suspecta majoribus nostris fuere ingenia servorum, facite ut ne insontes pereant: habet enim aliquid ex iniquo, omne magnum exemplum quod contra singulos utilitate publica rependitur.*
Cap. 14. Petrus Trasea, pro Antistio crimine majestatis postulato, sic disseruit: non quidquid nocens reus pati meretur, id egregio sub principe, & nulla necessitate obstricto senatu, statuendum esse; carnificem & laqueum pridem abolita, & esse pænas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia, & temporum infamia supplicia discernerentur. Plerique tamen judices Carinatem imitantur, Græca doctrina ore tenus imbutum, animo vero, veris artibus spoliato, fortuna esset in principem & judices incidere, quibus rara temporum fælicitate, sentire quæ velis, & quæ sentias dicere, liceat: sed fortius allicit lucrum, fortuna, potentia, & adulandi amor, quam veritas: imo apud plerosque integritas crimen rigiditatis luit; apud insontes vapulat inscia temeritas; sapiens vocitatur resolutio in deterius

A prona amore adulandi, seu ad utile proprium: honoris ac veritatis amor propriæ conservationis præcipitium: qui vero occultæ adulationis violentiæ, miti & fraudulento lucro, & fictæ humanitati cedit, sub fucato propriæ conservationis colore, ad nutum illius politici præcepti, *bene vivere & lætari*, is ministri fidissimi apicem adipiscitur: utinam non fædissimi! *Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua homini bona; tu quidem pari constantia* 1 Hist. 12.
retinebis dixit Pisoni Galba, *sed alii per obsequium imminuent, irrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas; ego, ac tu, simplicissime inter nos hodie loquimur, libentius cum nostra fortuna, quam nobiscum loquuntur.* Securior in consultando politica est medentis similima; scilicet curare & consulere; non solo valore pretii, nec proxima pecuniæ cura, sed pro desiderato & perdita salute adipiscenda: satis enim peragitur quod in communi agitur; & fit satis ægrotis & adstantibus: nam quæ fato manent, quamvis significata non vitantur, & hoc penatibus suis in omen salutis gratis damus; nulli prodest propriæ æstimationis jactantia, nocet antiquus rigor, & nimia severitas, cui jam pares non sumus; quantum vis nos majoribus dignos vanitas persuadeat; semper negotia sint tibi curæ publica, non particularis adulatio. Nequissimi autem consulentes, vi & legum timore à consultationibus evellatur, doctis & ingenuis ascitis: perditissimi enim non agris aut fænoris curant, sed instrumenta vitiorum conservant, ac inordinato clamore veritatem quam non intendunt simulant, aut sub fucato zelo necessitatis publicæ ut difficulter in turbido eliciatur consilium; hoc publicum petit auxilium: nec contatione opus est, ubi pernitiosior sit quies, quam temeritas: nec est moræ locus in eo consilio quod non potest laudari nisi peractum: quare in discordiis civilibus nihil festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto est opus: nam fælici temeritate interdum securius præcipiti negotio occurritur, quam segni & tardo consilio in tempore librato; talis enim est urgentia aliquando, ut ultimo indigeat auxilio: & insipientis esset, & improvidi, à minoribus certe inchoasse, ut hodie luget sine fructu Hispania.

Quod si propria auctoritas non valet in re magni momenti, callidos & audaces pretio aut promissis onera; sic enim quæ videbantur prorsus impossibilia, consequuntur. Inter Romani imperii tumultus data pecunia ad pertendendos plurium animos, suscepere duo manipulares ad imperium populi Romani, transferendum, & transtulerunt à Galba ad Othonem, in conscientiam facinoris pauci asciti, suspensos cæterorum animos 1 Hist. 5.
diversis artibus extimulant. Hac eadem politica Lusitaniæ imperium alio translatum nostri reducere intendunt, sed detecta conjuratione apud illos nutat anceps consilium, & armis permittitur quod sagaci consilio non consequitur: sed imperitus consilii adhuc ægri periculum non adeat; & vide, ne, sicut Galba, sacris intentus, & ignarus, alieni jam imperii Deos fatigaveris: integra auctoritas majoribus remediis semper est adservanda, sed decet aliquando, malorum pœnitentiæ & bonorum consensui spatium concedere: nam *scelera impetu, bona consilia mora valescunt*: ultro Anno 1640. 20 Augusti.

tro

tro solum eundem, ubi par est regressus facultas; aut si pæniteat, aliena potestate non sit: virtus est honestis consiliis, robur; sine hac omnia quamvis egregia, invalida in tumultuosis contradictionibus, id solet evenire quod in consiliis infœlicibus, optima videri quorum tempus effugerat: facilior est inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam; ut in discordi Lusitania nunc experimur. Inter dubia, alii silentium, multi secretum murmur, plerique cujusque audaciam spectantes, attendunt in ancipiti: & alii populari impatientia jactantur, insita mortalibus natura propere sequi, quæ piget inchoare; nam ruptis inde rebus, nec cuiquam ultra fides, aut memoria prioris sacramenti; sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, ibi omnes fuere: quo in tempore præoccupare nutantem fortunam decet; sed non ut pessimus quisque, qui diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, sed vitæ impunitas, licet in tutatione ex scelere quæsita: at populi intenti occupaverat animos prior auditus, facili transitu ad proximos & validiores; bonis tamen auspiciis illis accidit, si annuit fortuna, nec omnibus male cessit implacidis; quo in statu seditiones non alio auxilio tutius, quam venia, & mercede pacantur; sed principatus scelere quæsitus, subita modestia & prisca pravitate retineri, sine discrimine non potest; quoniam tumultus proximæ causæ, & initium sunt rerum novarum, cupiditas, ambitio, & odium, interdum ut in conjuratione Lusitaniæ, in Regem quem erexerant; accidisse ab aliis accepimus; sæpe enim honestæ rerum causæ, nisi judicium adhibeas, pernitiosos exitus consequuntur; nam pereunte obsequio, etiam imperium intercidit: omnia consilia, ratio rerum, aut occasionum, non velocitas patitur. In discursu enim ac tenebris ubi rerum confusio, occasio adversus innocentes potest fieri: quare prius oportet bene deliberare. *Anno 1641.*

Propriis cujusque rebus suum sæpe fallit consilium; an quia res ipsæ à proprio amore convulsæ immutantur, an quia procax & insolens cupiditas tenebras effundit intellectui, hominem obscuritate complet, nec tandem semper & ambiguum: quare desideratum eligit, non optimum, quia non sui compos: Othonem consilium fefellit; & in bello occubuit: res fallunt, ipsas discerne: mala pro bonis amplectimur; optamus contra id quod optavimus; pugnant vota cum votis; consilia cum consiliis: nihil æque fœliciorem reddidit consilii expeditionem, ac concordia: propriam utilitatem deponere, ac tandem in communi consulere: sed non ut apud plerosque hodie celebratur, ubi omnia consilia reducuntur ad unius consilium: Vespasianus ac Mucianus, hic Syriæ, Judææ ille præpositus vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis, odiis in medium consulere, primum per amicos; dein præcipua Concordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate absolvit, natura atque arte compositus alliciendi, etiam Muciani moribus. Quid inde absolutum; ut, Vespasianum erexerint in principem, & in imperii participem Mucianum. Illud tamen fere semper contingit fluctuante *2 Hist. 1.* *Ibidem.*

A Rep. ut boni malique causis diversis, studio pari, omnes bello studeant, nemo concordiæ: multis enim rerum novarum cupidine, & odio præsentium, quieta gliscunt, cum ex fatis spectarent fortunam: at rarissime sunt ex fato spectanda consilia, ut dicebat Paulinus cautus natura; & cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent: licet interdum consilia contra prudentiæ decreta inopinato cedant: nec perinde judicari poterit quid optimum factum fuerit, quam pessimum fuisse, quod factum est.

B Hoc etiam casus habet infaustum, quod desperationem moliatur: Tacianus & Proclus ubi consiliis vincerentur, ad jus imperii transibant: nec ideo improbo acriori consilio fortunæ annuenti manus dare, & periculis ire, adhuc inter fortunæ dubia: ego te, Vespasianum, ad imperium voco; dixit Mucianus, tam salutare Reip. quam tibi magnificum, juxta Deos in tua manu positum est: non adversus Divi Augusti acerrimam mentem, nec cautissimam Tiberii senectutem, nec contra Cai quidem aut Claudii, vel Neronis fun- *2 Hist. 8.* *2 Hist. 14.*

C datam longo imperio domum, exugimus: cessisti etiam Galbæ imaginibus: torpore ultra & polluendam pudendamque Remp. relinquere, sopor & ignavia videtur: abiit jam & transversum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium; ne tamen Mucianum Socium spreveris, quia æmulum non experiris, me Vitellio antepone te mihi; discrimen ac periculum ex æquo partiemur; nec mihi major in tua vigilantia parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. Sed

D meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt; quare audaciæ, constantiæ, fortitudini cessit fortuna, & imperium Muciani consiliis, adhuc inter dubia acrioribus: tempus & locus ad res magnas quærenda: sed dum in animo spes, timor, ratio, & casus obversantur, demens à metu ad fortunam transit.

Boni laude hortantur segnes exemplo: nam ex hominibus alii facilitati cedunt, humanitate molliuntur, terrentur metu, inliciuntur lu-

E cro, aut miti alliciuntur genio, in quamque indiscretam sententiam. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessit, facilis mutatu, in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur ruentem impulit, incertus animi & infidis consiliis obnoxius, timore preveniens discrimen: quod nuper Lusitaniæ accidisse accepimus, dum in ancipiti, in recens juratum Regem nutaret conjuratio. Rerum cadentias, status & principia, oportet contemplari; hominum genia, animi passiones, vitia & virtutes, ad homines alliciendos in *2 Hist. 12.* *20 Augusti anno 1641.*

F propriam sententiam: alii enim ambitionis vanitate, generis nobilitate plures, & ficta valoris adulatione plerique alliciuntur; sed præ omnibus & lucro & pecunia. Vespasiano, infringere exercitus virtutem, inter artes erat; quantumque hebes ad laborem miles, tanto ad discordias promptior is agnoscebat: quare quos perdere desideras, in torpore & luxu; fortunæ indulgentia exercere oportet; sed ex variis considerationibus edisce providentiam: nec omnia pariter omnes decent: nam omnia inconsulti impetus cœpta, spatio languescunt: initia bellorum, fortuna, vi- *2 Hist. 19.*

ctoria, consiliis, & ratione perfici: alios inter consultandum promovet propriæ æstimationis gloria; alium livor alienæ fortunæ detorquet; odium aut dubia voluntas: nam ut sunt hominum genia, moderationem laudantium, aut constantiam requirentium, facies variatur consilii: eo die quo de imperio Vespasiani censebant Patres, placuerat mitti ad Principem legatos; hinc in senatu, inter Eluidium & Eprium, acre jurgium; Priscus eligi nominatim, à magistratibus juratis: Marcellus, urnam postulabat: sed Marcelli studium propius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur: paulatimque per altercationem, ad continuas & infestas orationes provecti sunt, Eluidio quærente, quid ita Marcellus judicium magistratuum pavesceret: esse illi pecuniam & eloquentiam, quibus multos anteiret, memoria flagitiorum urgeret: sorte & urna mores non discerni, suffragia & existimationem senatus, reperta ut unius cujusque vitam, famamque penetrarent: pertinere ad utilitatem Reip. ad principis honorem, hoc senatus judicio veluti admoneri principem, quos probet, quos reformidet: Marcellus secundum vetera exempla, quæ sortem legionibus posuisset, censebat, ne ambitioni aut inimicitiis locus fieret: nihilque evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent: aut principis honor, in cujusquam contumeliam verteretur: sufficere omnes obsequio: id magis vitandum, ne pervicacia quorundam irritaretur animus; novo principatu suspensus: vultus quoque ac sermones omnium circunspectans; se meminisse temporum quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint; ulteriora mirari; præsentia sequi, imperatores voto expetere; qualescunque, tolerare. Hæc magis utrimque concionibus jactata, diversis studiis accipiebantur: vicit pars quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum, annitentibus retinere morem: & splendidissimus quisque eo inclinabat metu invidiæ, si ipse eligeretur. In obscura rerum caligine consiliis tumultuantibus accidit, nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, & ignavorum sæpe telis fortissimos cadere, vel quia minoribus major æmulandi cura; vel quod contra dicendo non desunt rationes; vel quia miseratio juvat invalidos: aperta enim odia armaque palam depelli possunt; fraudem & dolum obscura eoque inevitabilia: neque desunt in Rep. viri, qui nomine libertatis alunt seditiones, nequitiæ ministri, & eo juventutem inclinant, & viros male meritos: ideo dicebat Curtius, contra Regulum: *Reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis ætas instructa sit, & quomodo senes nostri, Marcellum Crispum, juvenes Regulum imitentur.* Invenit etiam æmulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque; nam apud vulgum indiligentia veri, & adulandi libidine cuncta miscentur: veraque & falsa more famæ in majus innotuere.

4 Hist. 1. *4 Hist. 4.* *Germania 2.* *4 Hist. 5.*

In consiliis debet esse omnimodo libertas & ingenua: nam consilia & exhortationes melius audiuntur, auctoritate suadendi, quam jubendi potestate: imperium siquidem servitus odit; & qui consilium proponit, debet prius libertatem proponere; & promissis stare; ac ideo decet ut animus à deceptoria fraude liber penitus agnoscatur, ut in promissis sit inconcussa fides; nam fidem non servare promissis, efficit veritatem non credi; ac deficiunt in posterum contractus: quod apud nostros hodie est causa graviorum malorum, penitus abolitis negotiis, ubi nulla speratur securitas: *Germani de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant*; dicit Tacitus, *tanquam nullo magis tempore ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat: ergo detecta ac nudata omnium mens postera die retractatur, & salva utriusque temporis ratio est; deliberant, dum fingere nequeunt; constituunt, dum errare non possunt: consilio & auctoritate simul, nihil neque publicæ, neque privatæ rei, nisi armati agunt: consultationes per mutuam caritatem, & pro utili publico mutuo alios ante ponendo exerceantur.* Conferentiæ enim ingenium alunt & eruditionem, & pro cujusque vice literarum studium: unde si ad eruditionem ingenium & meditatio accedat, divinum reputabitur, & veritas ut in catino depurabitur: aliis frustra cedunt consilia, omnibus rite dispositis; quia deest fortuna, aliis absque consilio cedunt consilia. Cerealis parum temporis ad exequenda imperia dabat, subitus consiliis, sed eventu clarus; aderat enim fortuna, ubi artes defuissent: unde est forte illa orta parœmia, *mulieris primum consilium.* In ea tempora nos tandem incidimus, ubi nec consilia, nec fortuna valent; nam fortunatis divitiæ sunt extremo pernities; consilia vero, quo validiora & illustriora, eo magis compressa observamus: tutius erit in otio vitam degere; & inertia, pro sapientia fuerit: quia ubi jurisdictio deficit, obtineat silentium: nam licentia fortunas suas præcipitat, alienas deturbat: quia jam nobis pares non sumus. Utilia ergo honestis misceamus; Julium insequentes Agricolam, qui rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse; ad libitum demittens, an suo, an aliorum ingenio. Prudentia aut arte in dicendo facile, juste, & sine pompa agas, & ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona tristitiam, arrogantiam, avaritiam, aut levitatem exue: ne tibi quod sæpe accidat, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem minuat: procul ab æmulatione adversus collegas, à contentione in dicentes, attente & simpliciter sententiam dicendo: consultationis lex, te fecit collegam, non dominum; sententiâ fit satis, non imperio: libertate indiget consultatio: si vis cæteros reverenter anteire, sit tua moderatio auctoritati par, non inflatus, non vanæ ambitionis avidus. Julius Agricola in comitiis vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur: ne te tuis promoveas sermonibus, sed te parem magnis alii judicaverint: haud enim semper errat fama, aliquando eligit; si validiores inter se dissentire cognoveris, silentio utrorumque rationes attende, & æquius perpende: nil aliud adversus validissimas gentes pro nobis erit utilius, quam quod in communi non consulunt: ita ut dum singuli pugnant, universi vincantur: fronte non caperata, promptus in spem, firmus adversis, semper oportet dicere: neve prælii unius, aut alterius eventu pavescas; taliter in dubiis, in adversis, in lætis, te debes gerere, ut dubia prudenter tractes, adversa fortiter, læta moderate: ita te ad omnia utilem, tibi & amicis exhibere potes: cedere tamen validiori fortunæ, tempus & occasio docent. Domitianus

Germania 3. *5 Hist. 5.* *Agricola.*

nus talibus curis exercitus, quodque sævæ cogitationis inditium erat; secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit: reponere odium, donec impetus famæ, & favor exercitus in Agricolam languesceret. Non improbo, quod suam quisque æstimet sententiam; interdum enim melius quam sperabatur consilium cessit: curiosum etiam nobis natura dedit ingenium, (nec rejicit, nec eligit quempiam philosophia) & artis sibi ac pulcritudinis suæ conscia, spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter dicta, tam nitida, & non uno genere formosa, solitudini ostenderet: hæc produxit ut doceantur, & admirentur homines: at unusquisque dicat super id, in quo clarus evasit, & enituit clara experientia, nec dicat extra aleam, quoniam magna ingenia, quanto plus uno emicuerunt opere, tantum in aliis defecere. Virgilium illa fœlicitas ingenii oratione soluta relinquit, Ciceronem eloquentia sua, in carminibus suis destituit: Orationes Salustii in honorem historiarum leguntur: eloquentissimi viri, Platonis Oratio, quæ pro Socrate scripta est, nec patrono, nec reo digna est. Quid si toga de ordine disserat militari, de Rep. nauta, & dux de præceptis Philosophiæ, & eruditione? judicum corrumpentur officia, cedet confusioni valor; & velut in pyramide Babylonis pro scuto & ense, afferentur libelli.

Plerique ita de se senserunt magnifice, adeoque illis propria complacuit sententia, ut cæterorum judicia judicarent insaniam; & velint omnia ad genium metiri. (O execranda vanitas! homo non capit hominem, nulli cedit) quod est æque impossibile, ac absurdum: sed sunt valde cognata vanitas & fatuitas. Olim Socrates dixit, *unum quemque proprium vexat dæmon*: nos hanc ultimam dictionem œstrum vertimus: nam cognatum gentilitium est cuique genium. Æque varias, ac effigies hominum cogitationes invenies, *quot capita, tot sententiæ*. Nec statim tamen deterius est quod diversum est: vitio malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio sunt: nec semper veriora, quæ magis plausibilia: id optat consultatio, ut perpendatur summa prius necessitas; nec omnia difficilia simul aggrediantur: impetus & maturitas semper dicendi ornamentum comitetur: sed qui statim fortioribus argumentis concludit, plus fidei meretur; non qui alto clamore, aut vana eloquentia: nam quando quis falsa opinione decipitur, circa res plurimi faciendas; hæc vocatur *inscitia*; nullibi terminata, & trepida semper; ut quæ tota in futurum feratur; nisi forte audaciæ copuletur: tunc enim nil difficile timet, quia causam timoris non assequitur: sed sui irruit imprudenti fiducia, ac si calleret omnia, scientia infusa; nullis enim magis videntur omnia conspicua, quam ignorantissimis, ut Aristoteles dixit: nec semper scientiarum culmen insequitur fœlicitas consilii; nec vera illius rei notitia, de qua agitur: *Plurimis magis prodesset, neque nosse quidquam, neque putare se noscere: quia promptior illis erit notitia ad illa quæ noverunt, vel opinantur scire; dummodo scientiam rei de qua agitur calleant, aut saltem optimi scientiam.* Qui vero multis ac variis artibus & scientiis est imbutus, si est expers melioris scientiæ, non nedoctus ab aliis, multa tempestate jactabitur; quippe cum absque gubernaculo oberret in pelago, brevi tempore periturus? nam is, ut bene dixit Hesiodus, *multa quidem noverat, sed male noverat omnia: est enim divinum donum consilium.* Lacedæmones à Diis semper pulcra cum bonis sibi tribui postulabant: hoc forte illos celebriores fecit in consiliis. In his enim consiliis, quod in bona valetudine, accidit, dixit Plato; ut bona tueatur symmetria valetudinis, nutrimentum, aut exercitium intendes aut remittes: Nec te in comitiis deterreat, grandioris auctoritas; nec principis majestas, neque frons caperata severi Aristarchi: nam *disputare cum Socrate licet*, dixit Plato; *dubitare cum Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere.* Nec in consultatione debemus semper pari rationum efficacia decertare; nam in re parvi momenti, quæcunque rationes sufficiunt: rationes utique cum his rebus quas exprimunt, cognationem quandam habere videntur: ergo cum de re firma & stabili, & mente comprehensibili disseritur, stabiles similiter immutabilesque, & quam maxime fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet; cum vero de ipsius rei stabilis firmæque simulacro disputatur; verisimiles rationes sufficiunt. In decani officio non quæras qui magis vera dicat, sed quis magis negotio consentanea? egregie dicere solebat Demetrius, *plus prodesse, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu, tibique in usu sint; quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum*: sicut luctator; non refert enim quam multa sciat, si scit quantum victoriæ sat est. Hæc non tantum prudentia solerti, sed doctrina & frequente rerum inquisitione, & experientia assequuntur: ne te seducat gentilitius amor, lucrum aut propria utilitas, sub apparenti bono: alterum enim nobis insinuat Veritas, alterum Persuasio; & illud quidem semper cum ratione vera; hoc autem sine illud nulla ratione mutabile; hoc mutationi subjectum. Notato etiam quod voluptas est esca maxima mali, dolor, fuga, impedimentumque bonorum; audacia & metus consultatores amentes, iracundia implacabilis, spes blanda conciliatrixque cum irrationabili sensu, amor omnium invasor: Dii ergo hæc miscentes, mortale corpus composuerunt: ideo tamen caput à reliquis membris interjecto collo separaverunt, ne divinum ulla mortalium contagione, nisi quantum summa cogit necessitas, pollueretur. Prudentis dumtaxat officium est, quæ à fatidico furentique ingenio, dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere; & quæcunque visa, eluxerint, ratione ita discernere, ut qua quidque ratione, & cui futurum aliquod, præteritum, vel præsens, bonum vel malum portendere videatur, explanet: illius autem qui mansit manetque in furore, non est officium quæ viderit aut protulerit, judicare: scitum profecto priscum, id dictum, *agere sua, seque ipsum cognoscere, solius prudentiæ esse*: tempus autem, & mora, & frequens inquisitio, ad aperiendam conferunt veritatem. Cavere tamen debet majestas senatoria, ne ferat invocatus judicium, aut invitus. Judicium enim virgo quædam pudica esse dicitur: pudoris autem judicio,

Plato in Thimæo.

cio, secundum naturam odio est mendacium; *Et suspectus habetur ille, qui sponte se offert*, dixit Baldus; præterquam quod merces ultroneæ vilescunt, excepto cum patriæ conducit aut honori, ut asseruit Plato: *Duo maxime contraria sunt consilio*, dixit Bias, *ira*, *& festinatio*: nec quæcunque prudentia comitiorum judicio, & ferendo suffragio est idonea; sed aliis virtutibus adornata, solertia scilicet, fortitudine generosa & constantia; nam invalida & timida prudentia, omnia reformidat, quod omnia considerat; nec alacriter aggreditur difficile, quia pati non valet: voluptati est judicanda musica, non tamen quorumvis hominum voluptati: * hæc sola est pulcherrima, quæ optimos satisque eruditos delectat, præcipue vero, quæ virum virtute & disciplina præstantem. Virtute ergo egere judices remur, prudentia & fortitudine: prudentia quidem, quia quæ discernenda sunt judicio, non debet ab alio ediscere, & quasi stupefactus, tam clamore multorum, quam ignorantia sua, ita ferre sententiam: fortitudinis vero, quia non propter ignaviam & formidinem debet ferre judicium: sed in hoc plerique simulant sapientiam, adornant fortitudinem, audacia scilicet & rerum adfectata notitia; & sub publico zelo, occultant avaritiam; & sui sociorumque lucrum, ut ordinis senatorii aliquem observavimus. Nec illos sapientes dici volumus, qui litigantibus dicendi viribus adsunt, quippe cum memoria, & usu, opinionis moribus se accommodent, & à veræ justitiæ intelligentia procul aberrent, reliqua est mira quædam vis, quæ sibi opinionem sapientiæ similiter vendicat; quam naturam magis dices, quam sapientiam: in hoc consistit illa, cum quis facile discit quæ velit, & fortiter & diu multa meminit; & quod unicuique idoneum est, cum oportet cito, & commode reddit. Hæc omnia alii naturam, sapientiam alii, & plerique solertiam nuncuparunt; sed nullus mente compos veræ sapientiæ esse concedet: cum hoc tamen necesse est sapientiam invenire, qua potitus, non solum videatur, sed re vera sit sapiens: dulcissimum vitæ genus est quies; sed pulcrius est labor; & sua quisque agere. Sed illud quoque decet considerare, nullum nostrum sibi soli natum: sed ortus nostri parentem, sibi patriam vendicare, partim parentes, partim amicos: multa item pro temporum diversitate nobis accidere, quibus vita nostra occupata sit. Vocante igitur te patria ipsa ad Remp. gubernandam, absurdum forsan esset, non parere; si id maxime accidat, ut aditus pravis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius quod optimum est; ratione proficiscuntur ad publica. Non est tamen quod æstimes ullam ætatem aptiorem esse ad bonam mentem, quam quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit. Nec sit tibi consilii propositum *subtilitas*, sed *veritas*; nihil enim est acutius arista; sed quædam inutilia & inefficacia, ipsa subtilitas reddidit: scio à præceptis incipere, qui convincere aliquem volunt; & in exempla desinere; aliter aliquando cum aliis agendum est, nam quosdam ratio ducit, quibusdam clara & exempla & auctoritas, quæ liberum animum non relinquat: ad speciosa stupentem apponenda sunt speciosa.

Epist. 9. Archita.

** tunc enim quieti anteponendus labor.*

Nec desperaveris etiam diutinos ægrotos posse sanari, si contra intemperantiam steteris; si multa invitos & facere coegeris & pati: sapientia ars est, certum petat, eligat profecturos, ab his quos desperaverit recedat, non tamen cito relinquat; sed in ipsa desperatione extrema remedia tentet: prudentia occasiones eligat, disponat media, & differat ad tempus; & ferat immortali patientia hominum contrarias passiones, & inter ancipitia & contraria urgentiori necessitati subvenire conetur: nec erit profecto spectatæ prudentiæ, quem non longa rerum domuit patientia: hæc enim est vera norma & regula prudentiæ; nam aut est nobilis patientia prudentia, aut non est sine illa: in consiliis, nemo ad extrema fiduciæ dilabatur; aut ignaviæ: bona mens non commodatur, nec emitur; & puto, si venalis esset, non haberet emptorem; at mala quotidie emitur: bona tamen patet omnibus: omnes ad hoc sumus nobiles: nec rejicit quempiam Philosophia; omnibus tamen lucet. Patricius Socrates non fuit; Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus; Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit: omnes illos ut spectatæ mentis veneramur: illorum eris dignus, si tibi persuaseris, longe lateque laborandum, in iis passionibus frænandis, quæ præcipitant mentem: nec pauperis consilium despexeris, nec divitis extollas; quoniam sincerius res, ut sunt in se, æstimat pauper, at pro fortuna sua, dives: nec sortem meliorem dedit natura diviti, neque pauperi defuit: præterquam quod pauper poterit esse clarior; neminem ex servis non esse oriundum, dixit Plato; & neminem non servum ex Regibus; omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit: à primo mundi ortu ad hoc tempus produxit nos: ex splendidis sordidisque alterna series: non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, dixit Seneca: nemo in nostram gloriam vixit: neque quod ante nos fuit, nostrum est: animus facit nobilem: quare est pluris æstimanda nobilitas quæ valore consequitur, quam quæ hæreditatur: nam hæc proavis & atavis debetur; illa virtuti nobilis. Cuique ex quacunque conditione, supra fortunam licet insurgere, intuendum est, non unde veniant, sed quo eant: si quid est quod beatam vitam possit efficere, id bonum est suo jure, non alieno. Hanc esse summam sapientiam, dixit Socrates, bona malaque distinguere: sed ut sis beatus, inquit, & te alicui stultum videri sine: semper tamen veritate immobilis: inhonesta est enim omnis trepidatio: nam *Degeneres animos timor arguit*: honestum vero, securum & interritum, si possumus, fortius loquamur, dixit Seneca; sin minus, apertius: tutius erit, extrema devitare; & ad hominum & ad temporis genium utiliora dicere: non est enim ullum tam stabile præceptum, quod aliqua limitatio non invertat: quoniam si Protagoræ credimus, *nihil est in natura, nisi dubium*: si Nausifani, *hoc unum certum est, nihil esse certi*: si Parmenidi, *nihil est præter unum*: si Zenoni, *ne unum quidem*: ergo nihil, nec certum, nec incertum. Tu autem in comitiis, stude ne plus dicas, sed ut melius dicas; non ut plus scire videaris, sed ut meliora, & tempori necessaria comprehendere. Ferunt, homines plus in alieno negotio videre, quam in suo; hoc vere illis

lis accidit, quos amor sui obcæcat; & impatientia præcipitat; sed non vere prudentibus. Illo autem negotio, quo dissentire salva gratia, nec consentire, salva conscientia possumus, tutius erit, nos ipsos abdicare à consilio: nam dicere,& retractare, sine causa, sententiam; & indecorum, & inhonestum est; sapiens rebus honestis consilium non mutat, dum ipsæ non mutantur: nemo mutatum Catonem toties mutata Rep. vidit: at in aliis non est turpe cum re mutare consilium. Artabanus Histaspis filius, contra Xerxis expeditionem disseruit, dum in Græciam, armato milite iret, (in regio consilio.) sed Imperator ira percitus, juvenili impulsu; tu, ignavus, inquit, ne comes sis expeditionis nostræ; sed hic maneas inter fœminas: at ubi dies illuxit; responsi pœnituit, somnio contra expeditionem lacessitus: ac dixit, viri Persæ, veniam mihi date; nam hodie contrariam muto sententiam; nam cum imprudenter inveherer Arthabanum; nunc itaque agnoscens erratum meum, utar illius sententia. *Prudentius esset, regiam moderari patientiam: sed errorem agnoscere, est non tantum ingenui, sed sapientis viri:* nam solet errare sapiens, & insipiens; sed in errore perseverare, solius insipientis est. Nec tibi semper sit contradicendi amor, ut plerisque contingit, & rebus, & hominibus; antipodæ: illud semper observa, satius esse prodesse malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos.

Dices fortasse, quid proderit præcepta dare, nisi amoveris obstantia præceptis, in tali scilicet corruptione morum, ubi nullum non perdidit contagium: nec justitia, neque veritas valent, modestia, nec valor: sed majorem partem sibi vendicat lucrum, sua cuique utilitas, ubi omnes ad nutum illius operantur: & non ad leges candidæ Veritatis. Hoc forsitan tibi præcepta dabunt, ut quod oportet facias, non quemadmodum; quod si tibi non præstant; nihil virtuti proderit: idem dicenti ac docenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere: acumine ingenii Socrates nitebatur, non tam alios sententia refellere, quam ipse quod verum esset, invenire.

Quatuor observa, initurus consilium: quid primo decet dicere: & secundo, quam multa: tertio, cui dicas; & quarto, quam oportune dixeris: selecta tibi, reip. utilia, & audienti clara. Prius oportet dicere: secundo, neque plura, neque pauciora quam postulet necessitas: & tertio, ætati & personæ congruentia, utili ac decenti ornatu: ac ultimo, nec prius nec posterius, quam prolabens occasio postulaverit: non vulgari, nec humili stilo, sed prorsus eleganti, & omnifaria eruditione exornato. *Eruditionem*, dicebat Aristoteles, *esse inter prospera ornamentum; inter adversa refugium, ut disciplinam juvenibus, sobrietatemq; & senioribus solatium; veluti divitias omnibus ornamentum.* Inter ætates, virilis est aptior consilio; nam ætate juvenili corpore augescente, augetur & ingenium; senescente autem, cum memoria etiam consenescit; & corpus ad omnia munia elanguescit, & inter passiones timor & avaritia maxime occupat senectutem, ut reddat nutantem senem ad consilium, inopem & egenum, melioris arbitrii: ideo apud Romanos olim tales *depontani* dicebantur, ut in *nostro Theseo* adnotavimus; nihilominus tamen valida & robusta senectus, variis experimentis adornata, est aptior consilio, ut quæ magis adorat arbitrii gloriam, & extra passiones dominatur; quantum virilis ætas excedit ad majora facinora.

A

Nisi diversæ sententiæ inter se dicantur, non potest quis eligere meliorem; sed necesse habet eis quæ dicta sunt uti: at cum plures dicantur, licet tanquam aurum purum, quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero, discerni potest. In hunc usum excogitavit necessitas comitia, magistratuum judicia, & suffragia; & hinc per calculos discernuntur sententiæ: ac ideo consultare, comperio maximum esse lucrum: nam & si quid à contrario eventurum sit, nihilo tamen minus bene consultum est; superavitque fortuna consilium: qui vero negligit consultare, aut turpiter consultat, suffragiis favore, aut pretio comparatis, si ei fortuna obsecundat, fit ille quidem voti compos; nihilo tamen minus male cœpit consilium: at hoc plerunque facimus, ut consilia eventis ponderemus; & cui bene quid processerit, multum illius providentiæ tribuamus; cui secus, nihil sensisse dicamus: ut jam nihil esse videatur, nisi divinare sapientis, dixit Tullius: *Si quis tamen est*, inquit, *qui illam Postumi, sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive (ut gravissimo verbo utar) temeritatem vituperandam putet, ego ejus opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut cum ab ipsa fortuna crudelissime videat hujus consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet, satis est homines imprudentia lapsos, non exigere; urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanum, præsertim judices.* Nam sæpe Deus humiliat consilium, in hominis fiducia, humanæ prudentiæ vanitatem, & hominem in se ipso dimittit: altiora cacumina, excelsa ædificia & prægrandia animalia Deus fulmine ferit, & eminentissima quæque dejicit: ab exiguo magnus profligatur exercitus: ac propterea quidam secus ac eorum dignitas postulabat, in calamitates inciderunt: quia Deus neminem patitur de se magnifice sentire.

B

C

D

E

Si contraria urgent in consilio, & haud æqualia suppetunt auxilia, considera homines in arbitrio fortunæ esse, non fortunam in hominis arbitrio; nec humanam capacitatem futura comprehendere: attamen in ancipiti & arduo negotio, merito multa consideras & perpendis; (adverte quod hæc est summa rerum, & electio melioris consilii.) non est tamen ut omnia reformides, & quæ imminent pericula, omnia peræque consideres; nam si omnia perpendis, * omnia extimescis; nunquam aliquid efficies: non fit enim facinus magnum & memorabile, sine magno periculo: & ubi potius aut nobilius est, quod periculo emitur, quam quod timore dimittitur, aut perdere timetur. Satius & prudentius est, omnia alacriter aggredientem, dimidium ærumnarum pati, quam omni in re præsumpto metu, & desperatione nihil omnino pati; nam dimidium facti consistit in audacia; quare famæ, cum inspirat, oportet dare nomen, quæ novis incœptis validissima est; lucratur valore, quod perditur ignavia. Nemo ergo vilescat in humili fortuna; illud enim valor mille experimentis comprobatum reliquit,

F

Desta se Valio Cæsar passando el Rubicon, dudoso si passaria à Roma.

in

in omni conditione & gradu: non est certe discrimen sine necessitate adeundum, quod si repugnando omnibus quæ dicuntur, non ostendis quid firmum sit, perinde peccas, atque is, qui contraria istis dicat: at vir ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem rem omnem quæcunque pati possit, reputans extimescit, in re autem agenda audax sit: scire vero aliquem (cum sit homo,) qua ratione quid firmum esse oporteat, nequaquam arbitror: at iis qui facere quid volunt, consuevit plerumque emolumentum accidere, raro autem iis qui pensant omnia, & quos agere pigeat: non enim magni duces, nisi periculo irrumperent, ad magna devenissent: magna enim negotia magnis cum periculis suscipi optant, licet omnium exitus sit incertus.

Nudam principes oderunt veritatem, maxime si propriæ reluctatur sententiæ: illa etiam nec favori non gliscit, si principi displicuit: at licet oderint principes veritatem, illam & dicentem cum jam dies illuxit, postea venerantur. O orbis imperator, Xerxi dixit Regina Arthemisia, hoc tibi persuadeo, ne cum Græcis prælium navale facias, qui tantum sunt tuis præstantiores, quantum fœminis viri: vereor enim ne copiæ nauticæ male re gesta, sint etiam pedestribus exitio: hoc etiam, Rex, attende, usu venire, * *ut bonis quidem hominibus mali servi sint, malis autem boni*: & ideo quanto Rex magis bonus, in majori periculo est, à servis qui in numero sociorum censentur. Contraria dixerunt alii, vereor an metu an invidia: & alii, ne inferiores censerentur; nihilominus ut pluribus staretur, dixit Xerxes; nam plures sententiæ fere semper vincunt meliores: at facto periculo, exercitus tam vasti, ruit illa potentia super humanas major: cum in summa calamitate positus, dixit Xerxes, viri quidem extiterunt mihi fœminæ; fœminæ vero viri; cum Arthemisia gloriose se gereret, valore & consilio. Hoc tamen est hominibus acerbissimum, eum qui multa sapit, minime potentem esse: sed illud infœlicius, validos, consilium retorquere sapientis, si pauperis invalidi: nam neque infœlici æmulationem defuturam, ex fomite naturæ, humana conditio suasit; sic etiam semper tulit rerum perennitas. Super omnem miseriam, ad scopulum ligata stat Andromeda, cum formosæ Nereidæ citatiorem ejus solicitabant finem, ne aliquis Deorum ei fortasse obvians, illam protinus cæco amore deperiret. Talis est livor, ut adhuc summæ infœlicitati non parcat invidia; quoniam sævit infœlix adhuc inter infœlicitates æmulatio.

Herodotus lib. 8. Vrania.

** Regi hoc Philippo IV. nostro sæculo evenit.*

Ne huic consultationi quid deficiat, duo veterum exemplaria dare libuit, & auctoritatis senatoriæ, & communi officii consultandi. De studiorum mercede ac literarum præmio, apud posteros olim dissertum est: Sylius acriter incubuit senator, pro studiis; non fore præmia capescenda, veterum oratorum exempla referens, qui famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima: alioquin & bonarum artium principem, sordidis ministeriis fœdari; nec fidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur; quod si in nullius mercede negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, & injurias foveri: ut quomodo vis morborum pretia medentibus, sic Fori tabes pecuniam Advocatis ferat: meminissent, C. Asinii & Messalæ, Aruntii & Esernini, ad summa provectorum incorrupta vita & facundia: nimis sedula sacra & avara cupiditas, tenebras offundit intellectui, attentionem & tempus necessarium furatur; contumacia obruit voluntatem, urbanitatem tollit, pietatem non admittit; & ingratam humanitatem reddit; amicitiæ jura prævertit, fas gentium conturbat, omnia confusione obtendit: tædio infensum, odio infœlicem, cupidum, non amicis tantum, sed alienis incultum, & incivilem hominem reddit: cui Sylius dixit: quem illum tanta superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat, usui & rebus subsidium præparari, ne quis inopia Advocatorum potentioribus obnoxius sit: neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, ut quis se negotiis alienis intendat: multos militia, quosdam exercendo agros, tolerare vitam: nihil à quoquam experti, nisi cujus fructus ante providerit: facile Asinium & Messalam, inter Antonium & Augustum, bellorum præmiis refertos, aut ditium familiarium heredes Esserninos & Aruncios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio, concionari soliti sint: se modicos Senatores, qui à Rep. nulla, nisi pacis emolumenta, peterent: sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura, vel minus decora: non ideo sunt inquirendi sinus in avaritiæ prædam, sed decenter literarum pretia capessenda, nomine pretii honorifici. Hoc etiam nos meminisse decet, an quod hodie apud nos exemplis tuemur, inter exempla erit? nam omnia quæ vetustissima creduntur, nova fuere: præterquam quod consuetudines ad tempora mutantur; & nostrum tempus litium pretium excepit.

De præstantia gubernationis olim disseruit antiquitas: nam mortuo inter Persas Cambyse, absque successione liberorum, tumultuosa oritur conjuratio, reducta in paucos tyrannide; interque illos de maximis rerum initur consultatio: Othanes proferens Democratiam, vir tyrannus, inquit, ut qui omnia obtinet bona, debebat sine livore esse; verum ita natura comparatum est, ut is sit adversarius popularibus suis, siquidem optimis invidet, deterrimis delectatur, & quod indecentissimum est, criminatores ac delatores admittere, optimum putat: nam sive admireris eam modeste, offenditur, quod non profuse, offenditur, quia sibi assentiris: & ut exæquem dicendo quæ maxima sunt; jura patriæ labefactat, fœminæ vim infert, ac in idem natos interimit; quos timet odit; & quos odit, perdit. Et sæpe qui stirpe & potentia præcipuus est, animi bonis deficitur, tanquam verentibus fatis ne si summam fortunam aut mentem dent homini, Deum faciant ex mortali. Non igitur dignissimus utique erit, quem principem comitia dicent: sed aut potentissimus aut fœlicissimus; quorum utrumque ab arte regnando abesse multum potest: ille viribus suis suffragia, aut terrebit aut emet; ille ignavia favorem apud eos inveniet qui sperabunt sub tali principe ipsi regnare, meliora enim sperari non possunt, in hoc sæculo maxime, in quo reclamant vitia hominum, & toties

Herodotus lib. 3. Thalia.

ties experimenta in contrarium versa: licet injuria occuletur virorum sapientia, qui destinant suffragia. Popularis autem gubernatio, pro execucione legit optimos, omnem fugit tyrannidem, si deterrimos novit, severissime punit; ac tandem communem libertatem & amat, tuetur, & conservat,& honores & labores inter se compartitur: & unus quisque ut particeps illorum fiat, pro unione Reip & veritate pugnat. Hujus verba excepit Megabisus: quæ Othanes dixit, inquit, de abolenda tyrannide amplector: ad summam deferri multitudinem, errat: etenim populari multitudine,nihil est insipientius, effrenius, nec insolentius: populus enim ingratus est, morosus, crudelis, invidus, & immodestus, per extrema depulsus, ut qui sit ex colluvie turbæ, & stultis insolentibus collectus: nam tyrannus plebis imitatur sævitiam intemperantis; & tyrannus facit intelligens: at plebi inest, nihil intelligere, sapere, nec audire: quomodo enim intelliget, qui neque doctus est, nec quid honesti novit: ne domesticum quidem, qui res agendas sine consilio præceps ruit, torrenti similis: præter quam quod libertas ipsa, libertate corrumpitur; populari invidia,& inæquali civium potestate: nos vero, qui cætum virorum optimorum diligimus,ad hos deferamus: nam inter illos & nos erimus: & ex optimis viris credibile est,optima existere consilia. Darius autem tertio loco dixit: si rebus in omnibus optimũ quærimus, nunquam fere discernemus consilium: nam multa alioquin fœliciter cessura, importuna irritantur prudentia: quod Megabisus dixit de statu populari, bene dixit; non bene, de statu paucorum: nam inter hæc multum antecellere unius imperium sentio, ut inter multos unica præpotentis sit sententia, quam multi insequuntur, pretio aut timore; & ad nutum illius gubernentur; isque fortasse injustus, ambitiosus, & avarus, Remp. fere totam ambiens: sed unius viri boni, nihil melius esse constat, si prudens, justus, & impavidus est: in statu vero paucorum, cum paucissimi virtuti incumbant, in publicum vehementiora, privatim odia excitari consueverunt: cum enim quisque princeps esse optet, & vincere in dicenda sententia, transierunt ad odia, hinc ad seditiones, & ex illis ad cædes: è cædibus ad unius imperium devenitur, proximo principe advocato ad intestina bella: unde datur intelligi, quanto sit hoc illo præstantius. Fateor quod Monarchiam in propria essentia constituit Tyrannis; est enim illa inseparabilis à monarchia, quæ in immensum crescit: at sunt aliæ tyrannides piæ & necessariæ; ut oneris angentis pondus sublevetur, & præsenti occurratur periculo in ancipiti alea: ast sunt aliæ impiæ, & crudeles, & animi avari, quæ sub ardoris impietate militant; quæ jus sceleritati largiuntur, per manus impiorum; qui videntur civitatum satellites ac bonorum tortores; qui sæviunt in cives, eosque ditiores: quoniam inter alia tyrannis sævit crudelius in divitias: illam vero, si non laudamus, ut certe tolerabilem judicamus: quare aliorum sententiæ acquieverunt isti: ideo decreverunt, (barbarum sane dictu,) ut omnes viritim equos conjurati ascenderent, simul ad ortum solis, cujus tamen equus prius dedisset hinnitum; is daretur in regem. Obarem equisum solertem quidem habebat Darius, hic Darii equum fecit super equam cubare, in loco designato, qua præcedebat nocte, qui mane inter omnes exultans, mox ad loci conspectum dedit hinnitum, ut dominus monarchiæ Persarum potiretur. His tamen alio derelictis, omnium nationum consensu, Monarchia est omnium gubernationum nobilissima: libenter ideo Romanus populus, per omnes tyrannidum status jam expertus, cum ad Cæsaris imperium (posito trium viri nomine) pervenit, non invitus accepit; neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium; & avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi ambitu, postremo pecunia turbabantur. *Tacitus 1. Annal. 12.*

Licet Plato optimatum Remp. laudaverit, Monarchiam tamen prætulit, si talis inter homines daretur, qualis inter apum examina, qui animi & corporis habitu cæteros antecelleret: sed omnium maxime execratur tyrannidem. Illud etiam Isocrates ad Nicoclem commendat Græca illa sententia: *Tanto monarchiam faciliorem judicaverimus*, inquit, *quanto facilius est, animum suum unius viri instituto adaptare, quam multis & variis opinionibus placere conari*; *ex multorum enim principatu, factiones oriri, quodammodo naturale est; ob diversa jubentium & parentium studia.* Proinde tantum perstitit & floruit Resp. quantum publico utili incubuere Patres: nam tandem qui Reges à propriis cervicibus depulere,hi postea Regem quærere coacti sunt;ut Northumbria in Anglia, domestico exitio agitata, anno 827. aut palam necessitatem confiteri, regibus absque ulla resistentia admissis: veluti post varias conjurationes, Romana experitur Resp. quæ omnem gubernationem experitur, & sub nomine etiam democratiæ, fere semper recidit in monarchiam, non tam consilio populi, quam virorum electorum à populo. Ideo nulla unquam constitit democratia: quoniam ubi suo regitur nutu & consilio, illustrissimos & sapientes viros, tempore fœlicitatis contemnit, aut projicit in tempore adverso, furiosus aut pavidus, aut omnino, nobilium & potentum regitur consilio; ut personatas potius diceres democratias, aut aristocratias, simulatas inani titulo democratiæ: & si qua est hodie democratia, si verum fateatur, nihil, præter nomen, habere confitebitur: cum suffragia omnia & consilia potentum familiis illustrissimis credantur: ad nullum fere negotium populo advocato, nisi ad solas pecunias colligendas: quod etiam democratias transtulit ad monarchias; nam si majori ex parte populus super nobiles familias dominatur, instituto Reip. Chaos inexplicabilis Remp. confundit conturbat, & disperdit: ut misero lamento lugent hodie Barchinonenses viri; nam inde deducuntur immensæ leges, quas alii ut ditentur dissimulant; alii contemnunt, & facinora neque punire audent; & dum se ad populares transferunt, justitiam & æquitatem negligunt: est enim populi democratia centum capitum hydra; nam semper sine delectu ruit ex ignobilibus & sordidis congenita: hoc Romani cives exemplis expresserunt; cum specie libertatis jura hæc usurparunt, ut nec dominorum potestati, nec tyrannorum imperio, nec magistratuum potentiæ,

tentiæ, nec creditorum libidini, nec civium suorum gratiæ, essent obnoxii; ejusque libertatis causa, leges ipsi sanxerunt, ut P. Valerius Publicola, qui legem Valerianam consul protulit, post exactos Reges publicæ libertatis: ut si quis magistratus civem necare, verberare, aut multare velit, ut ad populi judicium vocaretur: at interim à magistratu nihil damni acciperet, aut mora pœnam excusarent delicta, ut dixerunt Livius & Plutarchus. Hanc sequutæ sunt aliæ crescente populi pervicacia, à tribunis plebis sancitæ; ut Tribuni Plebis singulo quinquennio crearentur, adversus consules, pro auxilio plebis. Est alia sancita, ut ipsi Tribuni inviolabiles essent, & sacrosancti. Est alia, ne is honor, nisi à plebeis peteretur: & ultimo, ut Gellius testatur, aucto tribunorum numero, ut intercedendi jus haberet. Quarta lex lata fuit, ne de capite civis Romani, nisi centuriatis agi comitiis possit: de quibus etiam Tullius memoriam fecit nobilem. Lex Porcia virgas à civibus prohibuit: & libertatem civium Lictori diripuit, ut adnotavit Cicero.

Livius l. 3. Decad. 3.

3 de Legib. Pro Rabirio & Catonis Oratione.

Fere naturaliter recidit in unum plurium principatus: non enim fert socium regni possessio; alter alteri gliscit, nec intellectus, quando voluntas cedit, aut è contra: Abimelec post mortem Gedeonis occidit septuaginta fratres, quoniam neque fratrem patitur gubernatio, Remum Romulus; & ut dixit Lucanus:

In bello civili.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit; nec gentibus ullis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine Muri.

Et postea:

——— *Stimulos dedit æmula virtus.*
Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,
Pompejusve parem.

A Tritum est illud Homeri Græco versu:

ὐχ' ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔσω.

Non bonum multorum gubernatio, unus sit dominus; unus Rex. De apibus dixit Plinius, esse sine Rege non possunt; interimunt autem eos cum plures fuerint; potiusque nascentium domos diruunt: sed dedit rationem Aristoteles; enecant apes ipsæ etiam duces, si plures, quam satis sint, habeantur; & potissimum improbos, ne principum multitudo seditiones in examine faciant; necant præcipue cum non ampla sobolis copia extitit; nec habent quos tanquam coloniam mittant: favos etiam regum eo tempore, si parati sunt, diruunt. Grues unum ducem sequuntur: hic cæteris dormientibus, & conditis capitibus sub alis capite, & collo erectus prospicit; & quod senserit voce profert, ut tueatur suos. Ut non merito principatum unius prætulerit. Est tamen principatus veluti regnum solitarium; ideo Eucratem Regem filius interemit, ut retulit Justinus; fratrem Cambyses; in necem patris conjuravit Darius: Eurysthenem & Proclem fratres, Lacedæmoniis in Regnum destinavit Apollinis Oraculum, sed non consociavit: quin alter alteri insidias pararet. Neque tulit Amulias in regni societate Numitorem; quoniam in dominatione neque filium tulit pater: quia sicut principum filii comites in sceptro non tulerunt; sic nec amorem principes. Fallitur qui inter filium & patrem non agnoscit invidiam: hoc semper antiqui observarunt, displicere regnantibus civilia filiorum ingenia. Destrui per hæc fortunam suam Tiberius ratus est; dum Germanici filios, crescere vidit, aut amari, imparemque tanto merito rebatur; nam honores dati filio, si patris honorem cumulant, humaniter feruntur: si filium reddiderunt plausibilem, impatienter; interim tamen simulatur invidia.

11 Nat. hist.

9 de Arist. animal 40.

1 de Hist. anim. 1. & 10 Nat. hist. 23.

Lib. 41.

4 Annal. 3.

B C D

Quæcunque in hoc triplici Tribunali, seu in communi dicta, seu singulari asterisco notata, & nondum exacto veritatis examine continentur, Catholicæ subjicio Censuræ Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ: & ut filium decet fidelem, & Catholicum, desidero prolata: & si quid forte è manibus elapsum, quod expurgari optet, nos illud retractamus, & expungimus, die 20 Octobris anni Domini 1654.

Hæc gesta sunt, sub Principe Catholico PHILIPPO IV. Magno, Hispaniæ Rege, Indiarum Imperatore, Fidei Defensore: & principum Europæ belli & pacis arbitro; sui Imperii anno 35. nam cœpit regnare anno 1621. & Apostolicam Sedem Gubernante INNOCENTIO X. Pontifice Maximo, sui Pontificatus anno 10. nam incœpit anno 1644.

FINIS.

INDEX

INDEX PRIMUS,

Rerum memorabilium, quæ in Medico-Magico Tribunali continentur.

Primus numerus folium indicat, litera locum paginæ.

Aborsus frequentis causa quæ; & quare illa etiam sterilitatis causa. 46. C.D.
Aborsus pericula conceptioni insposterum futura. 47. E. F.
Actio à calore deminuto, seu à frigiditate, quomodo depravetur. 60. E.F.
ad Actionem mirabilem eliciendam, quæ prærequirantur. 82. F.
ad Actiones fortius inducendas, quæ hora applicentur auxilia. 85. D.
in Adæ creatione quare dicitur, masculum & fœminam Deum creasse. 20. E. F.
Adamas ex quo principio trahat paleas. 83. F.
Adamo magia infusa: ab illo Noa edocta. 5. A.
Ægyptii à Zoroaste docti magiam calluerunt. 4.
Agens similem sibi actionem producit, ut assimilet passum. ibid. *Exempla leges.* 84. B.
Agyrtæ & arioli quâ magiæ specie uterentur. 20. B.
Amor naturalis qui, & quo residet appetitu. 22. F.
Amoris naturalis signa ex Platone. ibid.
Amoris insani varia exempla. 23. E.
de Amore in bruta & statuas ob solam apparentem pulcritudinem. ib. B. C.
Amoris veneficio inducti, signa ad amoris naturalis differentiam. ibid. D.
Amatorii veneficii historia. ibid. *Et an dentur ad amandum instrumenta.* ibid. F. & 24. A.
Amoris remedia expenduntur. 25. B. C. D. E. F.
de Amore Platonico pulcra & antiquissima. ibid. per totum.
Amoris circulus, à summo creatore ad materiam primam. 26. B. C.
Amoris delectatio an terminetur in amante, an in amato. 26. D. E. F.
Amoris definitio ex Platone; & Aristotele. ibid. E. 27. F.
Amicus quare sit alter ego. ibid.
Amatus est causa prima amorem producens. 27. B.
Amans causa materialis. ibid.
Amans amato est inferior. ibid.
Amorem, non in numero Deorum Socrates collocavit. ibid.
Amor defectum præsupponit in amante. ibid. E. F.
Amoris causalitas in defectu & cognitione consistit. ibid.
Amoris differentia inter bruta & homines. ibid.
Amor intellectualis quatuor conditiones prærequirit. 28. E. F.
alter Amoris circulus & catena. ibid.
Amoris genealogia expenditur: & cupidinis forma. 29. A. B. C. & 30. A. B.
Amoris tres species, delectabilis, utilis & honesti. ibid. 29. D. E. 34. C. D.
Amoris divini & honesti parentes. ib.
Amor quare dicatur geminus seu androginus. ibid.
Amor honestus quare triplex dicatur. 30. A. B.
Amoris finis qualis. 33. E. F. *Et delectationis species.* ibid.
Amor, & carnalis appetitus quo differant. ibid. F.
Amoris species circa quæ unaquæque exerceatur. 34. F. 35. A.
Amuletis non est omnino deroganda fides. 42. B. C. *Horum varia exempla proponuntur, & alia damnantur.* ibid. *Et quâ virtute operentur.* ibid.
Amatorii philtri signa, & insani amoris. 65. D. E.
Amorem concitare quomodo philosophi docuerunt. 84. F. 85. A. B.
Amor apud Platonem unus ex dæmonibus est. 8. E. F.
de Amoris origine & officio. ibid.
Animalia pleraque sunt fatalis augurii ut Bubo. 10. C.
Animæ passiones quibus auxiliis medeantur. 13. B. C.
Antiochus, amore correptus describitur. 23. D. E.
Anima rationalis latens potentia, est quæ omnes formas continet. 32. E. F. & 76. A. B. C.
in Animam, non omnes formæ nec species refluunt à sensibus externis. ib. *Et quare actus illiciat absque illis.* ibidem.
Anima quare habetur, aut diserta videatur in aliis. 32. C. D.
Anima quare dicatur sicut tabula rasa. ibid.
Anima duplex facies; & quo in opere utraque versetur. ibid. *Et quâ differentiâ agnoscat corporea, & spiritualia.* ibid.
Anima quare similis libri dicatur ubi falsa aut vera scribuntur. 34. C.
Antipathia duplex in veneno observatur. 59. B. C.
Animal nullum moritur quin cor ab agendo cesset. 62. E.
Anacardini veneni signa & accidentia. 63. C.
Animalia, unde præsentiant terræmotus & imbres. 75. E. F.
Anima quare interdum profert quæ imminenter continet. 10. B. & 77. B. C.
Animalia quæ intra corpus generantur, an sint certa veneficii signa. 77. B. C. D.
Animalium variæ species & figuræ, à variis causis producta expenduntur. 78. F.
Animalia quæ ex semine, an in corpore à solo excremento producantur. 79. F. *Vt serpentes bufones mures, &c. an à dæmone.* ibid. & 80. per totum.
Anima peregrina & essentia extractio, à rebus quomodo fiat, & quo artificio. 81. F.
Anima hominis continet imminenter pleraque naturalia quæ ad tempora profert. 83. C. D. E. F.
Animæ constrictio & dilatatio in passionibus unde. 88. C. D.
Anima habet varias habitudines ad motum. ibid. D.
Anima non operatur, cum vita est in dubio. 89. A. B. C. D.
Animus quare fortior reddatur in operando aut debilior. 90. C. D.
Animus grandi desiderio rapitur super sermones & characteres. ibid. F.
Apulejus magiam genio & non dæmoni tribuit. 4.
Apulejus de sagarum operibus varia refert exempla. 6. B. C. D.
Apium risus, & aconitum quod veneni genus. 62. F. 63. A.
Apio Grammaticus Homeri animam ab inferis revocavit. 20. E.
Appetitus concupiscibilis quo loco resideat. 22. E. F. *Quod valet appetitus in amore concitando, valet dæmon.* ibid. & A. B.
Aquæ ardentis variæ præparationes ad varios usus. 88. A. B.
Archimes quare in magia perstigiatoria celeberrimus. 14. C.
Artificialis pulcritudo quæ; & unde. 32. A. B.
Architas Tharentinus, columbam ligneam evolare fecit. 14. F.
Arbor cujus fructus inebriat, refertur. 15. F. & 16. A.
Artis mirabilia expenduntur, & naturæ; uti avium cantus & sylvarum. 15. A.
Argentum vivum quibus possit misceri & quibus non. 83. D. E. *Ex*

quibus partibus constet, & qua temperie. ibid. Hujus mirabiles virtutes expenduntur. ibid.
Ars in multis naturam superavit, & eorum exempla. 92. D. E.
ut Avium voces intelligantur, artificium. 14. E.
Auri naturalis productio, qualis. Alberti Magni sententia de auri fabrica, & arte productionis. 16. B. C. D.
retro Aures quare vena secta, sequatur impotentia. 40. F.
Audacis pellis alligata quare faciat audacem: & timidi, faciat timidum. 83. B. C.
Auctoris excusatio in tradendis qua magiam redolent, licet naturalia. 88. C. D.

B.

quo Bilis aut melancholia statu, homines diserti magis: & in aliis excellentiores fiant. 11. A. B. Quare futura pranuntient, & divinationes. ibid.
Bonum & pulcrum quo differant. 26. E.

C.

Caducei imago quare honore habita. 74. E.
Cœli influxus à parte determinata cœli, quo à communi influxu differat. 81. E.
in Cœlo qua sit causa hujus invisibilis influxus. 91. B. C.
Calanus Indus, Alexandro Magno mortem vaticinatus est. 11. F.
Chameleon humi repens, accipitrem volantem attrahit. 14. E. F.
Chameleontis alia mirabilia referuntur. ibid.
ut Capilli non renascantur, auxilia. 85. F. 86. A.
Causa inveterata cum se prodit, noxam insuperabilem relinquit. 61. A.
Chameleontis lingua femori alligata, puerperii pericula avertit. ibidem. Alia de veneficio suspecta referuntur de illo. ibid.
Cantharidum veneni signa. 63. E.
Carminibus quomodo celebrabatur incantatio. 9. F. 10. A. B.
Carmina magica jam olim tradidit Homerus. ibid.
Carmina feralia quo magico stylo componantur. ibid. Quibus notulis & characteribus constent. ibid.
Carmina magica, variis deprecationibus sub variis ceremoniis dicata. ibidem.
Carmina & incantationes, ex imaginationis efficacia, sortiri virtutem naturalem, voluit Avicenna 12. C.
Carmina divina operantur in significationis virtutem. ibid. Et in virtute naturali. ibid.
Carmina sanguinem non detinent, virtute naturali. ibid.
Cerebrum in coitu quare magis languescat. 35. C. D. E.
à Cerebro quid descendat ad seminis fœcunditatem, & potentiam viri. 34. C. D.
à Cerebro quare impotentia inducatur. ibidem.
Cerussa venenosa signa. 62. C.
Chaos triplex apud Platonem expenditur. 25. F.
Characteres quare fiant ad intentionem operantis. 91. B. C. Pro amore & odio inducendo, qua arte. ibid.
Characteres, figura, & imagines, an virtutem operandi naturalem sortiantur. ibid.
Characteribus & imaginibus unde vis operandi. ibid.
Characteribus non repugnat, operandi habere actiones ab arte, aut influxu cœlesti. 92. C. D. An possint actiones in alienas potentias inducere odii aut amoris naturaliter. ibid. & 93. A. An imaginationis virtute, characteres sortiantur virtutem. ibid.
Chiromanticis lineis an insit aliqua virtus. 92. A.
Circulus aurea catena. 25. E.
Claudii Casaris veneficium & ejus signa. 9. F.
Clausura mulierum an incurabiles. 45. E. F.
Columba lignea, quam fecit ars evolare. 14. F.
Colonis Indiarum Auscultatoris casus admirabilis Astronomia, apud Indos. 20. E.
Codronchi historia de amatorio veneficio. 23. E.
